
Scan. 19. Pl. 5.


37
27 C
7

INSTITUTIONES
THEOLOGICAE

QUAS

FR. MICHAEL MARCELLIUS

EREMITA AUGUSTINIANUS

AD USUM SCHOLARUM SUI ORDINIS

CONCINNAVIT

TOMUS VII.

DE SACRAMENTO BAPTISMI, CONFIRMATIONIS, EUCHARISTIAE, POENITENTIAE, EXTREMAE UNCTIONIS, ORDINIS, ET MATRIMONII.

EDITIO PRIMA



SUB AUSPICIIS FAUSTISSIMIS

Illmi, ac Rmi D.

FELICISSIMI SALVINI

CAMERTIS ARCHIEPISCOPI







TYPIS AC SUMPTIBUS VULGATA

FRANCISCI XAVERII TOMASSINI

FULGINII 1851.



FR. PHILIPPUS ANGELUCCI

MATHELICENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER, ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI VICARIUS GENERALIS

Cum opus inscriptum : Institutiones Theologicae etc. *elaboratum ab admodum Reverendo Patre Magistro Fratre Michaele Angelo Marcelli, recognitum et approbatum fuerit a duobus Theologis sacri ejusdem nostri Ordinis a nobis deputatis, tenore præsentium facultatem concedimus ut typis mandari possit, si iis ad quos reliquum spectat, ita videbitur.*

Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 28 *Junii* 1844.

Fr. PHILIPPUS ANGELUCCI Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli



Magister Fr. PHILIPPUS CASCIA *Ordinis Secr.*



INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXXV.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Quamvis ea quae de sacramentis in genere hactenus disputavimus pauca forte pro argumenti dignitate atque amplitudine alicui videri possint, si tamen a tyronibus in quorum gratiam hasce lucubratiunculas edimus, bene accurateque percipiantur satis esse confidimus ad illa assequenda quae de singulis in specie sacramentis nunc disserere aggredimur. Quae enim in antecedenti libro dicta sunt, licet brevi quadam methodo fuerint a nobis exposita, haberi nihilominus possunt veluti solida fundamenta quibus totum deinceps aedificium superstruetur; unde si quae in sequentibus libris versabimus ad statuta jam principia sedulo revocentur, nullam certe aut saltem parvam habebunt difficultatem. Interea a baptismo tamquam a primo novae legis sacramento ducemus exordium, ac de illo integro hoc libro pertractabimus praecipuam impendentes operam ut non solum catholicam fidem circa divinum sacramentum explicemus, sed etiam ut haereticos omnes de illo male sentientes pro viribus refellamus. Primum novae legis sacramentum baptismum dixi, ad ordinem respiciens, quatenus nempe janua dicitur ad reliqua sacramenta, non autem ad dignitatem. Eucharistia enim longe praecellit, ut suo loco videbimus. Sed jam sit

CAPUT I.

De nomine divisione ac definitione baptismi.



aptismus sive baptisma juxta nominis etymologiam idem est ac *mersio*, *ablutio*, *tinctio*, venit enim a verbo graeco βαπτίζειν, quod latine significat *mergere*, *abluere*, *tingere*. Non uno modo sumitur nomen istud a sacris ecclesiasticisque scriptoribus, aliquando enim accipitur litteraliter pro lotione corporis munditiae caussa, ut Judith cap. 12. *Exibat noctibus in vallem Bethuliae, et baptizabat se in fonte aquae*, aliquando ad exprimendas rituales quasdam ablutiones a judaeis adhiberi solitas, existimantes a lege per traditionem fuisse praescriptas, quo sensu scribit Marcus cap. 7. *Pharisaei et omnes judaei nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: Et a foro nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et aeramentorum, et lectorum*. Non raro baptismi nomen figurate adhibetur ad animi tristitiam et afflictionem significandam, unde Christus Dominus Lucae cap. 12. v. 50. ajebat: *Baptismo habeo baptizari*, de maerore proculdubio intelligens quo paullo post affici debebat anima sua. Sed frequentius nomen baptismi usurpatur ad exprimendam sacram illam et religiosam ablutionem quae sacramentum novae legis dicitur, quaeque peccata nobis remittit, ingressumque tribuit in

Ecclesiam; et de baptismate hoc modo accepto intelligi debent illa verba Christi apud Matth. cap. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* et illa alia apud Marc. cap. 16. v. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; et illa denique apud Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Atque de baptismo hoc postremo sensu intellecto modo disserere constituimus.

Sed baptismus etiam prout sacramentum est novae legis variis expressus invenitur nominibus tum in sacris litteris tum in scriptis sanctorum Patrum; ex quo enim homo carnaliter natus per baptismum spiritualiter renascatur, appellatur sacramentum regenerationis et renovationis, dicente Apostolo ad Tit. cap. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti*. Ex quo in baptismate homo fidem accipiat per quam illuminatur, dicitur saepe sacramentum illuminationis. *Impossibile est*, ait Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 6. v. 4. *eos qui semel sunt illuminati ... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam*. Hinc veteres Patres novos fideles promiscue appellabant *illuminatos* ac *baptizatos*, et sacramentum modo *baptismum*, nunc *sancta lumina* vocabant. Quod per baptismum homo sive per se sive per parentes et a quibus offeruntur respondeat ad singula quae quaeruntur se credere, quam saepissime dicitur *sacramentum fidei*, ut videre est apud Augustinum ep. ad Bonifac. episc. Vocatur etiam *sepultura veteris hominis cum Christo in mortem*, ut ait Apostolus in ep. ad Rom. cap. 6. quoniam catechumeni immersio in aquam Christi repraesentat sepulturam. Et ne in re nimis clara tempus terere videamur, multa baptismi nomina complectar verbis S. Gregorii nazianzeni qui orat. in sanctum lavacrum inquit: *Appellatur autem quemadmodum Christus ejus dator multis diversisque nominibus. Dicitur donum, quia iis qui nihil prius contulerunt, datur: gratia, quia etiam dementibus: baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur: unctio, quia sacer et regius: hujusmodi enim erant quae ungebantur: illuminatio, quia splendor et claritas: indumentum, quia ignominiae velamen est: lavacrum, quia abluit: sigillum, quia conservatio est ac donationis significatio*.

Quamvis baptisma proprie loquendo sit unum, juxta illud Pauli ad Ephes. cap. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, nihilominus tria vulgo numerari solent, nempe *fluminis*, *flaminis*, *et sanguinis*, hoc sensu videlicet quod in casu necessitatis passio pro Christo tolerata conjuncta cum voto recipiendi sacramentum, sive vehemens desiderium recipiendi sacramenti cum sincera detestatione peccati vices suppleat baptismi, vitamque tribuat sempiternam. Quoniam vero baptismati sive sanguinis sive flaminis proprie non inest ratio sacramenti, hinc verum semper est quod ait Apostolus unum esse baptisma sicut est una fides et unus Dominus. Hanc baptismi divisionem approbat S. P. Augustinus lib 4. cont. Donat. cap. 22. scribens: *Baptismi sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, hodie mecum eris in*

paradiso , non leve documentum B. Cyprianus assumit ; quod etiam atque etiam considerans , invenio non tantum passionem pro nomine Christi , id quod ex baptismo deerat posse supplere , sed etiam fidem conversionemque cordis , si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest ... sed tunc impletur invisibiliter , cum mysterium baptismi non contemptus religionis , sed articulus necessitatis excludit .

His bene perpensis facile intelligitur natura baptismi qui a catechismo Concilii tridentini p. 2. tit. de sacram. bapt. n. 5. recte accurateque definitur : *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo* . Recta, inquam, accurataque est allata definitio nam per tò *sacramentum* exprimitur genus, quia non solum baptismus , sed reliqua etiam sacramenta sunt signa sensibilia gratiae invisibilis et spiritualis . Differentia autem consistit in illis verbis , *sacramentum regenerationis* , quoniam soli baptismo convenit spiritualem vitam hominibus tribuere per modum novae generationis et nativitatis , juxta illud Joan. cap. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo , non potest videre regnum Dei* ; alia enim sacramenta conferunt et ipsa spiritualem vitam , sed non per modum regenerationis . Sic poenitentia v. g. vitam quidem animae confert, sed per modum suscitationis a mortuis ; unde Chrysostomus hom. ad baptizand. ait : *Ob quam caussam , inquis , si lavacrum nobis omnia peccata dimittit , non lavacrum remissionis peccatorum dicitur , nec lavacrum purificationis , sed lavacrum regenerationis ? Quia non nobis simpliciter peccata dimittit , nec simpliciter nos puros a delictis ostendit , sed tamquam denuo generat et efficit . Nam denuo nos condit et conficit , non de terra componens iterum , sed ex alio elemento aquarum naturae nos procreans* . Illa denique verba , *per aquam in verbo*, exprimunt essentiales baptismi partes , nempe materiam quae consistit in aqua naturali , et formam sitam in expressa sanctissimae Trinitatis invocatione . Utramque Apostolus explicat in ep. ad Ephes. cap. 5. v. 25. *Christus dilexit Ecclesiam , et seipsum tradidit pro ea , ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae , ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam , non habentem maculam aut rugam* . Atque ita baptismus definitur ab omnibus ferme catholicis .

Sed non ita illum definiunt recentiores haeretici . Calvinus enim ait *baptismum esse signum initiationis quo cooptamur in Ecclesiae societatem* . Philippus autem Melancthon baptismum definit *signum quo Deus nobiscum agit , et recipit in gratiam* . Ac Wolchelius denique appellat illum *publicum christianae professionis signum, et tesseram* . Nec mirum . Nam quum haereticorum dogma sit justificationem non in gratia et caritate animae inhaerente per Spiritum sanctum , sed vel in sola remissione peccatorum, vel in externa imputatione justitiae Christi consistere, debent ex consequenti , ut sibi cohaereant, affirmare , novae legis sacramenta non producere gratiam per se et ex *opere operato* ; ex quo principio ortum apud ipsos ducunt allatae baptismi definitiones . Jam nos duo illa

falsa principia ubi egimus de justificatione, et libro praecedenti satis superque refutavimus, unde opus non est ut hoc in loco baptismi definitiones quae ex iisdem principiis ab heterodoxis eruuntur refellamus. Sed stylum nostrum convertemus potius adversus socinianos quorum baptismi definitio et idea non minus falsa est et haeretica ac illa protestantium.

Socinus ergo et post illum Ostorodius ita baptismum definiunt: *Est publica quaedam protestatio, qua christianam fidem coram Deo et hominibus profitemur et manifestamus*, ita ut ad ingrediendum in Ecclesiam vitamque aeternam obtinendam fidei protestatio sufficiat, sive fiat haec per aquae ablutionem sive per verba sive per aliquod aliud externum signum; atque adeo fit, inquiunt, ut ubicumque in sacris litteris baptismi nomen occurrit, intelligi debeat praedicatio evangelii, institutio christiana etc. unde verba illa Christi, *euntes docete omnes gentes, baptizantes etc.* juxta Socinum hunc habent sensum, *ite, docete, praedicate evangelium*. Ex hoc pestifero dogmate sequitur ut per se patet, baptismum sumptum pro aquae ablutione, sensu superius exposito, non esse ad aeternam salutem consequendam necessarium; quod proculdubio repugnat sensui universalis Ecclesiae, imo et receptae apud omnes fere sectas haereticorum consuetudini, quum nulla fere heterodoxorum secta sit quae baptismi necessitatem non fateatur, quamvis alii in forma, alii in materia assignanda a veritate recedant. Hoc unum satis esset ad Socini et Ostorodii portentum refellendum. Verum quoniam non obiter id ab ipsis traditur, sed argumentis etiam demonstrare conantur, nos quoque argumentis utemur ad catholicam tuendam veritatem.

Sed initio fatendum est non omnium Socinianorum hanc esse sententiam; Nam Wolchelius l. 6. de vera relig. cap. 6. non negat baptismum esse publicam fidei professionem, sed vult necessario illam fieri debere per intinctionem in aquam. Slichtingius in 1. ad Cor. explicans illa verba, *aut in nomine Pauli baptizati estis*, ita scribit: *Docemur etiam hoc Apostoli loco baptismi ritum in Ecclesia retinendum esse, quo sciant omnes in cujus nomen initiati sint*. Wolzogenius quoque in cap. 28. Matth. etsi cum Socino doceat baptismi nomen etiam praedicationem evangelii complecti, contendit tamen significare quoque *ritum illum a Christo praescriptum, et qui praedicationem evangelii consequi debet*. Aliorum omitto testimonia utpote ad rem nostram minime necessaria. Haec pauca tamen afferre volui tum ne sociniani calumniae nos insimulent quasi communem faciamus inter ipsos opinionem quam nonnisi Socinus, Ostorodius aliique pauci sequuntur, tum etiam ut ejusdem opinionis falsitas deprehendatur, quum non ab omnibus socinianis recepta sit, quamvis ab illorum coriphaeo et institutore fuerit tradita.

Ast tempus est ut adversarios argumentis adoriamur. I. Nullibi legitur in evangeliis Christum Dominum per se baptisma contulisse, bene vero praestitisse id per Apostolos, unde Joan. cap. 4. legitur: *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*. E contra indubitatum est Christum proprio ore annuntiasse evangelium, munusque istud per integrum

triennium exercuisse. Aliud itaque est conferre baptismum, et aliud praedicare evangelium. Administrare nempe baptismum est tingere aqua, praedicare autem evangelium est imbuere homines in fide. II. legitur in evangeliis Christum baptizatum fuisse a Joanne, Marci enim cap. 1. v. 9. habetur: *Baptizatus est a Joanne in Jordane; et statim ascendens de aqua etc.* et Lucae cap. 3. v. 21. *Cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato etc.* Quid est baptizari in Jordane nisi ablui aqua naturali, aqua statim Christus ascendit? An vero unigenitus Dei qui est sapientia Patris ita baptizatus fuit a Joanne ut ab eo fidei rudimenta didicerit? III. in celeberrimo Christi praecepto Matth. cap. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* duo aperte distinguuntur, doctrina videlicet fidei, et baptismus, hoc est ablutio per aquam. Neque enim dici potest hoc in loco baptismum non esse ab evangelii doctrina distinctum, alioquin insulse Christus allocutus fuisset apostolos; sensus enim esset: *euntes docete omnes gentes, docentes eos etc.* quod idem dicendum est de aliis Scripturae testimoniis ubi mentio occurrit de fide et de baptismo, puta illud Marci cap. 16. v. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Si in sensu Socini explicandum esset, hunc redderet sensum: *Qui crediderit, et crediderit, salvus erit*, qui sane puerilis est et insulsus. IV. consimile huic est argumentum quod exhibent illa verba Actor. cap. 8. v. 12. *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres;* ubi certe duo manifestissime inter se distincta ponuntur, ita ut prius Philippus evangelizaverit regnum Dei, deinde viri ac mulieres baptisma receperint. V. quidquod? nonne Paulus innumeros docuit homines fidei christianae mysteria? proculdubio. Et tamen affirmat se baptizasse tantum Crispum, Cajum, et Stephanae domum. Imo in ep. 1. ad Cor. cap. 1. v. 17. inquit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Igitur non idem est baptismus ac doctrina evangelica, ut Socinus et Ostorodius blasphemant, atque adeo in assignanda baptismi natura a veritate quam longissime aberrant.

Sed his non acquiescit Socinus et provocat nos ad Scripturarum oracula. 1. enim in ep. ad Gal. inquit, cap. 3. v. 27. haec habet Apostolus: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quid est autem Christum induere nisi Christi fidem habere? Unde baptismus et Christiana fides idem omnino sunt. 2. Idem Paulus in ep. ad Hebr. cap. 6. v. 1. *Quapropter*, inquit, *intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae impositionis quoque manuum etc.* Quibus in verbis *fides, baptismus, et doctrina* promiscue usurpantur. 3. Consimilia tradit etiam Petrus in ep. 1. cap. 3. v. 21. inquiens: *Vos nunc similis formae salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Hic sane Petrus baptismi nomine aquae non intelligit ablutionem; inquit enim: *Non carnis depositio sor-*

dium, sed intelligit doctrinam evangelicam quae est *bonae conscientiae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi*.

Nescio num magis a longe argumenta sua arcessere potuisset Socinus. Et quoad primum spectat, etiamsi Christum induere idem esset ac in Christum credere, non proinde sequeretur baptismum evangelicamque doctrinam esse unum et idem, nam quum in adultis sacramento baptismatis praemitti debeat praedicatio evangelii, qui tincti sunt baptismate aquae in fide proculdubio imbuti sunt. Verum Christum induere, juxta paulinam phrasim, non est in Christum credere, ut affirmat Socinus, sed est Christi Domini justitia et sanctitate exornari, ita ut allatae sententiae sensus sit: Ablutio aquae juxta Christi institutionem hunc in vobis produxit effectum, nimirum justificationem et sanctitatem. Patet id ex eo quod idem Paulus in ep. ad Ephes. cap. 4. v. 24. hortetur fideles ut veterem hominem exuant, induantque novum, *Qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*. Hinc Chrysostomus tom. 2. in Paul. explicans allata in argumento verba scribit: *Si Christus est filius Dei, tu vero illum induisti, in illum per similitudinem transformatus es*.

Ad 2. Falsum est per Apostolum, fidem, baptismum, et doctrinam promiscue esse accipienda, sed allati commatis sensus est: Quoniam in fidei rudimentis jam satis edocti estis necesse non est ut in iis exponendis diutius immoremur, sed ad perfectiora progrediendum est. Hinc missis quae pertinent ad baptismatum doctrinam, ad manuum impositionem etc. quae jam didicistis etc. Nec regerere potest Socinus loqui Apostolum de baptismate in numero plurali, quum tamen baptisma sumptum pro ablutione per aquam unum sit juxta eumdem Apostolum ad Ephes. cap. 4. v. 5. *Una fides, unum baptisma*. Non hoc, inquam, objicere potest Socinus, nam sicuti per Apostolum unum est baptisma, ita una etiam est fides unaque evangelii doctrina. Baptismata ergo dixit, non baptisma, vel quia plures sunt qui justificationem per baptisma recipiunt, vel quia alius est baptismus fluminis, alius flaminis, et alius sanguinis.

Ad 3. Sensus verborum Petri hic est: Homines aeternam salutem consequuntur per baptismum consistentem in aquae ablutione juxta institutionem Christi, non quatenus aqua in baptismo adhiberi solita corporis sordes abluit et abstergit; sed quatenus animam interius a peccato purgat, illique imprimit justificationem quae est bonae conscientiae interrogatio etc. Videat ergo Socinus quam male ex sacris Scripturis argutetur ut baptismum cum fide et doctrina confundat ut inde baptismi necessitatem inficietur.

CAPUT II.

De materia baptismi.

Singula sacramenta suam habent materiam, ut agentes de sacramentis in genere diximus. Ea autem duplex dici a theologis solet, remota nimirum et proxima. Prior est sensibile illud elementum ad quod verbum

accedens fit sacramentum, ut phrasi utar S. P. Augustini . Altera vero est actualis materiae remotae applicatio ad subjectum . Baptismus ergo quum sit sacramentum duplici et ipse materia constat, remota nempe et proxima . Illa est aqua naturalis, haec autem ejusdem aquae ad catechumeni corpus applicatio . Haec est constans omnium catholicorum sententia circa baptismi materiam .

Incredibile tamen dictu est quam multi in hoc dogmate erraverint, et praecipue circa sacramenti hujus materiam remotam . Silentio praetereo gnosticos, anchonticos, ascodrutas, cajanos, quintillianos de quibus veteres Patres narrant aperte negasse sacramenta quaelibet sensibilia, ac proinde inficiati sunt etiam aquam esse materiam baptismi . Manichaei qui in aliquibus sacramentis signa admittebant sensibilia, autumantes aquam a malo principio fuisse conditam, docuerunt proinde baptisma in aqua collatum esse inutile ac noxium . Ab eodem sacramento arcebant aquam seleuciani quoque vel hermiani, deque his narratur tradidisse baptisma per ignem quod de Christo Matth. cap. 3. v. 11. dixerit Joannes: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni* . Etiam pauliciani manichaeorum rivulus baptismum conferebant sine aqua his solis verbis, *ego sum aqua viva*, ex eo quod Christus se aquam vivam dixerit in evangeliis . Saeculo octavo presbyter quidam existimavit ob aquae penuriam posse fieri baptismum in vino . Ob eamdem caussam, nempe ob aquae defectum quidam de Norvegia sedente Romae Gregorio IX baptizari posse autumabant in cerivisia . Recentiores haeretici a quorum calumniis nullus fere fidei articulus immunis evasit et ipsi in hoc dogmate turpiter erraverunt . Nam Lutherus in colloquiis symposiacis idest convivalibus cap. 17. interrogatus an urgente necessitate validum sit baptisma in lacte collatum, respondet : *Quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizandum*, unde sequitur valere etiam baptismum in vino . Huic opinioni utroque pollice subscripsit Theodorus Beza in ep. 2. ad Thomam Tilium, nec longe ab ea recedit Calvinus qui lib. 4. inst. cap. 15. Christi sententiam, *nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* figurate interpretatur, ac per aquam intelligit sanguinem Christi propter mundandi abluendique similitudinem . Atque hi sunt qui de remota baptismi materia male senserunt .

Quoad proximam ejusdem sacramenti materiam quae consistit, ut diximus, in aquae ad catechumeni corpus applicatione, observandum est triplici modo illam fieri posse, vel per immersionem si nempe corpus immergatur aquae, vel per affusionem si eadem aqua capiti affundatur, vel per aspersionem si multae guttae projiciantur supra cathecumeni corpus . Catholicorum sententia est validum esse baptisma sive per immersionem sive per affusionem aut etiam aspersionem collatum, neque enim diversus ille baptizandi ritus sacramenti mutat substantiam . Non diffitemur tamen ab initio Ecclesiae usque ad saeculum 13. obtinuisse ut plurimum consuetudinem baptizandi per immersionem et quidem trinam .

Hoc in dogmate non lutheranos et calvinistas, sed recentiores graecos schismaticos adversarios experimur . Marcus enim ephesius post solu-

tum florentinum concilium cui interfuit, ut graecos a statuta cum latinis pace revocaret, eosque ad datam fidem frangendam induceret, epistolam dedit encyclicam ad omnes orbis episcopos in qua illud tamquam infandum scelus exprobrat latinis quod baptisma conferant non per immersionem sed per affusionem; ex quo consequitur, ajebat, duo esse in Ecclesia baptismata si statuta in florentina synodo unio retineatur: *Bina baptismata peraguntur, alterum quod trina immersione perficit baptizatum, alterum quod aquae infusione a summo vertice confertur*. Paucis hisce praemissis sit modo

CONCLUSIO I.

Sola aqua vera et naturalis est remota baptismi materia.

Prob. 1. ex sacris litteris. Matth. cap. 28. v. 19. Christus sic alloquitur discipulos suos: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei*. Actor. cap. 8. *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari?... et descenderunt uterque in aquam Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua etc.* Actor. cap. 10. v. 47. *Respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi?* Ad Ephes. cap. 5. v. 26. *Mundans lavacro aquae in verbo vitae*. In quae verba sic scribit S. P. Augustinus tract. 15. in Joan. *Sed forte ait aliquis, baptizat quidem Christus in spiritu, non in corpore. Quasi vero alterius dono quam illius quisquam etiam sacramento corporalis et visibilis baptismatis imbuatur. Vis nosse quia ipse baptizat, non solum spiritu, sed etiam aqua? Audi Apostolum: Sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquae in verbo ... mundans eam. Unde? lavacro aquae in verbo. Quid est baptismus Christi? lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus.*

Prob. 2. ex SS. Patribus. Justinus martyr in apol. 2. de iis qui ex gentilismo ad christianam fidem veniebant, inquit: *Deinde eo adducuntur a nobis, ubi aqua est ... in aqua tum lavantur*. Tertullianus lib. de baptismo: *Felix*, inquit, *sacramentum aquae nostrae qua ablutis delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur*. Hieronymus in ep. 83. ad Ocean. inquit: *Spiritus Dei ferebatur super aquas, et nascentem mundum in figura baptismi parturiebat*. Et ante illum Cyprianus post Apostolum in ep. 1. ad Cor. cap. 10. affirmat in sua epistola septuagesima sexta transitum maris rubri fuisse figuram christiani baptismatis quo homo transiens per aquam diaboli nequitiam frangit. Legatur Ambrosius in lib. de mysteriis, Augustinus in singulis adversus donatistas operibus, et alibi. Reliquorum Patrum sententias consulto praetereo ne in re meridiana luce clariori tempus terere videar. Haec enim fuit perpetua et con-

stantissima Ecclesiae praxis a Christo et apostolis usque ad haec nostra tempora baptismum non in alia materia conferre quam in aqua vera et naturali. Hinc Gregorius IX. in rescripto ad nidrosiensem episcopum irritum declarat baptismum in cervisia collatum. Hinc etiam florentinum concilium in instruct. armen. fidenter pronuntiat materiam sacramenti baptismi esse aquam veram et naturalem. Hinc denique tridentina synodus sess. 7. can. 2. hanc edidit fidei definitionem: *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini Jesu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

CONCLUSIO II.

Ab initio Ecclesiae usque ad saeculum XIII. in Ecclesia tum graeca tum latina baptismus collatus fuit per trinam immersionem, quamvis non raro probatus fuerit baptismus sive unica mersione sive infusione collatus.

Prob. 1. pars. I. can. 49. inter illos qui dicuntur apostolici sic habet: *Si quis episcopus vel presbyter non tria unius mysterii baptismata perfecerit, sed unum baptismum, qui datur in mortem domini, deponatur.* Dionysius de eccl. hierarchia cap. de bapt. *Per illum episcopus mergit, hac trina illius mersione, et emersione tres beatitudinis divinae personas inclamans.* Quamvis monumenta haec non illorum auctorum ab accuratioribus criticis existimentur quibus vulgo tribuuntur, antiquissima tamen esse quum nemo diffiteatur, satis veterem ostendunt trinae immersionis in conferendo baptismate consuetudinem. II. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 17. *Ipsam porro*, inquit, *olei inunctionem quis sermo scriptus proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura haustum?... nonne ex minime publicata, et arcana hac traditione?* Trinae hujus immersionis meminerunt quoque Chrysostomus hom. 4. in ep. ad Colos. Cyrillus hierosolymitanus catech. 2. myst. et ante hos Eusebius caesariensis lib. 6. hist. eccl. Ecclesia ergo graeca ex traditione se accepisse testatur baptismum per trinam immersionem. III. sed luculentissima quoque Ecclesiae latinae monumenta demonstrant usque ad saeculum 13. baptismum trina immersione fuisse collatum, nam praeter canonem apostolicum supra laudatum quem unum esse ex receptis in Ecclesia romana omnes fatentur, Tertullianus auctor antiquissimus de coron. mil. cap. 3. scribit: *Aquam adituri ... aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo et pompis et angelis ejus: dehinc ter mergitamur.* Et cap. sequenti affirmat hunc aliosque sacros in Ecclesia vigentes ritus descendere ex traditione. Saeculo 3. nempe S. Cypriani aetate adeo communis erat trina immersio in conferendo baptismate ut Magnus in africa episcopus dubitaverit an baptisma per infusionem collatum validum esset; unde Cyprianus a Magno

interrogatus sic rescribit: *Quaesisti etiam, fili carissime, quid mihi de illis videatur qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur: an habendi sint legitimi christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi? Nos quantum etc.* S. Ambrosius ita inscribit caput 7. libri 2. de sacramentis, *de triplici immersione in baptismum, et triplici interrogatione*; idem autem caput incipit: *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti: credo, et mersisti, hoc est sepultus es. Interrogatus iterum: Credis in Dominum nostrum J. C. et in crucem ejus? dixisti: credo, et mersisti. Tertio interrogatus es: Credis et in Spiritum sanctum? dixisti: credo, tertio mersisti*. S. Hieronymus in dial. adv. luciferianos: *Multa*, inquit, *quae per traditionem in ecclesiis observantur auctoritatem sibi scriptae legis usurparunt, velut in lavacro ter caput mergitare*. Idem affirmant Gregorius M. ep. 43. Alcuinus, Amalarius, Valafridus, Strabo 9. saeculi scriptores. Idem S. Bernardus, Hugo Victorinus, et Magister sententiarum qui saeculo 12. floruerunt. Idem denique S. Thomas theologus praeclarissimus 13. saeculi, qui p. 3. art. 8. q. 66. inquit: *Communiter observatur in baptismate trina immersio, et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum ecclesiae non observans*. IV. his omnibus addi possunt euchologia graeca quae videri possunt apud Goarium, et ordo romanus qui in cap. de sabbato sancto haec habet: *Acceptis infantibus a parentibus vel patrinis eorum, baptizantes eos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocantes etc.*

Prob. modo altera pars, quod videlicet non raro probatus fuerit baptismus per unicam mersionem collatum. Nam I. initio saeculi 6. multae Hispaniarum ecclesiae quum ad magis magisque arianorum haeresim vitandam baptismum conferre ceperint unica mersione, Gregorius M. novam illam consuetudinem plenis calculis approbavit in ep. ad Leandrum ubi sic inquit: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando et tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nuncusque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur*. II. concilii toletani IV. Patres animadvertentes consuetudinem baptizandi una vel trina mersione dissidia et schismata excitare, Gregorii M. decretum edito canone confirmarunt. Sic autem habet canon ille num. 6. *De baptismi sacramento, propter quod in hispaniis quidam sacerdotes trinam, quidam simplicem mersionem faciunt, a nonnullis schisma esse conspicitur, et unitas fidei scindi videtur: num dum partes diversae in baptizando quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt: proinde quid a nobis in sacramenti diversitate faciendum sit, apostolicae sedis informemur praeceptis, non nostram, sed paternam* (B. Gregorii) *instructionem sequentes ... Quapropter quia de utroque sacramento quod fit in sancto baptismo a tanto viro reddita*

est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur: propter vitandum tamen schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplicem teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, haereticorum probare assertionem, dum sequuntur et morem. III. Valafridus Strabo de reb. ecclesiast. cap. 26. *Alii trinam*, inquit, *immersionem volunt in similitudinem triduanae sepulturae, ut in canonibus apostolorum statutum habetur, et romanorum consuetudo observat: alii unam propter unitatis divinitatem contendunt, ut in concilio toletano plenissime habetur; ubi etiam commemoratur, quod B. Gregorius interroganti super haec Leandro inter cetera ita responderit: Quia in una fide nihil officit ecclesiae consuetudo diversa*.

Prob. 3. pars, approbatum nimirum fuisse etiam baptisma infusione collatum. I. in actis martyrii S. Laurentii ejusque vita narratur hunc sanctissimum martyrem baptismum contulisse Romano per affusionem, aqua nempe ex urceo effusa super caput ejus, ut observavit cl. Martene, confirmatque ex vetustissima pictura existente adhuc in basilica S. Laurentii in agro verano. Idem Martene baptisma collatum antiquitus fuisse aliquando per infusionem demonstrat etiam ex actis SS. Gratiliani, Bacchi junioris, et Luidgeri. Addunt Mabillonius et Ciampinius varias antiquas figuras in quibus baptisma per infusionem collatum repraesentatur. II. Magnus in Africa episcopus dubitabat an baptismus clinicorum qui nonnisi per infusionem conferri poterat esset admittendus, deque hoc dubio scripsit ad B. Cyprianum ut supra animadvertimus. Hic autem sic haesitanti Magno respondet: *Nos quantum concipit mediocritas nostra aestimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina; nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur: neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et seculari sordes cutis et corporis abluuntur ... unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere ... Et idcirco quantum fide concipere et sentire nobis datur, mea sententia haec est, ut christianus judicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege et jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat, eos nihil consecutos eo quod aqua salutari tantum perfusi sunt, sed inanes et vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, et convaluerint, baptizentur*. Haec tam clara sunt ut nullo indigeant interprete. III. idem baptismus clinicis collatus tamquam validus declaratus et habitus est a concilio neocaesariensi celebrato anno 314. ut ex canone 12. colligitur, et a multis aliis subsequentibus conciliis. Cumque baptisma clinicis conferri non posset nisi per infusionem aut aspersionem, sequitur baptisma infusione collatum fuisse approbatum ab Ecclesia. IV. demum saeculo 13. jam usus invalescere ceperat baptizandi etiam quacumque praecisa necessitate per infusionem, quum S. Thomas qui obiit an. 1274. ita scribat 3. p. q. 66. art. 7. *Quamvis tutius sit baptizare per*

modum immersionis , quia hoc habet communior usus etc. Quod si communior usus erat baptisma conferre per immersionem ut antiqua ferebat consuetudo , invaluerat jam usus baptizandi per infusionem .

CONCLUSIO III.

Validum semper est baptisma sive immersione trina vel una , sive affusione , sive etiam aspersione conferatur .

Et validum quidem esse baptisma trina immersione collatum non diffitentur , immo eo dumtaxat modo administratum gratiam producere contendunt graeci schismatici . Valere etiam baptismum per unicam immersionem satis superiori conclusione probavimus ex consuetudine ecclesiae Hispaniarum a Gregorio M. approbata ; neque enim magnus ille Pontifex permittere voluisset Ecclesiam in Hispaniis deficere si baptismus unica mersione collatus revera invalidus esset . Nec minus solide baptismi sive per infusionem sive per aspersionem collati validitatem demonstrant ea . quae superiori conclusione produximus , si namque veteres nostri existimassent nullo alio modo baptizari potuisse nisi per immersionem , consuetudinem hanc retinendam esse quacumque emergente necessitate proculdubio docuissent . Quae licet ita se habeant, ad clariorem nihilominus veritatis confirmationem sequentia addemus monumenta . Itaque

Prob. 1. ex ipsa baptismi institutione quae sic exprimitur in sacris litteris : *Euntes docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris etc.* Et : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Ut quis valide baptismi sacramentum suscipiat juxta Christi Domini verba, opus est ut naturali aqua abluatur ; porro aquae naturalis habetur ablutio sive immersione sive affusione sive aspersione sacramentum administretur ; neque enim in baptismi institutione unum vel alterum abluendi modum Christus determinavit , ut ex recitatis sententiis apparet .

Prob. 2. exemplo Apostolorum . In Act. apost. enim ap. 2. narratur Petrum in una concione baptismate tinxisse circa tria millia hominum : *Qui ergo receperunt sermones ejus , baptizati sunt : et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia .* Et cap. 4. hoc idem dicitur de quinque millibus virorum : *Multi eorum qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia .* Idem Petrus in mamertino carcere Romae detentus baptizavit Processum. Martinianum et multos milites . Etiam Paulus Actor. 16. custodem carceris totamque domum ejus baptizavit . Ast inverisimile omnino videtur ut tot millia hominum tam brevi temporis spatio baptizari potuerint per immersionem , aut per immersionem administrasse baptismum principes apostolorum in carceribus existentes .

Prob. 3. testimonio veterum Patrum . S. Cyprianus in ep. ad Magnum saepe citata non solum affirmat , sed Scripturarum testimoniis demonstrat valere baptismum perfusione vel aspersione consecratum , ita enim scribit : *Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi viden-*

tur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur: quandoquidem Scriptura sancta per Ezechielem prophetam loquatur, et dicat: Et aspergam super vos aquam mundam etc. unde apparet aspersionem quoque instar salutaris lavacri obtinere: et quando haec in Ecclesia fiunt, ubi sit et dantis et accipientis fides integra, stare omnia, et consummari, ac perfici posse majestate Domini et veritate. Alia ibidem affert ex Scriptura testimonia ad id confirmandum. Non aliter sentire videtur S. P. Augustinus ubi lib. 6. contra Donat. cap. 7. approbat laudatam Cypriani epistolam. Accedit quod idem S. doctor inquit tract. 80. in Joan. *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem.* Per verbum autem fidei intelligit Augustinus formam baptismi. Et ita quidem sentiebat Ecclesia illis prioribus saeculis. Videamus modo quid deinceps crediderit. Strabo Valafridus noni saeculi auctor in lib. de reb. eccl. cap. 26. inquit: *Notandum autem, non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos fuisse baptizatos, et adhuc posse baptizari, si necessitas sit: sicut in passione S. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum; hoc enim solet evenire cum provectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur.* Circa autem duodecimum saeculum quando in Ecclesiam introduci cepit baptizandi modus per infusionem loco immersionis, nemo plane reclamavit. Quod argumento est fideles credidisse mutationem fieri non in aliquo dogmate, sed in re ad meram disciplinam pertinente, ac proinde nihil interesse ad baptismi substantiam quocumque modo ablutio fiat. Hinc Rituale romanum jussu Pauli V. summi pontificis editum inquit: *Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro ecclesiarum consuetudine retineantur.*

SCHOLION

Ex verbis Ritualis romani mox recitatis facile deprehendes, nunc etiam in latina Ecclesia licitum esse baptisma conferre per immersionem. Quod ex alio Rituali romano Gregorii XIII. confirmatur ubi praescribitur, quod si baptismus per immersionem sit conferendus, *baptisterium humilius jaceat, ac late patens cum suis gradibus extruatur.* Hinc patet recentiores graecos nonnisi per summam injuriam latinos accusare quod veterem aboleverint damnaverintque consuetudinem.

Etsi autem validum sit baptisma quocumque ex tribus recensitis modis conferatur, ut hactenus demonstravimus, peccaret tamen qui nulla cogente necessitate propriae ecclesiae consuetudinem non sequeretur; unde illicite baptisma conferret per infusionem minister ecclesiae orientalis, et illicite ecclesiae occidentalis se gereret baptisma conferendo per immersionem ubi ea non viget consuetudo. Cujus rei rationem tradit S. P. Augustinus in ep. 54. alias 118. ad Januar. dicens: *Nec disciplina ulla*

est in his melior gravi prudentique christiano , quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque forte devenerit . Quod enim neque contra fidem , neque contra bonos mores convincitur , indifferenter est habendum .

CAPUT III.

Proponuntur argumenta adversariorum et resolvuntur .

Obj. 1. cont. 1. concl. Discrimen aliquod interesse debet inter Joannis Christique baptisma , sed in alio reponi nequit discrimen illud nisi in eo quod baptisma Joannis conferretur in aqua naturali , illud autem Christi non item , nam ipse Joannes Matth. cap. 3. ajebat : *Ego baptizo vos in aqua : qui autem post me venturus est , ipse vos baptizabit in Spiritu sancto , et igni* . II. et discrimen in hoc praecise consistit quod baptisma Joannis in aqua , illud autem Christi in Spiritu et igni sit conferendus : *Ego baptizo vos aqua ... ipse vos baptizabit in Spiritu, et igni* . III. nec metaphorice sumendum est nomen ignis , alioquin regerere poterit Calvinus metaphorice et non litteraliter sumenda quoque esse verba illa , *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.*

Resp. Discrimen quod inter Joannis ac Christi baptisma intercedit , non repetitur ex materia quae in utroque diversa sit , sed tum ex forma tum ex virtute et efficacia . Ex forma quidem , quoniam baptisma Christi cum invocatione Trinitatis confertur , non item baptisma Joannis . Ex efficacia vero , quoniam baptisma Joannis gratiam sanctificantem conferebat ex opere operantis , intuitu nempe poenitentiae , baptisma autem Christi sanctificat homines ex opere operato , virtute nimirum et efficacia ab ipso Deo illi communicata . Atque hoc sensu intelligenda sunt ejusdem Joannis verba in argumento allata , ut ex integro textu apparet qui sic habet : *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam : qui autem post me venturus est , fortior me est ... ipse vos baptizabit in Spiritu sancto , et igni.*

Ad 2. Nomen ignis in allata sententia sumendum est metaphorice pro intimo effectu Spiritus sancti , vel pro ignis specie qua idem Spiritus sanctus in die Pentecostes super discipulos descendit . Eo loci ignem significare internam Spiritus sancti virtutem passim affirmant omnes latini Patres . Denotare autem speciem ignis qua Spiritus sanctus illapsus est super apostolos tenent Patres graeci innixi auctoritati Actuum Apost. ubi cap. 1. v. 5. legitur : *Joannes quidem baptizavit aqua : vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies* . Utramque explicationem amplectitur Catechismus rom. p. 2. tit. de bapt. n. 7.

Ad 3. Verba Christi , *nisi quis renatus fuerit etc.* litteraliter , verba autem illa , *in Spiritu sancto , et igni* metaphorice revera sunt interpretanda . Et ratio est, quoniam Apostoli aquam naturalem in consecrando baptismate adhibuerunt . Ecclesia universa usque ad praesentem aetatem non aliter evangelicam illam sententiam intellexit nisi litteraliter , nec aliter baptisma contulit nisi per aquam . E contra vero pauci iique a ve-

ritate aberrantes homines illud testimonium, *in Spiritu sancto, et igni* intellexerunt litteraliter, eaque de caussa ab Ecclesia fuere proscripti tamquam haeretici.

Obj. 2. Calvinus. Nomen aquae in dominica sententia non significat materiam baptismi. Nam nomine Spiritus sancti in eadem sententia non intelligitur certe materia baptismi. Unde nec nomine aquae.

Resp. Quum enim baptisma sit sacramentum, adeoque constare debeat sensibili signo, facile intelligitur aquam naturalem quidem quae sensibilis est, non autem Spiritum sanctum esse materiam baptismi. Hinc semper Ecclesia per aquam in laudato testimonio materiam, per Spiritum sanctum vero virtutem et efficaciam baptismatis intellexit.

Urgebis adhuc. Dominica sententia, *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, non aliter quam metaphorice revera accipienda est. Ergo etc. Prob. Illa a Christo prolata, sic Nicodemus obstupefactus respondit: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci?... Quomodo possunt haec fieri?* Cui subdidit Christus: *Tu es magister in Israel, et haec ignoras?* Sane, si litterali sensu aquae nomen sumendum esset, immerito Christus inscitiae Nicodemum accusasset, res enim haetenus inaudita fuerat ut naturalis aqua vim haberet delendi peccata. Sensu ergo metaphorico, non litterali voluit Christus ut a se prolata sententia, *nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* intelligeretur.

Resp. Nicodemum a Christo inscitiae accusatum fuisse non quod modum ignoraret novae per baptismum nativitatis, id siquidem hactenus inauditum fuerat, sed quod ignoraverit rem ipsam, nempe fieri posse ut homo naturaliter natus, spiritualiter renascatur; unde merito ei objurgavit, *Tu es magister in Israel, et haec ignoras?* Rem ita se habere patet legenti laudatum Joannis caput 3.

Dices. Evangelica sententia, *nisi quis renatus etc.* hunc sensum habere videtur: *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu aqueo*, qui totus metaphoricus est. Nam in graeco textu legitur, *ex aqua, et spiritu*, ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος, quae phrasis idem significare videtur ac si quis diceret, *nisi quis renatus fuerit ex spiritu abluente quasi aqua*. Nec officit quod etiam in graeco textu habeatur particula καὶ *et*, illa namque particula explicativa est, quemadmodum in ep. ad Colos. cap. 2. v. 8. *Ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam*, hoc est per inanem fallaciam philosophiae. Hujus rei exempla innumera sunt in Scriptura.

Resp. falsam esse allatam Grotii interpretationem, duo enim distincte recensentur in textu Joannis, aqua nimirum et Spiritus, unde intelligimus aquam esse extrinsecam baptismi materiam, Spiritum vero internam sacramenti virtutem, ut universa semper tenuit traditio Ecclesiaeque praxis exemplo apostolorum innixa. Nec refert quod in graeco textu habeatur, *ex aqua, et Spiritu*, absque addito *sancto*, additum enim illud subintelligitur tum quia Praecursor jam dixerat, *ille vos baptizabit in Spiritu sancto*, tum quia nomine Spiritus in sacris litteris saepe intelligitur tertia

Trinitatis persona juxta illud Marci 1. *Vidit caelos apertos, et Spiritum tamquam columbam descendentem*. Multoque minus officit quod dictum est de particula copulativa *et*, neque enim semper est explicativa; alioquin illis Christi verbis, *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* demonstrari non posset Trinitas personarum.

Obj. 2. adv. eamd. 1. concl. duo historica facta quae demonstrant aquam naturalem non esse materiam remotam baptismi. I. Joannes Moscus in prato spirit. cap. 176. et Nicephorus hist. lib. 3. cap. 37. narrant juvenem quemdam judaeum per deserta loca iter habentem, ad extremas redactum angustias baptismum a sociis petiisse, cumque deesset aqua comites itineris ter arenam in eum injecerunt invocato nomine Trinitatis. Baptisma illud validum fuisse probavit eventus, juvenis enim febre ac siti pene resolutus extemplo convaluit; ex quo sequitur ut urgente saltem necessitate ad valide consecrandum baptisma minime necessaria sit aqua. II. Stephanus III. summus pontifex probavit baptismum in casu necessitatis collatum in vino, interrogatus enim de quodam presbytero qui aqua deficiente puerum in vino baptizaverat, ita Stephanus respondet: *Si in vino quis propterea quod aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo*.

Resp. ad 1. collatum in arena baptismum, de quo Joannes Moscus et Nicephorus, fuisse omnino nullum et irritum, nam iisdem narrantibus scriptoribus judaeus ille fuit deinceps baptizatus in aqua. Moscus enim ibidem inquit: *Visum beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Jordanem, ibique baptizari*. Nicephorus autem: *Ille vero* (nempe episcopus) *admiratione stupens Ecclesiam consuluit, cui visum est aqua insuper ad eum modum initiatum, juxta Ecclesiae traditionem abluendum esse*. Recuperata vero a judaeo per miraculum valetudo ferventem illius fidem demonstrat, non sacramenti validitatem.

Ad 2. dico 1. rescriptum illud aut incertum esse aut saltem aliena manu corruptum, nam nonnulli codices illud adscribunt Stephano II. alii pontifici ejusdem nominis III. alii denique Siricio qui saeculo 4. Ecclesiam rexit. Immo codex S. Mariae laudunensis laudatam sententiam adscribit Stephano episcopo tornacensi, ita enim concluditur codex: *Finis definitionum Stephani Papae tornacensis*. 2. Existimat Natalis Alexander hist. eccl. saec. 8. cap. 1. art. 6. errorem in textum negligentia amanuensium irrepsisse, atque hoc modo legendum esse: *Nulla ei* (sacerdoti) *adscribitur culpa, si sic infantes permanserint*. Quod si verum sit, definitio excusat quidem ministrum a culpa et vinculo excommunicationis, non declarat autem validum esse baptisma. 3. Denique respondent alii, quod dato etiam quod rescriptum illud sit romani Pontificis, nec fuerit unquam corruptum, non proinde catholicae sententiae quidquam officit, est enim rescriptum, inquiunt, romani Pontificis ex privata persona non ex cathedra loquentis. Nititur haec responsio auctoritati codicis laudunensis ubi legitur: *Domnus Papa Stephanus in cari-*

siaco villa britanniaco monasterio ad interrogata haec dedit responsa .

Obj. 3. adv. 3. concl. Cornelius romanus pontifex in concilio 60. episcoporum Romae habito Novatiani antipapae baptisma quod infusione non trina immersione consecratum fuisset, in lectulo enim mortis baptismum accepit, nullum et irritum declaravit; sic namque ait apud Eusebium hist. eccl. l. 6. cap. 43. *Dum jam jamque moriturus creditur, in ipso in quo jacebat lectulo, perfusus baptismum suscepit, si tamen hujuscemodi baptismum suscepisse dicendus est*.

Resp. Cornelius irritum censuit Novatiani baptismum per infusionem receptum quoad effectum sacramenti, non quoad ejusdem sacramenti substantiam. Mos erat primis illis temporibus in Ecclesia receptissimus ut baptizati in lectulo mortis irregulares haberentur, adeoque non poterant ad sacros ordines promoveri. Et quidem merito. Quomodo enim poterant alios docere arcana fidei religionisque mysteria, et sacerdotii munera obire qui rerum earumdem ignari, necessitate ducti et metu mortis potius quam studio fidei permoti ad baptismum pervenerant? Hinc canon apostolicus superiori cap. a nobis laudatus deponi jubet episcopum vel presbyterum qui *non tria unius mysterii baptismata perfecerit*. Et rationem addit ab ea quam mox attulimus minime discrepantem, concilium neocaesariense can. 12. *Quia non ex proposito fidei illorum, sed ex necessitate descendit*. Ex quibus apparet baptismum clinicorum habitum fuisse antiquitus tamquam illicitum, non vero tamquam nullum et irritum, quum nullibi legatur hujusmodi clinicos fuisse rebaptizatos. Novatianus ergo qui dum moriturus credebatur in ipso lectulo mortis baptismum suscepit, nec adhuc a morbo liberatus ad sacros ordines contra ecclesiasticam regulam universoque repugnante clero conscenderat dubitandi locum dedit an ejusdem baptismatis gratiam fuerit revera consecutus, praesertim cum schisma ab eo subinde excitatum non subobscure indicaverit, timore mortis, non christianae fidei studio commotum se baptismum petiisse, atque id verbis illis exprimere voluit sanctissimus pontifex, *si tamen hujuscemodi baptismum suscepisse dicendus est*.

Obj. 4. cont. eamd. 3. concl. Magnus africanus episcopus, de quo superiori cap. dubitavit de validitate baptismi a clinicis recepti, unde illa aetate certum non erat baptisma per infusionem consecratum sacramenti substantiam non immutare.

Resp. 1. Sunt nonnulli qui censent Magnum dubitasse dumtaxat de effectu, non de valore baptismi. Et sane, inquiunt, si tota legatur Cypriani epistola nihil in illa invenitur quod pro certo statuat dubitasse Magnum de valore baptismi. Verum his non assentior, quoniam Cyprianus hisce verbis propositam sibi a Magno quaestionem exponit: *Quaesisti etiam quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi*. Quid est autem inquirere an aliquis sit legitimus christianus, nisi dubitare an ille valide sit baptizatus?

Resp. 2. Magnum dubitasse quidem de clinicorum baptismatis vali-



ditate, sed acquievisse responsioni B. Cypriani qui multis argumentis ostendit diversum baptizandi ritum sacramenti substantiam non immutare. Nec quemquam movere debet quod priscis illis temporibus aliquis subdubitaverit de valore baptismi per infusionem collati, ritus enim baptizandi per trinam immersionem erat communis, e contra non omnibus vera Ecclesiae doctrina circa modum baptizandi satis perspecta erat.

Instabis. Atqui cum Magno episcopo africano dubitabat communiter ipsa Ecclesia de valore baptismi clinicorum; quod patet ex responsione S. Cypriani qui licet baptismum illum validum existimaret, suam nihilominus sententiam non uti certam proposuit, sed cuique facultatem reliquit sentiendi prout ipsi libuerit: *Qua in parte nemini verecundia et modestia nostra praejudicet, quominus unusquisque quod putaverit sentiat, et quod senserit faciat*. Quod argumento est etiam ipsum Cyprianum dubium haesisse de hujuscemodi baptismatis validitate.

Resp. S. Cyprianum non dubitanter, sed assertive ac definiens suam de clinicorum baptismo sententiam tradidisse, multa enim ad illam adstruendam prophetarum oracula et testimonia Scripturarum in medium adducit. Relege S. doctoris verba cap. superiori relata. Quod vero cuique suam sequendi opinionem fecerit facultatem, id non dubitationis, sed modestiae et humilitatis indicium est. De quaestione enim agebatur non adhuc in Ecclesia exploratissima, nec in aliquo concilio expresse definita. E contra qui in lectione S. Cypriani hospes omnino non fuerit ignorare non potest quanta esset hujus sancti viri animi lenitas. Illam certe admiratus est et laudibus extulit S. P. Augustinus multis in locis et praesertim in libris de baptismo adv. donatistas.

Sed inquies. Interim S. Cyprianus permittit illum qui in infirmitate per infusionem baptizatus fuit, iterum baptizari si de sui baptismi dubitet validitate: *Si aliquis existimat eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, et convaluerint, baptizentur*. Non ergo S. Cyprianus sententiam suam tamquam certam habebat.

Resp. Ita animo comparatus erat sanctissimus martyr ut adversarios suos numquam damnaret nisi haeretici essent. Hujus rei specimen habemus in causa rebaptismi, nam licet ipse pro certo teneret collatum ab haereticis baptismum esse iterandum, nunquam tamen pacis et concordiae vincula fregit cum iis qui venientes ab haeresi non rebaptizabant. E contra quum ille qui in lectulo mortis sacramentum baptismi susceperat, se minime baptizatum existimaret, donec ineluctabile dubium abjiceret, ut propriae saluti consuleret debebat proculdubio iterum baptizari. Ad dubium autem abjiciendum satis non erat sola Cypriani auctoritas, quum nihil ea aetate definite pronuntiatum esset circa diversum baptizandi ritum ab Ecclesia.

Obj. 5. adv. eamd. 3. concl. Veteres Patres tam graeci quam latini dissertissime affirmant baptismum per trinam immersionem ab apostolica traditione descendere. Tertulliani, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, alio-

rumque loca citavimus cap. superiori inter concl. 2. probationes. Est ergo ritus trinae mersionis necessarius ad baptismi validitatem.

Resp. Veteres Patres ritum trinae immersionis accensent apostolicis traditionibus pertinentibus ad disciplinam, non pertinentibus ad fidem. Traditiones ad fidem vel mores spectantes nullo modo certe abrogari vel mutari possunt. Quae vero pertinent ad disciplinam pro temporum locorum et circumstantiarum diversitate et opportunitate mutari, suspendi et etiam abrogari possunt. *Regula fidei*, inquit Tertullianus l. de vel. virg. cap. 1. *una omnino est, sola immobilis, irreformabilis ... cetera jam disciplinae et conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei*. Porro sancti Patres ritum trinae immersionis annumerant traditionibus apostolicis pertinentibus non ad fidem et mores, sed ad disciplinam; nam iidem sancti Patres et universalis Ecclesia quae est falli nescia aliquibus in casibus non raro usurparunt ritum baptizandi per infusionem et etiam per aspersionem, ut multis praecedenti cap. demonstravimus.

Instabis. Atqui ritum baptizandi per trinam immersionem adnumerant Patres inter traditiones ad fidem spectantes, ergo etc. Chrysostomus in hom. de fide, *Omnibus mysteriis*, inquit, *veluti sigillum imponens dominus in tribus mersionibus aquae unum baptisma discipulis suis tradidit*. Consimilia habet Pelagius 2. in ep. ad Gaudent.

Resp. Praeceptum Christi juxta laudatos Patres non cadit absolute supra trinam immersionem, sed supra rem per trinam mersionem significatam, videlicet supra invocationem sanctissimae Trinitatis. Et revera post allata in argumento verba ita Chrysostomus prosequitur: *Unum baptisma discipulis suis tradidit*, *dicens*: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Clarius etiam id exprimit Pelagius Papa cujus haec verba sunt: *Multi sunt qui in nomine solummodo Christi, una etiam mersione se asserunt baptizare; evangelicum vero praeceptum, ipso domino et Deo Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum baptisma unicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis: ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Deinde dici etiam potest sanctos Patres affirmantes Christum praecepisse baptismum per trinam immersionem, accepisse praecepti nomen latiori quodam sensu, quatenus nimirum ejusdem Christi Domini exemplum qui procuidubio per immersionem baptizatus est, tacitum quoddam nobis traditum praeceptum ipsis visum est.

Dices. In conferendo baptismate exprimi debet Trinitas personarum, ut ex allata responsione colligitur; ast baptisma collatum unica mersione Trinitatem personarum non exprimit.

Resp. Necesse non est ut Trinitas personarum exprimatur per usum materiae, sed satis est ut significetur per usum formae; quod certe expresse fit etiam in baptismate collato vel per unicam mersionem vel per affusionem vel etiam per aspersionem.

Sed inquies. Ritum per unicam mersionem baptizandi primi invexerunt eunomiani refutati in hoc a Theodoreto qui lib. 4. haeretic. fabul. cap. 3. *Ipse*, inquit de Eunomio, *subvertit quoque sancti baptismi ritum a Christo et apostolis traditum, et contrariam legem aperte tulit dicens, non oportere ter mergere eum qui baptizatur*.

Resp. Ex concilio constantinopolitano I. can. 1. constat eunomianorum baptisma esse iterandum propterea quod sacramenti formam corrumpebant; morem ergo deturpandi formam quam cum una mersione etiam extra necessitatem adhibebant eunomiani reprehendit Theodoretus; unde post allata verba statim subdit: *Nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi*.

CAPUT IV.

De forma sacramenti Baptismi.

Ingens quidem fuit numerus hominum qui vel ab ipsis Ecclesiae incunabulis errarunt circa materiam baptismi, ut hujus lib. cap. 2. observavimus. Sed non minores numero, ut arbitror, fuerunt qui peccarunt in ejusdem sacramenti formam. 1. Nonnulli ignoti nominis haeretici, quorum pravam consuetudinem damnant can. 48. inter apostolicos, et Vigilius Papa ep. 2. cap. 6. baptizabant in tribus patribus, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis, ejecti propterea ab Ecclesia Dei. 2. Valentiniani seu gnostici, ut testis est S. Irenaeus l. 1. adv. haer. cap. 21. hac forma baptismum consecrabant: *In nomine ignoti Patris universorum, in veritate omnium genitrice, in eo qui in Jesum descendit, in unione, et redemptione, et communione virtutum*. 3. Iidem haeretici, et marcosii a quodam Marco sic nuncupati, sed gnosticorum soboles et ipsi saepe usurpabant inter baptizandum hebraica quaedam vocabula ad superstitionem traducta quae juxta Irenaeum erant hujusmodi: *basema*, *chamossi*, *baeanora*, *mystadia*, *ruada*, *custa*, *babophor*, *calathi*, hoc est: *id quod virtutem omnem exuperat*, *invoco*, *quod lux et spiritus bonus et vita nominatur*, *quoniam in corpore regnasti*. Sic illa vertit Irenaeus. 4. Paulianistae a Paulo samosateno, sabelliani a Sabellio, et photiniani a Photino quum divinas personas in Trinitate non distinguerent, hanc pravam illorum fidem exprimere voluerunt etiam per formam baptismatis; unde pessime illam corruperunt. Hinc samosatenses seu paulianistae rebaptizari jussi sunt a concilio nicaeno I. can. 19. Concilium constantinopolitanum I. rejecit baptismum sabellianorum, et arelatense II. illud photinianorum quod vana nempe et irrita forma uterentur. 5. Evangelicam formam abjiciebant montanistae quoque seu cataphrygae baptizantes *in Patrem, et Filium, et Montanum, sive Priscillam*, ut inquit Basilius in ep. can. ad Amphiloch. tamquam pagani propterea habiti a Patribus concilii C-P. I. can. 7. Eos iterum baptizari jubet can. 8. concilii laodiceni. 6. De arianis apud eruditos quaestio est an et ipsi baptismatis

formam violaverint, aliis absolute affirmantibus, absolute negantibus aliis. Puto Athanasium or. 3. atque Hieronymum in dial. adv. Lucif. affirmantes arianos baptizare in creatorem et creaturam, et in Spiritum sanctum servum, loqui non de prolatione formae, sed de fide et animo proferentis, nam Athanasius eadem or. 3. ubi haec affirmat, ita scribit: *Qui cum Ario sentiunt, licet quod scripta sunt retineant, et nomina pronuncient, eos tamen qui ab illis accipiunt baptismum, decipiunt et eludunt*. Et Hieronymus loco mox laudato appellat Hilarium orbis Deucalionem, quod arianos rebaptizasset: atque adeo certa non videtur sententia illorum qui tenent omnes arianos perversam baptismatis formam fabricasse. E contra Theodorus lector lib. 2. collectan. narrat Deuterium arianum episcopum in baptismate cujusdam Barbae hanc usurpasse formam: *Baptizatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto*. Et Aimonius floriacensis lib. 3. hist. francor. cap. 4. testatur Brunichildem seu Brunam filiam regis Gothorum ab arianis baptizatam aliud recepisse in Galliis per manus catholicorum baptisma. Unde seqnitur ut nec absolute negari possit arianos violatae baptismatis formae reos non fuisse. Crediderunt ergo, veteres arianos retinuisse cum catholicis baptismi formam quoad sonum verborum, recentiores vero et praesertim gothos illam juxta eorum pravam fidem ausos esse corrumpere. 7. Recentiores haeretici lutherani et calvinistae nemini dubium quin nobiscum integram incorruptamque retineant in consecrando baptismate evangelicam formam. Sed quum existiment sola fide, non sacramentis homines justificari, non dubitarunt affirmare valere baptismum quibuscumque consecretur verbis, dummodo in nomine Domini, non in nomine hominis consecratio fiat. Vide Lutherum de babyl. capt. et Zuinglium lib. de vera et fals. relig. Atque hi sunt varii haereticorum errores circa formam baptismi.

Catholici omnes sive graeci sive latini in hoc conveniunt, ut utrique firma fide teneant non valere baptismum nisi forma illius expressam sanctae Trinitatis contineat invocationem. Sed non nihil inter se differunt in reliquis verbis. Et quoad graecos ita illorum forma se habet: *Baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen*. Multa de hac graecorum forma inquirere solent theologi. Et quidem 1. an illa deprecativa sit vel enuntiativa? Veteres scholastici deprecativam illam existimarunt, propterea quod persuasum ipsis erat solitos fuisse graecos dicere, non *baptizatur servus etc.* sed *baptizetur servus etc.* Verum deceptos hac in re fuisse insignes ceteroquin theologos demonstrant recentiores omnes eruditi tum ex vulgatis orientalium euchologiis in quibus legitur, *baptizatur*, non *baptizetur*, tum quia etiamsi dicerent, *baptizetur*, non sequeretur formam illam esse deprecativam, propterea quod verbum *baptizetur* esset imperativi, non optativi modi, quod sufficit ut forma sit enuntiativa. Neque reponere juvat non solum rudes, sed etiam celebriores scholasticos, imo et Eugenium IV. summum Pontificem credidisse graecos in baptismatis forma pronuncianda dicere consuevisse, *baptizetur*, non *baptizatur*, nam insigniores scholastici vel igno-

rarunt graecam linguam, vel decepti sunt ab affinitate inter graecum βαπτίζεται, et latinum *baptizetur*, rudiores vero jurarunt in verba magistri. Eugenius autem IV. utrumque pronuntiatum a graecis fuisse credidit, unde in instr. pro armenis inquit: *Non negamus quin et per illa verba, baptizetur talis servus Christi etc. vel baptizatur manibus meis talis etc.* Quinimo sunt qui arbitrentur in recitatis Eugenii verbis utrobique legi, *baptizatur*, erroremque in textum irrepsisse, quum verbum *baptizatur* occurrat in bulla Leonis X. quae incipit, *accepimus nuper*, et in alia Clementis VII. *provisionis nostrae*. Inquiri solet 2. an laudata forma graecorum sit penes illos antiqua. Euchologia certe a mille et amplius annis edita referunt baptismi formam totidem verbis expressam ac modo in usu sit, apud graecos. 3. Quaeritur cur graeci in forma baptismatis ministri personam non exprimant? Et satis probabilem caussam afferunt theologi, ut nimirum illorum exterminaretur error qui valorem sacramenti a fide et probitate ministri pendere autumabant, aut saltem ut omnis tolleretur schismatis occasio, ne quis scilicet supra alios extolleretur, quod a praestantiori ministro baptismum acceperit, ut accidit aliquando tempore apostolorum, quemadmodum constat ex ep. ad Cor. 1. cap. 1. Hinc Chrysostomus hom. 1. in Act. apost. scribit: *Non dixit Christus: Vos vero ego baptizo in Spiritu sancto, sed baptizabimini, nos docens ut modeste de nobis sentiamus*. 4. Denique ne singula persequar solet inquiri an valida sit baptismatis forma graecorum? Nemo id sane inficiari poterit, numquam enim latina Ecclesia baptizatos a graecis rebaptizavit. Et jure quidem, nam in formae substantia conveniunt omnino cum latinis quum exprimant invocationem Trinitatis, actionem baptizantis et subjectum cui conferunt sacramentum. Et haec pauca pro instituti nostri ratione delibasse sufficiat circa formam graecorum.

Quoad latinos spectat ita forma baptismi penes illos se habet: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. De hac etiam multa disputare solent theologi. Et 1. an forma illa sit vere legitima? Ac talem quidem esse patet ex decreto Eugenii IV. pro instr. armen. ex concilio tridentino sess. 7. can. 4. et ex consensu universae occidentalis ecclesiae, ut missa faciam ritualia omnia et praesertim Gregorii XIII. et Pii V. Imo et ipsi novatores lutherani et calvinistae non alia in consecrando baptismate utuntur forma quam illa. 2. Quaeri solet utrum forma haec vere sit antiqua? Nemo plane in dubium illius antiquitatem revocare poterit si animadvertat reperiri illam in terminis in sacramentario Magni Gregorii qui non tamquam rem novam, sed tamquam ritum in ecclesia latina receptum eamdem formam describit. 3. Inquiritur an latinorum forma sit perfecta? Atque perfectam esse facile demonstratur ex eo quod contineat invocationem Trinitatis et exprimat actum tingendi ac ministerium baptizantis. Quae hactenus relatae sunt quaestiunculae facillimam habent, ut patet ex dictis, solutionem. Majoris sane momenti mihi videntur tria alia quae theologorum calamum olim exercuerunt.

Quorum primum est, an ad baptismi validitatem requiratur verbum

baptizo, sive *baptizatur*, quo actus baptizantis exprimitur. Negativam sententiam sustinuit olim Petrus cantor cui non multo post subscripsit Praepositivus qui affirmat suo tempore hanc fuisse doctrinam facultatis parisiensis. Eodem saeculo 12. in eadem versabatur opinione Stephanus episcopus tornacensis, ut patet ex illius epistola ad Pontium claramontanum episcopum. Reliqui autem theologi sive veteres sive recentiores affirmant verbum *baptizo*, *baptizatur*, sive aliud huic aequivalens quod actum exprimat baptizantis, necessario requiri ad substantiam baptismi.

Altera quaestio est utrum distincta invocatio divinarum personarum sit absolute necessaria ad baptismi valorem? Multi ex antiquis scolasticis et Magister sententiarum praesertim Cajetanus, Adrianus alii existimarunt validum esse baptisma collatum in solo nomine Christi, contendentes unius personae invocationem implicite continere invocationem aliarum. Alio et quidem impio ducti principio hanc sententiam propugnant etiam sociniani, Zuinglius, Episcopius, et Vossius, quum enim hi arbitrentur justificationem a fide, non a visibili sacramento esse repetendam, satis est, inquiunt, ad fidem excitandam unius tantum personae invocatio.

Tertium denique quod in controversiam trahitur est, num apostoli baptizaverint aliquando solo invocato nomine Christi? Dubitationi huic occasionem dederunt loca nonnulla Actuum apostolicorum in quibus enunciatur, discipulos Domini baptisma contulisse catechumenis in nomine Jesu. Et S. Thomas quidem ac S. Bonaventura quos postea sequuti sunt multi eorum discipuli autumarunt nullum revera esse baptisma consecratum sine expressa Trinitatis invocatione, sed cum apostolis fuisse dispensatum ut in solo Christi nomine baptisma conferrent ad majorem venerabili eidem nomini existimationem conciliandam. Ita illi. Sed opinio isthaec penitus fere antiquata est in scholis contrarium sentientibus plerisque ex schola etiam sanctorum Thomae et Bonaventurae. His adnotatis modo sit

CONCLUSIO I.

Ut sacramentum baptismi valeat, necessario requiritur verbum baptizo, *vel* baptizatur, *aut aliud aequivalens quo actus baptizantis exprimitur.*

Prob. 1. ex universalis Ecclesiae praxi quae illud Christi Domini oraculum, *baptizantes eos in nomine etc.* ita intellexit ut semper sacrilegio duxerit omittere vocem *baptizo* vel *baptizatur*. Hinc omnes rituales libri quibus ab antiquis temporibus usi semper sunt et adhuc utuntur latini, graeci, syri, aegyptii, aliique populi, formam baptismi exhibent cum verbo *baptizo* sive *baptizatur*. Cumque id quod per universam servatur Ecclesiam ab apostolica traditione descendere credendum sit, consequitur sententiam nostram ad fidem pertinere.

Prob. 2. ex rescripto Alexandri III. rom. pontif. Quum in claramontana dieocesi pessima invaluerit consuetudo ut in necessitatis articulo ba-

ptisma conferretur absque illa clausula *ego te baptizo*, sed solis verbis *in nomine Patris etc.* Pontius episcopus claramontanus de ejusmodi formae dubitans integritate consuluit Stephanum tornacensem qui non definiendo sed opinando tantum baptismum absque verbo *baptizo* collatum approbavit. Non acquievit Pontius, deque eadem re scripsit ad Mauritium parisiensium episcopum, qui talem baptismum absque ulla haesitatione irritum declaravit dicens: *Nisi haec verba simul a quocumque et quacumque lingua proferantur, baptismum esse non credimus*. Ne diligentiam ullam praesul claramontanus omitteret, tandem controversiae hujus definitionem petiit ab Alexandro III. tunc summo Pontifice. Hic autem ita rescripsit: *Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen, et non dixerit, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen, puer non est baptizatus*.

Confirmatur allatum mox argumentum ex Innocentio IV. qui in lib. 3. decr. cap. 2. tradit ad formae substantiam pertinere verbum *baptizo*. *Quod si aliqua provincia esset quae nunquam formam nostram accepisset, et verba dicta, et alia aequipollentia nostris diceret, debent haberi pro baptizatis*. Ac denique Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, praetermissis illis, ego te baptizo*.

CONCLUSIO II.

Irritum est baptisma sine distincta trium personarum invocatione collatum.

Prob. 1. ex Scripturis. Matth. cap. 28. v. 19. Christus ita alloquitur apostolos: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Quae verba universa traditio et Ecclesiae praxis, ut ex infra dicendis apparebit, testantur intelligenda esse de praecepta trium personarum invocatione adhibenda in consecratione baptismatis. Imo sic illa intellexit etiam Apostolus in ep. ad Ephes. cap. 5. v. 25. ubi ad laudatum dominicum praeceptum alludens inquit: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae*. Interrogat Chrysostomus hom. 20. in ep. ad Ephes. *In quonam dixit verbo?* Respondet: *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Prob. 2. ex perpetua Ecclesiae consuetudine. Graeci enim, syri, cophti, latini nunquam validum existimarunt baptisma quod in nomine trium divinarum personarum non esset collatum, ut ex orientalibus euchologiis et ex latinis ritualibus patet. Hinc arelatense I. concilium can. 8. jubet, *ut qui baptizati non fuerint in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, iterum baptizentur*. Concilium nicaenum I. admittit baptismum novatianorum, illum vero paulianistarum rejicit, *quia paulianistae in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti minime baptizabant; et nova-*

tiani iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant, inquit Innocentius I. in ep. ad episcopos Macedoniae cap. 5. Brevi dicam, innumera sunt Ecclesiae universalis statuta praecipientia iterandum esse baptisma sine expressa divinarum personarum invocatione collatum.

Prob. 3. ex sanctorum Patrum consensione. Justinus martyr in apol. 2. *In nomine*, inquit, *rerum cunctarum parentis, et Domini Dei, et Salvatoris nostri J. C. et Spiritus sancti in aqua tum lavantur*. Tertullianus idem tradit multis in locis, et in lib. praesertim adv. Praxeam cap. 26. ubi sic loquitur: *Mandavit, ut tingerent in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; non in unum, nam nec semel, nec ter ad singula nomina in personas singulas tingimur*. Cyprianus in ep. ad Jubajan. ex professo refutavit nonnullos affirmantes valere baptismum collatum in solo nomine Christi, inquit enim: *Denique, ubi post resurrectionem Domini apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizari gentiles jubentur .... Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque, et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, cum ipse Christus gentes baptizare jubeat in plena et adunata Trinitate?* Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 12. *Oportet*, inquit, *inviolabilem manere traditionem ... Sicut enim credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Ambrosius lib. de myster. cap. 4. scribit: *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti remissionem non potest accipere peccatorum*. S. P. Augustinus lib. 3. de bapt. cont. donatistas cap. 15. ait: *Si evangelicis verbis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum*. Et lib. 6. cap. 25. *Certa illa evangelica verba sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent etc.* Mitto aliorum Patrum sententias quas vide apud Joan. Laur. Berti, Tournely, l' Hermenier, Juvenin, aliosque.

CONCLUSIO III.

Improbabilis omnino est opinio illorum qui tenent apostolos in solo nomine Christi baptizasse.

Prob. 1. ex dictis superiori concl. ex iis enim luculentissime apparet Christum Dominum antequam in caelum ascenderet communicasse apostolis supremam suam potestatem, *Data est mihi omnis potestas*, atque expressum imposuisse praeceptum baptizandi in nomine trium personarum: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Quod praeceptum apostolis primo, deinde reliquis Ecclesiae pastoribus eorumdem apostolorum successoribus fuisse impositum ipsi adversarii concedunt, ast improbabile omnino est apostolos Christi praecepto non obtemperasse. Imo facto constat illud a-

dimplevisse adamussim, nec baptisma consecrasse nisi in nomine totius Trinitatis. Nam in Act. apost. cap. 19. narratur Paulum ephesios interrogasse, *si Spiritum sanctum accepistis credentes*? Cumque illi respondissent, *neque si Spiritus sanctus est*, *audivimus*, Apostolum addidisse, *in quo ergo baptizati estis*? sive ut in graeco textu habetur, *in quid ergo baptizati estis*? Supponebat itaque apostolus baptisma Christi non alio unquam modo a reliquis discipulis administratum fuisse quam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Prob. 2. praecipuum adversariorum fundamentum evertendo. Ratio igitur cur adversae sententiae patroni arbitrantur apostolos in solo nomine Jesu baptizasse est, quia Christus, inquiunt, cum ipsis dispensavit ut nomen Jesu quod judaeis scandalum erat, gentilibus stultitia, honorificentius exciperetur. Haec vero ratio omnino falsa est et quidem multis de causis. 1. Si Christus cum apostolis dispensasset circa formam baptismi, nonne dispensationis hujus vestigium aliquod extaret in priscis monumentis? Ast altum de hac re tum in Scripturis tum in sanctis Patribus silentium. Scriptura meminit formae a Christo praeceptae, *baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, sed dispensationis non meminit. Sancti Patres saepe affirmant legem esse a Christo latam, ut baptisma consecretur in nomine trium personarum, sed ubinam dispensationem illam commemorant? 2. Verisimile ne est Christum qui saepe inculcabat apostolis ut facerent quae ipse mandaverat statim post promulgatam legem de forma baptismi, voluisse in illa dispensare? 3. Cui bono haec dispensatio? Ut nimirum conciliaretur gloria nomini Jesu quod erat judaeis scandalum, stultitia gentibus. At etiam Trinitas erat judaeis et gentilibus humanae mentis figmentum, unde hac eadem de caussa debebant baptisma conferre in nomine totius Trinitatis. 4. Consecrando baptisma in nomine Trinitatis magis honorabatur venerandum Jesu nomen, quia profertur una cum nomine Patris in quem gentiles et judaei credebant. 5. Denique si adversariorum allata ratio subsisteret, etiam modo necessum foret baptizare judaeos ac gentiles in solo nomine Jesu, quum etiam nunc nomen illud sit scandalum judaeis, gentilibus stultitia.

CAPUT V.

Adversariorum argumenta proponuntur ac resolvuntur.

Obj. 1. adv. 1. concl. Argumentum ex Christi verbis, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* a nobis deductum ad demonstrandum necessaria esse illa verba, *ego te baptizo*, aut aequivalentia ad baptismi validitatem, nullius roboris esse videtur. Nam eodem modo dixit Christus, *baptizantes eos*, ac, *docete omnes gentes*, sed necesse non est ut minister dicat, *ego te doceo*, ad recte praedicandum, ergo neque necessaria sunt illa verba, *ego te baptizo*, ad valide baptizandum. 2. Moyses, Elias, aliique V. ac N. Testamenti sancti miracula ediderunt

absque eo quod dicerent, *ego miraculum patro*, sic etiam ergo et in casu nostro.

Resp. in iis quae sacramenta spectant standum esse voluntati institutoris. Ideo ad recte annuntiandum verbum Dei necessaria non sunt in ministro illa verba, *ego te doceo*, et ad valide baptizandum requiruntur illa, *ego te baptizo*, quia Christus Dominus praedicationis et baptismi auctor voluit ut haec, non illa a ministro proferantur. Sic autem voluisse Christum non dignoscimus quidem ex Scriptura ubi nihil expresse habetur, sed ex constanti traditione, quum Ecclesia verba illa, *ego te baptizo*, non illa alia, *ego te doceo*, semper usurpaverit.

Ad 2. dico 1. argumentum nimis probare, nam qui miracula patrarunt nullum quandoque protulerunt verbum; unde si consistat argumentum, sequitur ministrum baptismi ad verum consecrandum sacramentum non teneri proferre formam, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quod est absurdum.

Resp. 2. Christus baptismatis institutor voluit ut sacramentorum materia certis verbis consecraretur, non voluit autem ut consecraretur verbis materia miraculorum.

Obj. 2. cont. 2. concl. Ideo ad valorem baptismi requiritur distincta personarum invocatio quoniam Christus dixit, *baptizantes eos in nomine Patris etc.* Ast haec ratio nulla est, nam etsi Apostolus in ep. ad Cor. cap. 10. v. 31. dixerit, *Sive ergo manducatis, sive bibitis ... omnia in gloriam Dei facite*; et ad Coloss. cap. 3. *omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi*, non sequitur teneri nos dicere inter manducandum et bibendum, *ego manduco*, vel, *ego bibo in gloriam Dei*, vel *in nomine Domini Jesu Christi*. Ergo a pari etc.

Resp. negando paritatem. Ratio discriminis est quoniam universalis et constans Ecclesiae traditio semper perpetuoque credidit verba Christi, non item verba Apostoli continere praeceptum de prolatione formae. Et merito quidem, quia Ecclesia optime novit Christum illis verbis, *baptizantes eos in nomine Patris etc.* instituisse proprie dictum novae legis sacramentum quod necessario verbis consecrari debet, novit autem Apostolum praecepisse ut omne opus deliberatum referatur in Dei gloriam, ut ex 1. ad Cor. cap. 10. clarius apparet, quod proculdubio fieri potest absque ulla expressa prolatione verborum.

Obj. 3. adv. eamd. 2. concl. S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. luculentissime docet ad baptismi validitatem unius vel alterius personae sufficere invocationem; sic enim inquit: *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges plenum est fidei sacramentum*. Et paullo infra: *Rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Deum Patrem a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum sanctum quo unctus est, designasti . .*

Resp. missis variis iisque non spernendis theologorum responsionibus, S. Ambrosium allata in argumento sententia loqui de invocatione unius vel alterius personae quam in sermone comprehendere debet non qui ministrat, sed qui recepit baptismum, ita ut sensus sit, suum producere effectum baptisma receptum ab eo qui postquam in fide recte instructus est, antequam ad sacramentum accedat interrogatus a ministro an credat? propriam exprimit fidem per confessionem unius vel alterius personae, non abnegatis in corde aliis duabus, *quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit*. Hanc esse mentem S. doctoris patet 1. ex eo quod si allata verba sumenda essent de forma pronuntianda a ministro, sequeretur baptisma collatum ab eo qui singulas quidem invocat sanctae Trinitatis personas, sed rectam de illis fidem non habet ut sunt ariani, et macedoniani, esse prorsus invalidum, nam statim post relata in argumento verba subdit: *Ita quamvis Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium*. Quod si e contra Ambrosii sententiam intelligamus de suscipientibus baptismum, optime cohaeret sensus, quoniam in eo qui ad baptismum accedit cum non recta fide de Trinitate, vacuum revera est omne mysterium. 2. Ex eo quod Ambrosius ad mentem suam declarandam affert exemplum eunuchi reginae candacis qui *baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est*. Ast quomodo aethiops reginae candacis baptizatus in Christo? Audiamus id ex Act. apost. cap. 8. *Ait eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet: et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum, et jussit stare currum; et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum*. Ad hoc respiciens sanctissimus praesul inquit: *Nunc consideremus utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam sancto Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem: rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit*. 3. Quoniam paullo ante recitata in argumento verba Ambrosius dixerat, *Plenum autem est* (sacramentum) *si Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum fatearis; si unum neges, totum subrues*. Fateri autem Trinitatem, nihil aliud est nisi credere, quemadmodum illam negare est non credere. Unde fit ut, cum immediate subdit, *et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem etc.* non loquatur nisi de fide necessaria ad plenitudinem mysterii. Ast fides ad plenitudinem mysterii non in ministro, ut initio animadvertimus, bene vero in suscipiente baptismum necessaria est. 4. Denique quia sanctissimus doctor in lib. de myster. cap. 4. dissertissime affirmat ad baptismi validitatem necessario requiri ut minister singulas exprimat divinas personas. Relege illius verba cap. superiori concl. 2.

Instabis: Atqui loquitur Ambrosius de verbis adhibendis a ministro baptismi, aitque sufficere unius vel alterius personae invocationem, ergo etc. Nam Nicolaus I. in resp. ad consul. bulg. haec ad rem nostram

habet: *A quodam judaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis*; *et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine sanctissimae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actis apostolorum legimus, baptizati sunt, unum quippe idemque est, ut S. exponit Ambrosius, constat eos non esse baptizandos.*

Resp. Nicolaum a bulgaris interrogatum fuisse dumtaxat circa validitatem baptismi collati a quodam de quo dubium erat an christianus esset vel paganus. Quam quaestionem optime definivit Pontifex dicens validum esse hujusmodi baptisma. Obiter deinde aliquid addere voluit de forma qua baptizarunt apostoli, deque Ambrosii sententia circa eamdem formam de quo proculdubio interrogatus non fuerat. Priorem tradens responsionem loquutus est tamquam romanus Pontifex universalisque Ecclesiae caput. In altera autem addenda responsione peculiarem suam sequutus est opinionem loquens tamquam doctor privatus. Absque piaculo igitur a privata ejus sententia recedere possumus. Ita Bellarminus lib. 4. de rom. pont. Canus lib. 6. de locis, Vasquez, Syhiius, Tournely, et alii quamplurimi.

Obj. 4. cont. eamd. 2. concl. S. Bernardus interrogatus ab Henrico archidiacono an ratum sit baptisma collatum puero periclitanti in nomine crucis sub hac forma: *Baptizo te in nomine Dei, et sanctae et verae crucis*, respondet, *Ego vere hunc baptizatum puto.*

Resp. epistolam Bernardi ad Henricum archidiaconum aurelianensem criticis emunctioris naris videri omnino spuriam, et unam ex triginta quae S. doctoris operibus additae sunt, nam ut cetera omittam doctissimus Mabillonius praef. ad op. S. Bern. testatur epistolam illam *in paucis manuscriptis inveniri, nec in ullo alio praeterquam in sorbonico exemplari valde mutilo* illam invenisse. Alii alias tradunt responsiones quas breviter collegit Laurentius Berti lib. 31. cap. 9. de th. discipl. quem consulas.

Obj. 3. adv. eamd. 2. concl. cum Cajetano. Valet baptismus collatus sub hac formula: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, nam idem est dicere, *in nomine Trinitatis*, ac singulas personas nominare.

Resp. idem esse revera dicere, *in nomine Trinitatis*, ac *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Sed ubi sermo fit de sacramentis standum est voluntati institutoris. Christus porro qui baptismum instituit voluit ut illius forma in his verbis consisteret, *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, non, *in nomine Trinitatis*. Sic autem voluisse Christum docet nos constans ac perpetua Ecclesiae praxis et traditio, ut in superioribus diximus. Neque in hisce rebus standum est humanae ratiocinationi, alioquin ratum esset baptisma cum hac forma consecratum: *Ego te baptizo in nomine genitoris, et geniti, et procedentis ab utroque*, quod tamen aperte negat S. Thomas 3. p. q. 66. art. 5. ad 7. in quem locum commentaria edidit Cajetanus.

Obj. 6. cont. 3. concl. in Act. apost. Petrus ita loquens inducitur cap. 2. v. 38. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in*

nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. Et cap. 8. v. 12. legitur: *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres*. Et cap. 10. v. 48. *Et jussit* (Petrus) *eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi*. Hujus generis alia occurrunt in Actibus apostolorum, ex quibus colligitur apostolos revera consecrasse baptismum in solo nomine Christi, unde improbabilis non est illorum opinio etc.

Resp. 1. τὸ *in nomine* laudatis in testimoniis aliisque consimilibus non significare formam baptismi, sed auctoritatem vel virtutem aut baptismum Jesu Christi, ita ut sensus sit: Apostoli baptizarunt auctoritate et virtute Christi vel baptismo instituto ab eodem Christo, non quod baptisma contulerint invocato solo ejusdem Christi nomine. Quod τὸ *in nomine Christi* significet in virtute et in auctoritate Christi patet ex pluribus sacrae Scripturae locis, nam Actor. cap. 4. v. 7. ita judaei interrogarunt Petrum postquam claudum sanaverat: *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Marci cap. ult. v. 17. sic ait Christus discipulis suis: *In nomine meo daemonia ejicient*. Et ne multus sim, psal. 43. v. 6. inquit David: *In nomine ejus spernemus insurgentes in nobis*. Quemadmodum igitur iis in locis *in nomine* significat in virtute et in auctoritate, ita in Actibus quando dicitur apostolos baptizasse *in nomine Christi*, sensus est baptisma contulisse in virtute et auctoritate Christi. Quod autem allatis in sententiis baptizare in nomine Christi significet apostolos baptizasse baptismo Christi, non obscure colligitur ex iisdem Actibus apostolorum in quibus narratur, etiam post Christi mortem discipulos Joannis solitos fuisse fideles tingere ejusdem Joannis baptismate. Ad innuendum ergo, eos quos tingebant apostoli baptizatos fuisse non Joannis, sed Christi baptismate, inquit Scriptura apostolos baptizasse in nomine Christi. Audias Lucam in Actibus cap. 19. *Factum est ... ut Paulus ... veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos. Dixitque ad eos: si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu*. Vides quod baptizare in nomine Jesu idem sit ac baptizare baptismo instituto a Christo? Magis adhuc confirmatur responsio nostra verbis Facundi hermianensis qui in opere trium cap. lib. 1. ita loquitur: *Quod autem in nomine Jesu hi, quos memoravimus, baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror quia non in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizati sunt, ut etiam in ipsis servaretur verbis a Domino constituta forma baptismi: sed quia hoc erat insinuandum, quod baptismo novo fuerint baptizati, sufficere judicatum est ad discretionem ipsius novi baptismi solum nomen Domini Jesu memorare, quod neque in baptismo Joannis, neque in aliis baptismis judaici ritus interserebatur. Ceterum illis sacris verbis, idest in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizati mihi videntur*.

Resp. 2. Dato etiam quod Lucas in Act. apost. per illa verba, *baptizati sunt in nomine Jesu*, innuere velit formam sacramenti, ut adversarii contendunt, non proinde sequitur apostolos baptisma consecrasse cum sola invocatione nominis Filii, praetermissis Patre, ac Spiritu sancto. 1. Quoniam in eisdem Actibus cap. 2. dicitur Petrum annuntiasse Jesum crucifixum, et cap. 8. Philippum eunucho reginae candacis evangelizasse Jesum. Dicent propterea adversarii, Petrum et Philippum una cum fide in Filium non praedicasse etiam fidem in Patrem et Spiritum sanctum? Absit. Ergo a pari, etiamsi in Actibus dicatur apostolos baptizasse in nomine Christi, non proinde fit consequens non baptizasse etiam in Patre ac Spiritu sancto. 2. Ex quo in evang. Matth. cap. 3. v. 11. legatur, *baptizabit in Spiritu sancto*, non est inferendum collatum aliquando fuisse baptismum solo invocato nomine Spiritus sancti. Quare ex quo legatur apostolos baptizasse in nomine Jesu, nemo colligere poterit illos in solo Jesu nomine consecrasse baptismum. 3. Dicendum itaque est S. Lucam in Actibus affirmando apostolos baptizasse in nomine Jesu, non exclusisse Patrem ac Spiritum sanctum. Quod aperte demonstratur praeclarissimorum Patrum auctoritate. Nam Cyprianus in ep. ad Jubaian. allatis Petri verbis, *baptizetur unusquisque vestrum in nomine D. N. J. C.* ita scribit: *Jesu Christi mentionem fecit Petrus, non quasi pater omitteretur, sed ut patri quoque filius adjungeretur: ubi post resurrectionem a Domino apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt ... modo in nomine Jesu Christi ... gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate?* S. P. Augustinus lib. 3. adv. Maximin. cap. 17. ut contra arianos demonstret illa evangelica verba, *omnia per ipsum facta sunt*, non excludere Spiritum sanctum per quem una cum Patre et Filio facta sint omnia, hoc utitur argumento: *Si autem quia non est nominatus* (Spiritus sanctus), *quod etiam per illum facta sit creatura, quando de Filio dictum est, omnia per ipsum facta sunt: ideo putas Dei Spiritum non esse creatorem; proculdubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus, agite poenitentiam et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi: quia non ait, et Spiritus sancti, nec in Patris nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre et Spiritu sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari; et tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cur non sic audis de Filio Dei, omnia per ipsum facta sunt: ut et non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum sanctum?* Facundi hermianensis in africa episcopi verba hoc idem mirifice confirmantia paullo superius recitavimus.

Dices. Matth. cap. 28. in illis verbis, *baptizantes eos in nomine Patris* etc. τὸ *in nomine* significat invocationem, ergo in Actib. apost. ubi narratur fideles baptizatos fuisse in nomine Christi, τὸ *in nomine* pariter significat invocationem.

Resp. neg. conseq. et paritat. Discriminis ratio est, quia universa et constans Ecclesiae traditio priora, non posteriora verba intellexit de invocatione. Vide quae paullo ante diximus in resp. ad 2.

Instabis. Atqui apostoli revera baptisma consecrarunt cum sola invocatione nominis Christi, ergo etc. Prob. 1. Hilarius in lib. de synodis haec habet n. 85. *Ne postremo apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti jussi tantum in Jesu nomine baptizaverunt*. 2. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 12. inquit: *Siquidem Christi appellatio totius deitatis est professio: quippe quae simul declarat, et Deum qui unxit, et Filium qui unctus est, et Spiritum sanctum qui est unctio*. Eadem habent Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto, cujus verba supra dedimus, et ven. Beda in cap. 10. Actor. 3. Theophilactus in cap. ult. Lucae non dissimili ratione loquitur, ait enim: *Christi nomen in seipso continet et Patrem inungentem, unctionem Spiritum, et unctum Filium*. 4. Et qui primus omnium commemorandus erat beatissimus martyr Cyprianus in laudata saepe ep. ad Jubajan. affirmat, *apostolos baptizasse judaeos in nomine Jesu, gentiles autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Resp. ad 1. Hilarium non affirmare apostolos revera baptizasse in nomine Jesu, sed legi in Actibus apostolorum in nomine Jesu baptizasse. Ad quod intelligendum mens S. doctoris sedulo est perscrutanda. Ibi ergo Hilarius demonstrare contendit non esse abjiciendum vocabulum ὁμούσιον, quod in pravum sensum ab aliquibus detorqueatur, alioquin multa forent ex sacris litteris resecanda, quum illis abutantur haeretici. Atque ad hoc commonstrandum nonnulla producit exempla. Delenda essent, inquit, verba illa, *Pater major me est*, quoniam his fidunt ariani ad inaequalitatem Filii cum Patre comprobandam; et illa alia, *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, quoniam hoc innixus testimonio Marcion Christi corpus umbratile ac fictitium esse blasphemat, alìisque allatis exemplis tandem subdit: Delendum quoque foret quod legitur apud Matthaeum, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ne scilicet apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti jussi, tantum in Jesu nomine baptizarunt*. Subaudi, *tantum in Jesu nomine baptizasse legitur*. Haec est Hilarii ratiocinatio quae vana esset nisi supponeret apostolos in crimine revera inventos non fuisse, ac proinde in plena et adunata Trinitate baptizasse, ut per se manifestum est. Ceterum Hilarius in eodem lib. de synodis aperte tradit apostolos baptisma contulisse in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ait enim: *Dominus Jesus Christus ordinavit discipulis dicens: pergite, et docete universas gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Ad 2. dico 1. argumentum plus probare quam adversarii velint, demonstraret nimirum etiam modo validum esse baptisma in solo Christi nomine consecratum, quod ipsi negant. Dico 2. Basilium eo loci inquire-

re, cur baptisma collatum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti aliquando in sacris Scripturis dicatur baptisma Christi, atque respondet id fieri, *Quoniam. Christi appellatio totius deitatis est professio ... At non ideo quis dixerit* (ita prosequitur) *perfectum esse baptisma in quo solum Spiritus nomen invocatum est: oportet enim inviolabilem manere traditionem ... sicut enim credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Ad textum Ambrosii responsum est supra. Nunc addimus tantum, etiam argumentum ex illo testimonio deductum probare his quoque temporibus ratum esse baptismum collatum in solo nomine Christi. Imo sequeretur valere idem sacramentum consecratum cum sola invocatione Spiritus sancti, ut ex verborum Ambrosii lectione colligitur. Quae dicta sunt ad explicandam mentem Ambrosii, valent etiam ad diluendam objectionem quam adversarii deducunt ex venerabili Beda, nam hic illum exscripsit, ut optime observat Estius.

Ad 3. Theophilactus non loquitur de baptismo collato ab apostolis, sed demonstrat remissionem peccatorum non haberi nisi in nomine Domini adversus illos qui remissionem peccatorum consequi posse autumabant in nomine Montani, Priscillae, et Maximillae, quos invocabant in baptismate conferendo. Ceterum ibidem Theophilactus ait: *Quomodo autem baptisma in nomine solius Christi fieri intelligemus, praesertim cum alias doceamur baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti? Igitur primum quidem dicimus quod quando dicimus baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quod oporteat in solius Christi nomine fieri, sed quod Christi baptisma spirituale sit, non judaicum. Insuper baptisma in nomine Christi intellige in mortem Christi.*

Ad 4. Quaenam fuerit S. Cypriani mens circa baptismum collatum ab apostolis superfluum est hic rursus narrare, quum luculentissima illius testimonia dederimus in superioribus, et quidem ex eadem epistola ad Jubajanum excerpta. Per illa ergo quae in argumento allata sunt S. martyr diversum describit modum quo primis temporibus in Ecclesiam judaei et gentiles recipiebantur. Ab illis nempe credentibus in Deum patrem peculiaris confessio exigebatur in Christum, ab his autem nullam agnoscentibus divinam personam expressa professio Trinitatis petebatur.

CAPUT VI.

De institutione Baptismi.

Non est cur tempus teramus in demonstrando sacramentum baptismi a Christo Domino fuisse institutum, id enim adeo clare in historia evangelica legitur ut nulli umquam in mentem venerit de ea re vel subdubitare. Sed silentio premenda non est controversia quae licet parum necessaria mihi videatur, theologorum tamen animos in varias sententias distraxit, estque hujusmodi controversia circa tempus quo a Christo Do-

mino institutum fuerit sacramentum baptismi? Rupertus abbas lib. 3. in Joan. arbitratur tunc primum institutum fuisse baptismum quando Christus post resurrectionem suam dixit apostolis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* Melchior Canus lib. 8. de locis cap. 5. quem nonnulli sequuntur, tenet apostolos ante Christi mortem non aliud administrasse baptisma nisi illud Joannis ac proinde statuit initium baptismatis Christi post illius resurrectionem. Scotistae, Thomistae, Augustiniani communiter censent baptisma nostrum a Christo fuisse institutum ante suam passionem, sed non conveniunt in assignando praecise tempore. Estius quique cum illo faciunt arbitrantur institutum fuisse quando Christus Nicodemo dixit, *nisi quis renatus fuerit etc.* Discipuli Scoti epocham baptismi figunt quidem ante Christi mortem, sed qua occasione id factum sit non audent definire. Reliqui omnes theologi post Magistrum definite pronuntiant Christum instituisse hoc sacramentum quando in Jordane baptizatus est a Joanne. Huic postremae opinioni utroque pollice subscribimus, unde sit

CONCLUSIO I.

Baptisma institutum videtur a Christo ante suam passionem.

Prob. 1. Joan. cap. 3. v. 22. et seq. haec occurrunt: *Post haec venit Jesus, et discipuli ejus in terram judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat ... facta est autem quaestio ex discipulis Joannis cum judaeis de purificatione: et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Et cap. 4. v. 1. et seq. legitur: *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt pharisaei quod Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Joannes (quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus) reliquit judaeam etc.* In quae verba tract. 15. in Joan. scribit Augustinus: *Baptizabat, quia ipse mundabat: non baptizabat, quia non ipse tingebat. Praebebant discipuli ministerium corporis, praebebat ille adiutorium majestatis*, sive ut ait in ep. ad famulam Dei Seleucianam: *Ut intelligeremus et ipsum quidem baptizasse praesentia majestatis, non tamen ipsum baptizasse manibus suis. Ipsius enim erat baptismi sacramentum*, ibi addit, *ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat*. Jam vero liquet ex his Christum vel ab initio suae praedicationis per ministerium apostolorum baptizasse; atqui baptisma a Christo per apostolos collatum erat baptisma suum, non Joannis, nam 1. textus inquit baptizasse Jesum. Quod si baptisma Joannis administrasset, non Jesus, sed Joannes potius baptizasse diceretur. Habemus hac in re consentientem Augustinum qui licet definire noluerit quo baptismate Christus ac discipuli ejus, an scilicet baptismo Joannis an ipsiusmet Christi baptizarint, ex his tamen quae attulimus, ex his quae hic subnectimus, et ex inferius dicendis apparet illum

fuisse in hac posteriori sententia. In ep. enim nuper citata subdit sanctissimus doctor: *Baptizabat non per seipsum, sed per discipulos suos ... sive baptismo Joannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos, per quos ceteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis lavit pedes.* Quibus instructus, ait ipsemet Ammonius in cat. graec. PP. *Ceterum* (Jesus) *baptisma evangelicum tradebat, quod multum erat a Joannis baptismate diversum.* 2. Baptisma quod Christus administravit fuit baptisma in Spiritu sancto, juxta illud Joannis Baptistae apud Joan. evang. cap. 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, atqui baptisma in Spiritu sancto est baptisma non Joannis, sed Christi, ergo etc. 3. Quaestio orta est inter discipulos Joannis et judaeos quod Christus et discipuli ejus baptizarent. Ast vero si Christus ejusque discipuli administrassent baptismum Joannis, vel locum non habuisset illa contentio, vel statim compressa fuisset innuendo nullum esse inter baptismata discrimen, quod tamen factum non est, quum ad vitandam pharisaeorum invidiam qui, ut ait S. P. Augustinus, *non hoc didicerunt ut sequerentur, sed ut persequerentur*, Christus Judaeam reliquerit. Hinc Ammonius loco mox laudato affirmat multos accessisse ad Jesum quoniam *neque Joannis neque discipulorum ejus baptismus Spiritum sanctum conferebat.*

Prob. 2. Judas proculdubio multos baptismate tinxit, sed baptisma a Juda collatum non fuit baptisma Joannis, neque administratum fuit post Christi passionem. Non fuit baptisma Joannis quia nullibi legimus baptizatos a Juda fuisse iterum baptizatos. Nec fuit administratum post Christi mortem cui certe superstes non fuit. Rem luculentissime explicat S. P. Augustinus tract. 5. in Joan. *Dedit Judas, et non baptizatum est post Judam: dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem. Quia si datus est a Juda, baptismus Christi erat, qui autem a Joanne datus, Joannis erat ... ergo baptizabant discipuli ejus, et ibi adhuc erat Judas inter discipulos ejus. Quos ergo baptizavit Judas, non sunt iterum baptizati ... Quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit.* Videas si quid clarius afferri posset ad commonstrandum baptismum Christi nihil habuisse commune cum baptismate Joannis Baptistae.

CONCLUSIO II.

Probabile admodum est Christum instituisse baptismum quando in Jordane baptizatus est a Joanne.

Prob. Tria requiruntur ad sacramenti institutionem, consecratio nimirum materiae, designatio formae, et indicatio virtutis seu effectus; atqui haec tria facta esse videntur in Jordane quando Christus baptizatus est a Joanne. Et I. quidem consecrata fuit aqua ut esset materia baptismi,

nam Ambrosius lib. 2. in Lucam, *Baptizatus est*, inquit, *ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutae per carnem Christi, quae peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent*. Auctor sermonis de tempore inter Augustini opera scribit: *Quia per universum mundum sacramento baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Jordanis alveum singulari pietate descendit; tunc enim Christum Dominum non tam lavit unda quam lota est ... vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore*. S. Maximus taurinensis idem tradit multis in locis, sed praesertim hom. 7. ubi sic loquitur: *Quod vero fluentis Jordanis baptizatur Jesus, aquae nostro baptismati consecrantur*. Walafridus Strabo lib. de reb. eccl. cap. 26. ait: *Ipse Dominus noster Jesus Christus, ut in nobis idem consecraret lavacrum, in Jordane baptizatus est a Joanne*. Hoc idem non obscure confirmant liturgiae omnes sive veteres sive recentiores. Vide euchologium Graecorum apud Goarium in officio baptism. Ordinem bapt. apud aethiopes Severo Alexandro tributum in bibl. PP. tom. 4. missale gothico gallicanum editum a Card. Thomasio.

II. designata quoque fuit in Jordane quando baptizatus est Christus ejusdem sacramenti forma, tunc enim *aperti sunt caeli*, inquit Matth. cap. 3. *et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se: et ecce vox de caelis dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, unde Augustinus tract. 6. in Joan. *Apparet*, inquit, *manifestissima Trinitas: Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. In Trinitate ista quo missi sunt apostoli, videamus quod videmus*, intellige ad docendum et baptizandum juxta praeceptum Domini, *euntes docete etc.* Et ordo aethiopum nuper laudatus adhuc clarius loquitur: *Fons vitae apertus est baptismus, et Pater, Filius, et Spiritus sanctus in sancta gratia sua. Pater qui clamavit, hic est filius meus dilectus, et filius qui inclinavit caput suum et in eo baptizatus est, et Spiritus sanctitatis qui in specie columbae volans descendit, et sanctificata sunt flumina et fontes omnes*.

III. in Christi baptismate per Joannem manifestata etiam est baptismi nostri virtus seu effectus nempe gratia sanctificans. Ephrem enim syrus cat. graec. vol. 2. pag. 85. *Super Jesum*, inquit, *venit Spiritus, ut ostendat super omnes fideles dum baptizantur sese etiam venturum*, In missali gothico gallicano edito a Cardinali Thomasio in bened. font. baptism. haec leguntur: *Deus qui Jordanis fontem pro animarum salute sanctificasti ... sanctifica Domine hujus laticis undas, sicut sanctificasti fluenta Jordanis ... ut in eam redemptionis gratia, benedictio Jordanis mittatur etc.*

Oppositiones expelluntur.

Obj. 1. cont. 1. concl. Ante Christi passionem nondum revelatum fuerat Trinitatis mysterium sine cujus invocatione non habetur baptisma

christianorum, ergo ante passionem Christus baptismum suum non instituit.

Resp. neg. ant. Neque enim verisimile est praecipuum religionis mysterium non revelasse Christum apostolis quos toto praedicationis suae tempore sedulo docuit ut post mortem suam universae creaturae evangelium annuntiarent. Sed res est in evangelica historia luculentissima, saepe Christum Dominum cum apostolis suis locutum fuisse modo de divinitate Patris, modo de sui cum eodem Patre consubstantialitate, nunc vero de Spiritu sancto tamquam de divina persona. Quis ergo dixerit non revelasse Christum ante passionem apostolis suis Trinitatis mysterium?

Instabis. Apostolus ad Rom. cap. 6. v. 3. inquit: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*; etsi ergo constaret ante Christi passionem revelatum fuisse apostolis Trinitatis mysterium, non proinde constaret ante eamdem passionem institutum fuisse baptismum.

Resp. Baptizari in morte Christi, juxta Apostolum, hoc in loco non significat baptismum efficaciam suam mutuasse a Christi morte consummata, sed significat baptizatos ambulare per gratiam *in novitate vitae*, ut ibidem Paulus ipse luculenter exponit; et sensus est, quod quemadmodum Christus per virtutem Patris surrexit a mortuis, novamque adeptus est vitam, ita qui baptizantur resurgunt per gratiam a morte peccati, et novam induunt vitam supernaturalem.

Obj. 2. adv. eamd. 1. concl. Joan. cap. 4. inquit: *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*, quis ergo apostolos baptizavit?

Resp. Verba Joannis accipienda esse de plebe quam Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus, non autem de apostolis, hos enim baptizasse credendum est Christum Dominum qui eisdem apostolis dignatus est pedes lavare. Hinc S. P. Augustinus in ep. ad Seleucianam: *Si dicimus*, inquit, *aqua non fuisse* (apostolos) *baptizatos, metuendum est ne graviter in eis erremus, ne demus hominibus auctoritatem contemnendi baptismum, quem usque adeo non contemnendum ipsa apostolica disciplina commendat, ut Cornelius centurio et ii qui cum illo erant, etiam jam accepto Spiritu sancto fuerint baptizati*. Et rursus: *Postquam Dominus Christus in Ecclesia sua sacramentum N. Testamenti pro circumcisione carnis sanctum baptismum dedit, et apertissime dixit: Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum coelorum, jam non debemus quaerere quando quisque fuerit baptizatus, sed quoscumque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum coelorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus; nisi forte quos angustia passionis invenit, et nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Sed numquid hoc possumus de apostolis dicere qui usque adeo largum tempus habuerunt quo baptizarentur, ut alios etiam baptizaverint?*

Instabis. Atqui nullibi legitur in N. Testamento apostolos ante Christi passionem tinctos fuisse ejusdem Christi baptismate, ergo etc. Imo Lucas in Actib. cap. 1. v. 5. non subobscure inquit, apostolos non ac-

cepisse baptismum nisi post Christi ascensum in coelos; etenim narrat Christum a discipulis suis discessurum sic eos fuisse allocutum: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*, quae verba innuere videntur apostolos cum Christus adhuc versaretur in terra accepisse baptismum Joannis, post illius autem ascensionem in coelum baptizatos fuisse baptismate nostro. Confirmatur hoc argumentum ex eo quod ante Christi ascensionem datus non fuerit Spiritus sanctus sine quo baptisma Christi non habetur, Joannes enim cap. 7. ait: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*.

Resp. ad 1. cum S. P. Augustino in commemorata ep. ad Seleucianam: *Non omnia quae facta sunt, etiam scripta inveniuntur, verumtamen facta esse ex ceteris documentis probantur. Scriptum est quando baptizatus sit apostolus Paulus, et scriptum non est quando baptizati sint alii apostoli, verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus: quemadmodum scriptum est quando baptizatae sunt plebes ecclesiarum in Jerusalem et Samaria, quando autem baptizatae sint aliae plebes gentium, quibus apostoli epistolas miserunt, non est utique scriptum: et tamen etiam ipsas baptizatas utique minime dubitamus propter illam Domini sententiam, nisi quis renatus fuerit etc.* Haec aperte demonstrant apostolos non obstante Scripturae silentio baptismate Christi revera tinctos fuisse. Non audet quidem hoc in loco S. doctor determinare tempus quo baptizati fuerunt apostoli, sed ex iis quae ad prob. 1. concl. ex ipso recitavimus satis apparet rejicere Augustinum baptismum apostolorum ad tempora Christi passionem praecedentia.

Ad 2. Apostoli baptizandi erant Spiritu sancto in die pentecostes, accipiendo gratiam roboris seu confirmationem quae lato sensu baptismus dici potest, unde Augustinus in ep. saepe laudata inquit: *Recte dici potest, quia cum Petrus negavit Dominum, nondum fuerant apostoli baptizati, non tamen aqua, sed Spiritu sancto*.

Ad 3. dico Spiritum sanctum juxta Joannem ante Christi glorificationem datum non fuisse visibiliter, non negat autem invisibiliter fuisse collatum. Et revera nonne David, Elisabeth, Zacharias, Anna, Simeon ante Christi passionem Spiritum sanctum acceperant? Optime S. P. Augustinus q. 62. inter 83. inquit: *Spiritus sanctus latenter dabatur ante Domini clarificationem: post manifestationem autem divinitatis ejus manifestius datus est. Et hoc dictum est, Spiritus autem nondum erat datus: idest, nondum sic apparuerat ut omnes eum datum esse faterentur. Sicut etiam Dominus nondum erat clarificatus inter homines, sed tamen clarificatio ejus aeterna nunquam esse destitit*.

Obj. 3. adv. eamd. 1. concl. Tertullianus de baptismo cap. 2. ita scribit: *Itaque tingebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante praecursor eodem baptismo Joannis*. Eamdem Tertulliani sententiam aperte tradit Joannes Chrysostomus hom. 28. in Joannem, hunc autem sectatur Theophilactus. Etiam Ambrosius lib. 19. in Lucam affirmat Chri-

stum contulisse apostolis docendi baptizandique potestatem post resurrectionem, quando nempe dixit illis, *Euntes docete etc.* Et quod magis est, S. P. Augustinus tract. 120. in Joan. et alibi saepe apertissime docet sacramenta omnia novae legis profluxisse ex latere Christi quando ex illo exivit sanguis et aqua.

Resp. Non diffitemur Tertullianum, Chrysostomum, Euthymium, et Theophilactum credidisse apostolos ante Christi passionem non dedisse nec accepisse nisi baptismum Joannis, sed in quaestione mere scholastica non dubitamus ab horum opinione absque piaculo recedere; magisque nobis arridet sententia Augustini, tum quia controversiam hanc ex professo versavit in ep. ad Seleucianam, tum quia magis haec nobis innixa videtur Scripturarum auctoritati. E contra principium ex quo laudati Patres propriam deducunt opinionem falsum nobis apparet; ideo enim affirmant apostolos ante Christi mortem non dedisse nec accepisse nostrum baptisma, quia Joannes inquit nondum datum fuisse Spiritum sanctum. Sed quo sensu testimonium illud accipiendum sit paullo supra explicavimus.

Ad 2. Quod Ambrosium spectat, loquitur is non de institutione baptismi, sed de potestate eumdem baptismum conferendi, quae duo sedulo cum S. Thoma distinguenda sunt. Et revera ait Ambrosius: *Quibus* (apostolis) *docendi et baptizandi tribuit potestatem*. Ceterum S. doctor in apologia David cap. 9. inquit: *Qua gratia Petrus qui antea fuerat baptizatus interrogatur, postquam visus est Dominum negasse: Simon Joannis, diligis me? Dixit ei: Utique tu scis Domine, quia ego diligo te*. Quae certe evenerunt ante Christi passionem. Eodem modo exponenda sunt verba S. Leonis Magni quae depromi solent ex ejus ep. ad episcopos per Siciliam constitutos; nam et ipse loquitur de potestate quam Christus dedit apostolis conferendi baptismum ante suam ascensionem.

Ad 3. Optime ait S. P. Augustinus sacramenta omnia profluxisse ex aperto latere Christi, sed affirmat id de virtute et efficacia sacramentorum, non de illorum institutione, alioquin sequeretur etiam eucharistiam institutam fuisse post Christi mortem, quod tamen repugnat evangelicae historiae.

Obj. 4. cont. eamd. 1. concl. Sacramenta novae legis vim suam et energiam accipiunt a praecepto institutoris; hinc decantatum illud apud omnes theologos proloquium quod in rebus ad sacramenta spectantibus omnia dimetienda sunt non ex nostra ratiocinatione, sed ex Christi instituentis voluntate; at vero Christus non praecepit apostolis conferre baptismum nisi post resurrectionem quando nimirum dixit illis, *Euntes docete etc.* erga etc.

Resp. Christus nonnisi post resurrectionem dedit apostolis praeceptum generale de conferendo baptismate, non autem praeceptum speciale. Quando Christus illa verba protulit coram discipulis suis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* tunc praeceptum generale dedit illis de conferendo baptismate non solum judaeis, sed etiam gentilibus universum orbem incolentibus. Hinc post latum illud praeceptum

et post sufficientem evangelii promulgationem baptismus necessarius fuit hominibus necessitate medii, quum ante latum praeceptum homines salutem consequi possent per circumcisionem, ceteraque legalia. Hoc autem generale praeceptum non efficit quin Christus jusserit ante suam passionem apostolis ut baptizarent, in Scripturis enim habemus apostolos revera baptizasse baptismo Christi, quod non fecissent nisi a magistro mandatum accepissent.

Obj. 5. adv. 2. concl. 1. Non potest dici Christi baptisma institutum nisi quando instituta fuit forma, neque enim absque forma haberi potest sacramentum, sed nullibi legimus Christum quando baptizatus fuit in Jordane instituisse formam, nam neque Joannes neque Christus ipse baptismatis protulit formam. 2. Instituere sacramenta est exercere actum supremi legislatoris; Christus in Jordane humilitatem tantum, non jurisdictionem exercuit, ergo etc. 3. Nec reponere valet in Jordane praesignatas fuisse materiam et formam christiani baptismatis, id enim non sufficit ad institutionem; quemadmodum licet in accessu mulieris peccatricis ad Christum praesignatae fuerint partes omnes sacramenti poenitentiae, non proinde tunc sacramentum istud fuit institutum, definiente tridentina synodo sess. 14. cap. 1. poenitentiae sacramentum non fuisse istitutum nisi quando Christus Joan. cap. 20. v. 22. dixit apostolis suis: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. 4. Denique si institutum affirmare volumus Christi baptismum ante illius passionem, possumus cum Estio tenere fuisse institutum quando Christus Nicodemo dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, nam statim post habitum cum Nicodemo colloquium Christus coepit baptizare.

Resp. ad 1. Nullibi legimus explicite Christum in Jordane post acceptum a Joanne baptismum baptismatis sui formam instituisse, ceterum id non subobscure colligitur ex evangelica historia ubi narratur Jesum post acceptum baptisma per discipulos suos baptizasse, ut jam observavimus. Hinc Ambrosius lib. 1. de sacram. cap. 5. affirmat, Spiritum sanctum in specie columbae descendisse *cum Dominus noster Jesus Christus formam baptismatis daret*. Spiritus autem sanctus in specie columbae descendit quando Jesus baptizatus est in Jordane. Tunc igitur formam baptismatis Christus Dominus dedit. Deinde probabile admodum est Christum in Jordane prius accepisse baptismum a Joanne, postea vero eumdem Joannem baptismo suo tinxisse. Quod non obscure deducitur ex eo quod cum Joannes dixerit Christo, Matth. cap. 3. v. 14. *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Christus responderit, *Sine modo*, ac si dixisset, *ego postmodum te baptizabo*, unde Hieronymus in cap. 3. Matth. inquit: *Pulchre dixit, sine modo, ut ostenderet Christum in aqua Joannem a Christo in Spiritu baptizandum*. Quod si Christus proprio baptismate Joannem baptizavit, nemini dubium quin formam baptismi protulerit. Denique licet daremus nullo modo in Jordane prolatam fuisse nostri baptismatis formam, non proinde sequeretur tunc institutum non

fuisse baptisma. Sat enim fuit ad hujusmodi institutionem ut fuerit determinata materia, et forma designata per sensibilem Trinitatis praesentiam ut revera accidit in Jordane. Responsio haec est S. P. Augustini qui serm. 51. de Script. alias 63. de divers. cap. 23. *Et quamvis*, inquit, *esset illud baptisma Joannis: in eo tamen sensibiliter apparuit Trinitas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, qua consecratus est ipsius Christi baptismus quo baptizandi erant futuri christiani*.

Ad 2. Christus in Jordane baptisma suum instituit non propterea quod baptizatus est a Joanne, sed quoniam vim aquis tribuit hominem regenerandi, in quo auctoritatem et jurisdictionem exercuit quemadmodum in recipiendo a Joanne baptismum humilitatem.

Ad 3. In Jordane non generatim nec vage praesignatae fuerunt materia et forma baptismi, sed speciatim aqua determinata pro materia, et invocatio Trinitatis instituta tanquam forma qua aqua consecraretur ad conferendam gratiam. Rursus data fuit apostolis facultas applicandi formam supra materiam ad baptismum conficiendum, unde legitur in evangelio Joannis, posthac apostolos baptizasse. Nonne hoc sufficit ad institutionem baptismi? Non ita tamen factum est in domo pharisaei pro sacramento poenitentiae; etsi enim ibi praesignatae fuerint materia et forma, nulli tamen Christus potestatem dedit remittendi peccata, sed ipsa divina sua potentia justificationem peccatrici mulieri tribuit. Et quoniam ejusmodi facultas remittendi aliis peccata communicata fuit apostolis quando Christus dixit illis, *Accipite Spiritum sanctum etc.* hinc merito tridentina synodus ad illud tempus rejicit sacramenti poenitentiae institutionem.

Ad 4. Quando Christus dixit Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit etc.* commendavit baptismi necessitatem, non ipsum sacramentum instituit, quemadmodum per illa verba, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis etc.* voluit Christus eucharistiae necessitatem, non institutionem significare.

CAPUT VII.

De ministro baptismi.

Minister sacramenti baptismi alius est ordinarius, alius extraordinarius, et alius in casu necessitatis. Minister ordinarius baptismi est ille qui vi officii sui potestatem accepit a Christo baptizandi. Minister vero extraordinarius ille qui per ordinationem ad sacra destinatus a ministro ordinario accipit facultatem baptizandi. Minister denique baptismi in casu necessitatis dicitur ille qui ingruente periculo mortis, nec praesente ordinario vel extraordinario ministro baptismum confert periclitanti.

Sententia catholicorum est ministros ordinarios baptismi qui nempe extra necessitatis casum sollemni ritu possunt ac debent illum administrare esse principaliter episcopos, deinde presbyteros, hoc est parochos et qui vices illorum jure gerunt. Ministros autem extraordinarios qui nimirum possunt sollemni ritu baptismum ex delegatione administrare esse solos dia-

conos, ministros denique baptismi in casu necessitatis, esse non solum minores clericos et viros laicos, sed etiam simplices mulieres. Quid autem sentiant catholici de homine administrante baptisma qui aut nullam aut pravam habeat fidem, videbimus deinceps.

Circa ministrum ordinarium baptismi dissentientes non habemus nec veteres nec recentiores haereticos, exceptis marcionitis, pepuzianis atque collyridianis, qui simplicibus mulierculis ordinarium baptismi ministerium ausi sunt attribuere. Sed Calvinus lib. 4. instit. cap. 15. cum quo nonnulli recentiores graeci faciunt, arbitratur, ministros baptismi in casu necessitatis non esse nec minores clericos nec viros laicos, multoque minus mulieres, sed solos sacerdotes primi et secundi ordinis, videlicet episcopos et presbyteros.

Nos ergo catholicis subscribentes demonstrandum hoc in capite aggredimur. 1. Ministros ordinarios baptismi esse principaliter episcopos, deinde presbyteros. 2. Diaconos esse ejusdem sacramenti ministros extraordinarios. 3. In casu autem necessitatis posse valide non solum, sed etiam licite baptismum conferre quemcumque virum laicum et etiam mulieres. Itaque sit

CONCLUSIO I.

Ministri ordinarii baptismi sunt principaliter episcopi, deinde presbyteri.

Prob. 1. concl. pars. I. expressa Scripturarum auctoritate. Christus Dominus ordinariam facultatem administrandi baptismum contulit apostolis, dicens Matth. cap. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* Atqui episcopi sunt legitimi apostolorum successores. II. auctoritate Patrum. Nam Tertullianus lib. de bapt. cap. 17. *Superest*, inquit, *ad concludendum materiolam, de observatione quoque dandi et accipiendi baptismum, commonefacere. Dandi quidem habet jus summus sacerdos qui est episcopus, dehinc presbyteri, non tamen sine episcopi auctoritate*. S. Hieronymus in cap. 3. Sophoniae inquit: *Sacerdotes autem* (subintellige primi ordinis, nempe episcopos de quibus loquitur) *qui dant baptismum, faciunt oleum chrysmatis, manus imponunt, catechumenos erudiunt, levitas et alios constituunt sacerdotes etc.* III. antiqua Ecclesiae consuetudine et traditione quae docet episcopos semper et antiquissimis temporibus solos etiam baptisma contulisse, id enim supponit Theodoretus lib. 2. hist. eccl. cap. 27. ubi narrat Constantinum stolam aureis filis contextam ecclesiae hierosolymitanae dono dedisse ut Macarius illius urbis antistes *ea indutus divini baptismi ministerium perageret*. Hoc idem supponit etiam Paulinus dum in vita S. Ambrosii scribit: *In rebus etiam divinis implendis fortissimus, in tantum ut quod implere solitus erat circa baptizandos solus, quinque postea episcopi tempore quo decessit, vix implerent*. Clerus edessenus in ep. ad Photium et Eustachium rogat ut Ibas illius civitatis episcopus cito ad propriam se-

dem remittatur *propter catechismos et propter eos qui digni sunt sancto baptismate in imminenti paschatis festivitate*. Gregorius Magnus in ep. ad Romanum patritium et Exarchum Italiae hortatur illum ut mittat ei Blondum episcopum hortensem hanc urgens rationem, ne illo absente, ecclesia sine rectore et populus quasi sine pastore grex deflueret, et ibidem infantes absque baptismate morerentur. Quae omnia demonstrant, illis temporibus episcopum et quidem solum baptisma solemniter administrare consuevisse. IV. ratione theologica. Nam ad illos spectat ordinarium consecrandi baptismatis ministerium quibus regimen Ecclesiae convenit, qui enim Ecclesiae praesunt debent in Ecclesiae sinum novos fideles admittere. Porro episcopis commissum est Ecclesiae regimen, quum iis dictum sit, *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo*.

Prob. altera concl. pars. quod nempe presbyteri quoque sint ministri ordinarii baptismatis, licet de secundario et cum dependentia ab episcopo. I. ex Patribus. Nam Tertullianus nuper laudatus, *Dandi* (baptismi) *jus*, inquit, *habet summus sacerdos qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem, quo salvo, salva pax est*. Hieronymus in dial. adversus luciferianos ait: *Sine episcopi jussione neque presbyter neque diaconus jus habet baptizandi*. Ante hos Ignatius martyr in ep. ad smirnaeos scripserat, *Non esse licitum sine episcopo nec baptizare, nec synaxim celebrare*. Ambrosius lib. 3. de sacram. cap. 1. ait: *Audistis lectionem: succinctus est sacerdos; licet enim presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii a summo est sacerdote*. Haec et similia quae afferri possent mirifice ostendunt presbyteros non esse baptismi ministros absque episcopi auctoritate et dependentia. Et ne credamus esse illos ministros delegatos, ut diaconos esse postea demonstrabimus, obstant innumerae constitutiones ecclesiasticae. Nam II. in constitutionibus apostolicis lib. 3. cap. 2. legimus: *Permittimus baptizare solos episcopos, ac presbyteros ministrantibus diaconis*. Innocentius I. in ep. ad Decentium de presbyteris scribit: *Seu extra episcopos, seu praesente episcopo baptizant*. Concilium florentinum in decreto pro armenis ait: *Minister baptismi est sacerdos cui ex officio competit baptizare*. Hinc Rituale romanum affirmat ministrum baptismi ordinarium *esse parochum vel alium sacerdotem a parocho vel ordinario loci delegatum*. Ergo etc.

CONCLUSIO II.

Diaconi ita sunt extraordinarii ministri baptismi, ut ex delegatione possint sacramentum illud sollemni ritu administare.

Prob. 1. ex cap. 8. Act. apost. ubi narratur Philippum diaconum baptismate tinxisse samaritanos viros et mulieres, atque eunuchum reginae Candacis. Quod fecisse credendum non est absque facultate accepta ab apostolis a quibus missus fuerat ad praedicandum evangelium.

Prob. 2. ex ecclesiasticis monumentis. Tertulliani et S. Hieronymi verba sententiam nostram mirifice confirmantia dedimus conclusione superiori. Concilium eliberitanum can. 77. sic habet: *Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit*, hoc est, *confirmare*. Ex praecitato canone atque ex multis aliis locis colligimus, antiquis temporibus integras parochias collatas ad regendum fuisse diaconis ob exiguum sacerdotum numerum. Non potuissent autem diaconi plebem regere nisi potuissent accepta ab episcopo delegatione sacramentum baptismi etiam solemni ritu administrare. Observarunt viri doctissimi Ferdinandus Mendoza lib. 3. de concil. eliber. cap. 77. et Thomasinus lib. 2. de Eccl. discipl. Episcopos in sabbato sancto uti consuevisse auxilio diaconorum ad baptizandum si quando catechumenorum numerus excrevisset. In sensu nostrae conclusionis intelligi debent haec quae leguntur in pontificali romano: *Cogitate* (inquit episcopus diaconis dum eos consecrat) *cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiae adscenditis; diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare*. Vide etiam Catech. rom. p. 2. cap. 2. n. 23.

CONCLUSIO III.

Laici sive viri sive mulieres, cogente necessitate, non solum valide sed etiam licite baptizant.

Prob. utraque concl. pars iisdem momentis. Tertullianus lib. de bapt. cap. 17. ita scribit: *Dandi baptismi habet jus summus sacerdos qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi ... alioquin etiam laicis jus est: quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest ... proinde et baptismus ab omnibus exerceri potest ... sufficit scilicet in necessitatibus ut utaris sicubi, aut loci aut temporis aut personae conditio compellit: tunc enim constantia sucurrentis excipitur cum urget circumstantia periclitantis: quoniam reus erit perditi hominis si supersederit praestare quod libere potuit*. S. Hieronymus in dial. adv. lucifer. inquit: *Baptizare si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis*. S. P. Augustinus lib. 2. cont. ep. Parm. cap. 13. *Etsi laicus aliquis*, inquit, *pereunti dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperit, dandum esse addidicit; nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum*. S. Gelasius in ep. ad episcopos per Lucaniam et Brutios constitutos cap. 9. ita habet: *Quod et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio de saeculo evocetur*.

Prob. 2. ex definitionibus conciliorum. Concilium eliberitanum can. 38. sic statuit: *Peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate*. Ubi observandum est concilium non absolute excludere bigamum a ministerio baptismi in casu necessitatis, sed relati-

ve ad alios, si nempe alius adsit qui non sit bigamus ab illo proculdubio, non ab hoc administrandum est sacramentum. Concilium lateranense 4. in cap. *firmiter* §. *una vero*, inquit: *Sacramentum baptismi a quocumque rite collatum proficit ad salutem*. Concilium florentinum in instr. pro armenis, *In casu autem necessitatis*, ait, *non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest*. Universalis ergo Ecclesiae sive orientalis sive occidentalis disciplina semper constanterque tenuit, laicos sive mares sive foeminas in casu necessitatis et valide et licite administrasse baptismum. Quumque disciplina haec utpote universalis non potuerit nisi ab apostolorum descendere traditione, sequitur Calvinum paucosque graecos contrarium sentientes apostolos ipsos erroris impudenter insimulare.

Adversariorum argumenta recitantur ac refelluntur.

Obj. 1. cont. 1. concl. Patres in superioribus allegati aperte tradunt presbyteros, illos etiam quibus animarum cura demandata erat, non potuisse propria auctoritate catechumenos baptizare. Tertullianus enim inquit: *Non tamen sine episcopi auctoritate*, et D. Hieronymus: *Sine episcopi jussione presbyterum jus non habere baptizandi*. Consimilia tradunt S. Leo in ep. ad episcopos germaniae et galliae, si tamen haec ep. spuria non est, et patres concilii viennensis habiti an. 756. can. 8. Ex quibus colligitur presbyteros ad summum extraordinarios, non ordinarios ministros esse baptismi.

Resp. 1. cum auctoribus catechismi romani p. 2. tit. de bapt. n. 22. *Quod vero sacerdotes jure suo hanc functionem exerceant, ita ut praesente etiam episcopo ministrare baptismum possint, ex doctrina Patrum et usu Ecclesiae constat ... Quod si aliquando Patres sacerdotibus sine episcopi venia baptizandi jus permissum non esse dixerunt, id de eo baptismo qui certis anni diebus solemni coeremonia administrari consueverat intelligendum videtur.*

Resp. 2. Laudata Patrum testimonia intelligenda esse de auctoritate et jussione episcopi quae in presbyteros derivantur *vi ordinis*. Et revera dicitur presbyteris dum ordinantur ut christianae plebi praesint, doceant, baptizent, ceteraque administrent sacramenta, exceptis ordine et confirmatione. Verum ergo est quod Patres inquiunt, non posse presbyteros sine auctoritate et jussione episcopi baptizare, quia facultatem illam accipiunt dum ordinantur.

Instabis. Laudati in argumento Patres, Tertullianus praesertim et Hieronymus eodem modo dicunt indigere episcopi facultate presbyterum ad baptizandum ac diaconum, sed hic ex quo episcopi facultate ad baptizandum indigeat, non est baptismi nisi extraordinarius minister. Ergo et ille.

Resp. Presbyteros et diaconos pendere utique ad baptizandum ab episcopi auctoritate et jussione, ut optime observant laudati Patres, sed gradu dispari. Illi vi ordinis ab episcopo accipiunt ut licite administare pos-

sint de jure divino baptismum. Hi autem, ut possint licite baptismum administrare, ex delegatione. Hujus rei ratio est quoniam dum ab episcopo ordinantur presbyteri audiunt ab ipso, *presbyterum oportet praeesse*, diaconis autem in eorum consecratione dicitur, *diaconum oportet ministrare*.

Dices. Presbyteris etiam parochis non licebat olim absque expressa episcopi facultate baptismum administrare, unde non vi ordinis presbyter est baptismi minister.

Resp. Olim quidem, nempe ab initio usque ad saeculum 5. viguisse disciplinam de qua in argumento, ast arguit id ecclesiasticam politicam et episcoporum jurisdictionem, non defectum ordinariae potestatis in presbyteris. Ad hoc illustrandum, exemplum valet sacerdotis qui vi ordinis potestatem habet fidelium confessiones excipiendi, nec tamen illas audire potest absque episcopi expressa facultate. Ceterum post saeculum 5. usus conferendi baptismi a presbytero iis etiam in locis ubi erat episcopus absque ejusdem episcopi expressa facultate invaluit tum in oriente tum in occidente, ut patet ex sacramentario S. Gregorii. Saeculo autem 7. mos ille ita obtinuit, ut pauci deinceps episcopi baptismum administrare consueverint; adeo verum est totum hocce negocium pertinere ad disciplinam salvo semper in presbyteris ordinario jure administrandi baptismum.

Insistes adhuc. Si presbyter sit ordinarius baptismi minister, jam nullum discrimen erit inter episcopum et presbyterum, nam episcopus quoque est baptismi minister ordinarius.

Resp. Etiamsi presbyter sit ordinarius baptismi minister, stat nihilominus magnum inter presbyterum episcopumque discrimen. Nonne presbyter est ordinarius minister non secus ac episcopus eucharistiae et poenitentiae? Nec proinde sequitur pares esse gradu ac dignitate presbyterum et episcopum; in multis siquidem episcopus presbyterum vincit, imo etiam in ipsa baptismi administratione, nam presbyter in sola sua parochia, episcopus vero in tota dioecesi baptismum conferre potest, nec esset presbyter ordinarius baptismi minister nisi potestatem illam vi ordinis ab episcopo accepisset.

Obj. 2. adv. 2. concl. Diaconi videntur ministri ordinarii sacramenti baptismatis, idque pluribus momentis demonstrare conatur Ludovicus Cellotius. I. diaconus vi ordinationis ordinariam habet baptizandi potestatem, sic enim episcopus diaconum ordinat: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare*, in quo non differt a presbytero quem sic episcopus alloquitur: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare*. II. possunt diaconi dispensare eucharistiam, ut patet ex cap. *pervenit* dist. 93. et poenitentiam peccatoribus dare juxta illud Cypriani ep. 17. *Apud diaconum exomologesim facere*, cur ergo non poterunt tamquam ministri ordinarii conferre baptismum? III. primi diaconi hoc fine ordinati fuerunt ab apostolis, ut baptismi sacramentum administrarent, ideo enim docent catholici diaconatum esse sacramentum propterea quod diaconi non ad profanum aliquod ministerium, sed ad Dei verbum praedicandum atque administranda sacra-

menta fuerunt ordinati, unde baptizandi potestatem habent vi ordinis, ac proinde ordinariam. IV. si res non ita se haberet, non differrent diaconi a laicis quibus licitum est in casu necessitatis baptizare.

Resp. ad 1. Ex ipsa ordinationis forma patet, presbyteris quidem non diaconis ordinariam esse potestatem baptizandi, illis enim facultas tribuitur ut praesint, his autem ut ministrent, quare vi ordinis possunt diaconi baptizare ex delegatione. Hinc dist. 93. cap. *diaconos* habetur: *Diaconi absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis omnibus ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat*.

Ad 2. Falsum omnino est ad ordinariam diaconi potestatem pertinere dispensationem eucharistiae. Id aliquando fecerunt necessitate cogente ex episcopi vel presbyteri facultate. Hinc lib. 8. const. apost. legitur: *Oblatione ab episcopo vel presbytero facta, ipse diaconus dat populo, non tamquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat presbyteris*. Quod si quando in usu erat communio sub utraque specie dispensabant diaconi populo sanguinem, id praestabant propterea quod fieri poterat absque eo quod tangerent sacramentum. Demum aliud est sacramentum jam perfectum populo dispensare, aliud vero sacramentum perficere. Diaconos praeterea dedisse poenitentiam nullo demonstrari potest argumento. Ex verbis S. Cypriani colligitur tantum diaconos olim ex episcopi mandato recepisse deprecationes poenitentium qui gradus omnes compleverant, non absolutionem impendisse.

Ad 3. dico primos diaconos ordinatos ab apostolis fuisse ut verbum Dei praedicarent, et administrarent sacramentum baptismi ex delegatione et mandato episcoporum vel sacerdotum, non ex officio et jure ordinario. En verba apostolorum quando de instituendis diaconis decreverunt: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus*. Ita legitur Actor. cap. 6.

Ad 4. Plura sunt discriminis capita inter diaconos et laicos quamvis illi non sint ordinarii ministri baptismatis. 1. Diaconi ex episcopi vel presbyteri mandato publice solemnique ritu possunt baptismum consecrare, quod nec minoribus clericis nec laicis unquam conceditur. 2. Possunt diaconi etiam extra casum necessitatis ab episcopis delegari ad baptizandum, quod non possunt clerici minores et laici. 3. Laicis minoribusque clericis, praesente diacono, baptismum administrare non licet, quod licet diaconis praesente episcopo, si habeant ab illo facultatem.

Obj. 3. cont. 3. concl. I. argumentum ex antiqua traditione a nobis deductum ad probandum laicorum baptismum in casu necessitatis, nullius ponderis esse videtur, nam Tertullianus quem in nostrae sententiae patrocinium adduximus falsam omnino fluxamque opinionis suae profert rationem, ait enim: *Quod ex aequo accipitur, ex aequo dari potest*, quasi vero laici valeant eucharistiam conferre, confirmationem aliaque sacra-

menta ab ipsis accepta. II. oracula Scripturarum contrariam potius a catholica sententiam astruunt, Christus namque non laicis, sed apostolis ac proinde episcopis et presbyteris jussit ut baptizarent quando dixit, *Euntes docete omnes etc.* III. auctor const. apost. lib. 3. cap. 10. Oziac poenam minatur laico baptismum administranti, dicens: *Sed neque laicos concedimus aliquod sacerdotale munus exercere, veluti sacrificium, baptismum, manuum impositionem etc.* IV. Gregorius M. ep. 33. lib. 1. hortatur Ravennae exarchum ut dimittat hortensem episcopum ne catechumeni sine baptismo decedant. Quam caussam affert etiam S. P. Augustinus in ep. 180. ad fratrem et coepiscopum Honoratum ut Ecclesiae ministris suaderet ne in persecutione wandalica fugam arriperent. Quorsum haec si laicis in casu necessitatis facultas asseritur conferendi baptismatis?

Resp. ad 1. Non diffitemur Tertulliani rationem allatam ad demonstrandum licere laicis conferre baptismum urgente necessitate, ob absurdum in argumento citatum, minus validam esse. Sed ex eo sequitur non recte fuisse argumentatum doctissimum illum virum, bonamque caussam falsis confirmasse rationibus, non autem sequitur falsam esse sententiam quam credendam proponit. Neque nos solius Tertulliani usi sumus auctoritate, vel argumento ab eo prolato catholicam firmavimus opinionem, sed Tertulliani nomen assumpsimus tamquam testimonium antiquitatis quae hac in caussa nostram semper tenuit sententiam.

Ad 2. Christi verba Matth. cap. ultimo demonstrant dumtaxat apostolos ac proinde episcopos et presbyteros esse ministros baptismi ordinarios, non negant tamen idem munus in casu necessitatis spectare etiam ad laicos. Patet id tum ex traditione quae est fidissima Scripturarum interpres, tum ex quo Philippus et Ananias qui nec episcopi erant nec presbyteri baptismum administrarunt. Et quemadmodum licitum est laicis privatim docere, quamvis Christus solis apostolis dixerit, *docete*, ita urgente necessitate licitum est laicis privatim baptizare, etsi solis apostolis idem Christus dixerit, *baptizate*.

Ad 3. Legenti locum in argumento allegatum ex constitutionibus apostolicis manifestum est reprehendi ibi nonnullos laicos qui munera exercere volebant sacerdotalia, atque idcirco cadit comminatio in laicos baptizantes solemni ritu, non privatim et urgente necessitate.

Ad 4. Argumentum inprimis ex magno Gregorio deductum nimis probaret, presbyteros nempe et diaconos nullum habere jus conferendi baptismatis; nam inverisimile omnino est hortensem dioecesim tempore Blondi nullum habuisse sacerdotem nullumque diaconum qui posset baptismum administrare. Dicendum ergo est episcopos consuevisse juxta ecclesiasticam disciplinam nonnullos sibi reservare solemniores dies ad baptismum administrandum. Cumque hortenses quotidie proprium episcopum expectarent, hac spe decepti non pauci absque baptismate decedebant. Hac de caussa vigilantissimus Pontifex hortatur exarchum ut Blondum dimittat. Augustinus autem prae oculis habebat ignorantiam fidelium longe ab episcopis atque presbyteris, hinc jubet ne pastores metu perse-

cutionis gregem relinquant ut docere possint, baptizare, aliaque sacramenta conferre.

Instabis. S. P. Augustinus lib. 2. cont. ep. Parmen. cap. 13. inter probationes 3. concl. a nobis laudatus de baptismo in casu necessitatis a laico collato inquit: *Nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum*. Quae verba demonstrant haesitasse hac in caussa S. doctorem. Idque confirmatur ex his quae ibidem habet: *Si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est*.

Resp. Magnum Augustinum nunquam dubium haesisse hac in quaestione, quum lib. 7. de bapt. cap. 53. scripserit verum esse baptismum *ubicumque et a quibuscumque verbis evangelicis consecratum*. Affirmans ergo se nescire an pie dici possit laicorum baptismum esse repetendum, idem est ac si dicat, id absque impietate affirmari non posse. Similiter illa S. doctoris disjunctiva propositio, *aut nullum aut veniale delictum est*, absolute definit nullum esse delictum si omnimoda diligentia adhibita sit in perquirendo sacerdote etiam urgente necessitate, esse autem veniale delictum si non omnimoda adhibita sit diligentia.

Obj. 4. adv. eamd. 3. concl. Saltem foeminae arcendae sunt a ministerio baptismatis quacumque ingruente necessitate, nam I. Tertullianus lib. de bapt. cap. 17. inquit: *Petulans autem mulier quae usurpavit docere, utique non etiam tingendi sibi jus pariet*. Similia repetit pluribus in locis. II. Epiphanius haer. 79. damnat illos qui mulieribus ministerium baptismi committunt, asserens ne beatissimae quidem Virgini baptizandi facultatem fuisse collatam. III. concilium carthaginense can. 100. *Mulier*, inquit, *quamvis docta et sancta ... baptizare non praesumat*.

Resp. Tria illa quae objecta sunt intelligenda esse de baptismo solemni ritu a mulieribus non administrando. Atque ad 1. percellit ibi Tertullianus Priscillam, Quintillam, aliasque petulantes foeminas quae Dei verbum in conventiculis haereticorum praedicare, baptisma publice conferre, et alia sacerdotum munera exercere praesumebant. Patet id legenti integrum Tertulliani locum. Et sane eodem modo Tertullianus foeminas damnat quod baptizent, ac quod verbum Dei doceant. Porro non negat ipse mulieribus munus docendi privatim si id caritas exigat. Itaque nec denegat mulieribus baptizandi facultatem si necessitas urgeat nec sacerdos adsit vel clericus vel vir laicus, hic enim si adsit, illicitum est foeminae administrare baptismum.

Ad 2. Etiam Epiphanius damnat peputianos, cataphryges, collyridianos apud quos mulieres episcopi erant ac presbyteri, unde quum denegat foeminis baptizandi potestatem, loquitur de potestate publica et ordinaria quae in solis sacerdotibus residet.

Ad 2. Quod laudatus carthaginensis canon loquatur de ministerio publico et solemni, patet ex collatione canonis 90. cum 100. In canone 90. dixerant Patres, *mulier quamvis docta et sancta viros in conventu docere non praesumat*. Quid est docere viros in *conventu*, nisi publice exercere verbi ministerium? Ergo cum can. 100. subdit, *mulier baptizare*

non prhesumat, utique subintelligitur *in conventu*, adeoque publice et solemni ritu.

CAPUT VIII.

An fides requiratur in ministro baptismi.

Capite octavo praecedentis libri ubi de sacramentorum ministris pertractavimus, acturos nos spopondimus hoc in loco adversus donatistas de fide ad valorem sacramentorum in ministris requisita, quod ut lectorum expectationi respondeamus facere nunc aggredimur. Quoniam vero non de omnibus sacramentis, sed de solo baptismo disserere hoc in libro propositum nobis est, inquiremus dumtaxat an ad divinissimi hujus sacramenti validitatem necessaria sit in ministro fides, animadvertentes quod quidquid de baptismo dicitur, illud de reliquis sacramentis intelligi debeat. Sed antequam operi manum admoveamus brevis rebaptizantium erit historica narratio contexenda.

Saeculo secundo labente et initio tertii carthaginensem regebat ecclesiam Agrippinus qui primos inter catholicos africae nullum esse existimavit haereticorum baptismum, testibus Augustino lib. 2. de bapt. cap. 7. aliisque in locis, et Vincentio lirinensi common. 1. cap. 9. nec Cyprianus alium in suae opinionis patrocinium citare potuit antiquiorem Agrippino auctorem in suis epistolis ad Quintum, ad Jubajanum, ad alios. Nam quod inquiunt aliqui, primum rebaptismi auctorem fuisse Tertullianum, non tam certo affirmari potest, quum uterque eadem aetate Carthagine floruerit. Circa annum igitur 215. *Agrippinus bonae memoriae vir, cum ceteris coepiscopis suis qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, et librato consilii communis examine firmavit, venientes a quacumque haeresi esse rebaptizandos*, inquit Cyprianus in ep. ad Quintum. Circa eadem tempora vel paullo ante, ut suspicatur Valesius in not. ad cap. 7. lib. 7. hist. Eusebii, in Phrygia Asiae minoris provincia cum a quibusdam de haereticorum baptismi valore dubitaretur, duo habita sunt concilia, iconiense nimirum, et synnadense, in quibus irritum declaratum est haereticorum schismaticorumque baptisma. Meminit synnadensis concilii Dionysius alexandrinus apud Eusebium hist. lib. 7. cap. 7. iconiensis autem Firmilianus Caesarae in Cappadocia antistes qui in ep. ad Cyprianum narrat se concilio illi interfuisse, et latam contra baptisma haereticorum sententiam suffragio suo confirmasse. Sed quamvis multi inter orientales et afros ita sentirent, nullum tamen excitatum fuit in Ecclesia dissidium. Accidit id primum tenente carthaginensem ecclesiam Cypriano sanctissimo episcopo. Res autem ita se habuit.

Anno 255. quum Januarii episcopi animus ab hac pulsaretur quaestione, *an validum sit haereticorum baptisma*, nomine tum suo tum aliorum numidicae provinciae antistitum a sanctissimo aeque ac doctissimo carthaginensis ecclesiae episcopo Cypriano quaestionis petiit solutionem.

Hic congregato concilio 31. episcoporum rescripsit: *Neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, quum sit baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum*. Parem anno sequenti 256. responsionem dedit Cyprianus ad Quintum in Mauritania episcopum a quo de eadem fuerat interrogatus quaestione. Imo ut majori indagine veritatem quaereret, copiosiorem collegit synodum septuaginta nempe unius episcoporum quorum suffragio sententiam jam in epistola ad Januarium expressam novis argumentis confirmavit. Quum vero opinionem suam utpote Scripturis traditionique, ut sibi videbatur, consentaneam, certam aut saltem probabiliorem existimaret, ut majus illi pondus adderet, duos Romam misit ad S. Stephanum tunc summum Pontificem ex postremo concilio episcopos cum ep. synodica modestiae caritatisque plena, sperans futurum ut romanus Pontifex latam in carthaginensi concilio definitionem circa baptismum haereticorum auctoritate sua confirmaret. Sed res e contra accidit, nam Stephanus non solum afrorum sententiae non adhaesit, non solum duos illos ad se missos episcopos colloquio, imo nec conspectu quidem dignatus est, et ne ab aliis reciperentur hospitio districte prohibuit, sed praeterea in ep. quam ad africanos episcopos rescripsit Cyprianum probroso nomine pseudochristi, pseudoapostoli, et dolosi operarii appellavit, peremptorium hoc addens decretum: *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur per poenitentiam*; fidei nimirum puritatis tenacissimus maluit nimia severitate uti usque eo ut excommunicationis poenam comminatus illis sit ni resipiscerent, quam sinere ut catholica veritas vel in minimo labafectaretur.

Sed tanta zelantissimi pastoris asperitas non potuit pacatissimum Cypriani animum non commovere. Hinc eodem anno 256. kalendis septembris tertiam Carthagine celebrat concilium 87. episcoporum ex provinciis Africa, Numidia, et Mauritania, nescio num ad confirmandam latam in superioribus conciliis definitionem, an ad veritatem magis eliquandam. Illud unum certum est omnes in hac synodo sive episcopos sive presbyteros et diaconos quorum numerus ingens erat unanimi consensione damnasse baptismum haereticorum. Tempore quo carthaginensis haec synodus celebrabatur vel paullo ante, ut Pompejum episcopum de responso a Stephano accepto Cyprianus certiorem redderet, sicut ille desideraverat epistolam ad eum dedit in qua tetro commate romanum Episcopum notat haereticorum patronum, superbum ac imperitum eum appellans. Deinde quum rescivisset eumdem Stephanum ad episcopos quoque per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutos scripsisse, *sese ob eam caussam ab illorum communione discessurum, quod haereticos rebaptizarent*, ut Dionysius alexandrinus inquit in ep. ad Sixtum quae est apud Eusebium lib. 7. H. E. cap. 5. litteras ad Firmilianum Cappodociae primatem dedit, solatium in moerore quaerens, et opinionis suae confirmationem. Cypriani litteris respondens Firmilianus tam imprudenter, ne dicam audacter, in romanum Pontificem insurgit ut nisi fervidiori orientalium ingenio aliquid dandum esset, vix a scelere posset excusari. Ex hac hi-

storicae narrationis serie jam liquido apparet non paucas illis temporibus ecclesias, multosque praeclaros viros errori rebaptizantium adhaesisse; unde Vincentius lirinensis common. cap. 10. de hac controversia loquens, *Rara*, inquit, *vis ingenii adfuit, tanta eloquentiae flumina, tantus assertorum numerus ... ut mihi omnis ista conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur, nisi sola tanti moliminis causam ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset*. Nihilominus in tam magno rerum discrimine maximum divinae providentiae eluxit miraculum, quae non permisit ut unitas Ecclesiae scinderetur. Ille enim idem Cyprianus qui tot tantisque conviciis Stephani famam lacessivit existimans quaestionem hanc de rebaptismo non ad fidem aut mores, sed ad meram disciplinam pertinere, arctissimum caritatis cum eo vinculum nunquam dissolvit. Sed quis tandem fuit universi negotii hujus exitus? *Quis utique*, inquit Vincentius lirinensis common. cap. 9. *nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas*, sedatis videlicet contendentium animis, omnes per orbem ecclesiae Sedis romanae decreto subscripserunt.

Atque ita se habet rebaptizantium historia de qua multa inquirere solent theologi, et 1. An tota haec nuper a nobis in epitomen exposita narratio revera genuina sit vel potius a donatistis conficta. 2. An historiae hujus supposita germanitate, S. Stephanus approbans haereticorum baptismum, admiserit etiam illum collatum absque debita forma. 3. An idem S. Pontifex ejusmodi quaestionem tamquam de fide definiverit. 4. An Cyprianus, Firmilianus eorumque collegae fuerint a Stephano ecclesiastica communione privati. 5. Utrum iidem sancti viri de fide crediderint haereticos esse rebaptizandos. 6. An ejusmodi errorem ad mortem usque tenuerint, aliaque hujus generis. Quoad primam quaestionem Tournely societatis Jesu, et Missorius ex ordine min. conv. eleganter magis quam vere conati sunt demonstrare totam hanc de rebaptizantibus historiam suppositam esse, et a donatistis confictam, ceteri autem ecclesiastici scriptores per quindecim integra saecula ita pro certa et indubitata illam habuerunt ut ne unus quidem unquam de illius suppositione suspicatus fuerit. Quoad alteram, praeclariores theologi tenent Stephanum rom. Pont. non approbasse nisi baptisma collatum in nomine Trinitatis contra M. A. de Dominis, Blondellum, Launojum, atque Dupinum existimantes quorumcumque haereticorum Stephanum approbasse baptisma. Circa tertiam, omnes unanimi consensione affirmativam propugnant sententiam. Sed iterum dissociantur eruditi ubi sermo fit de anathemate a Stephano contra rebaptizantes intentato. Valesius, Pagius, Natalis Alexander, recentioresque omnes affirmant S. Pontificem comminationis limites non excessisse. Tillemonsius autem, Rigaltius, nonnullique alii arbitrantur anathema in rebaptizantes intortum revera fuisse. Baronius denique, Lupus, Cabassutius, et alii perpauci quoad Firmilianum primam, quoad Cyprianum alteram tuentur opinionem. In quinta dirimenda controversia similiter non conveniunt, quum Natalis Alexander, Petitdidier, Serry, Tournely, Juve-

nin, Berti, aliique complures negativam, Bossuet, Habert, Drouven affirmativam tueantur partem. Denique consociantur iterum eruditi ubi de Cypriani ac Firmiliani resipiscentia pertractatur, omnes nempe consentiunt incertum esse an sancti illi viri errorem ad mortem usque tenuerint. Haec, inquam, non inutiliter a doctissimis theologis passim disputari solent in scholis. A quibus tamen nos brevitati consulentes abstinendum putamus ut quae magis necessaria sunt tradamus tyronibus quos instituendos hisce opusculis nobis proposuimus. Quare dogmaticam tantum quaestionem, an ad baptismi valorem fides in ministro requiratur pro dignitate versare curabimus. Hinc sit

CONCLUSIO I.

Validum est baptisma cum debita forma collatum ab haereticis.

Prob. 1. ex perpetua Ecclesiae consuetudine. Ab apostolis ad haec usque nostra tempora Ecclesia nunquam consuevit iterum baptizare illos qui ab haereticis cum debita forma fuerant baptizati, ergo etc. Nam orta inter africanos episcopos et Stephanum romanum Pontificem controversia de rebaptismo, haec a romana Sede lata est definitio: *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam*, sed traditio a S. Stephano in recitato decreto allata erat vetustissima et ab apostolis descendens, cui tandem, si non Cyprianus et Firmilianus, alii tamen vel ipsis viventibus vel paullo post illorum mortem unanimi consensione cesserunt; unde Hieronymus in dial. adv. Lucif. *Denique*, inquit, *illi ipsi episcopi qui rebaptizandos haereticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum: quid facimus? ita et nobis majores nostri, et illis sui tradidere majores.* Et S. P. Augustinus lib. 2. de bapt. cont. donat. cap. 7. scribit: *Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ad baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem. Nondum enim erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est. Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem (sicut multa quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur) hanc ergo etc.* Haec aliaque plura scribebat Augustinus disputans adversus donatistas. Vincentius lerinensis common. cap. 9. ait: *Venerabilis memoriae Agrippinus carthaginensis episcopus primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta majorum rebaptizandum esse censebat.* Dubitari ergo non potest quin dogma de non rebaptizandis

haereticis ab apostolis ad Stephani tempora per successivas aetates descenderit.

Nec obstat quod Cyprianus quoque ad Ecclesiae vetustam consuetudinem provocaret. Nam illa qua sanctus martyr muniebatur antiqua traditio, aetatem Agrippini praedecessoris sui non excedebat, ut ipsemet fatetur in ep. ad Quintum, Agrippinus autem concilium super hac re habuerat anno circiter 215. Porro *in eo ipso quod concilium Agrippini commemorat, aperte indicat fuisse aliam consuetudinem Ecclesiae. Neque enim opus erat hoc concilio velle statuere, si jam consuetudine tenebatur*, ut optime observat S. P. Augustinus lib. 2. de bapt. cap. 9. Deinde decipiebatur aperte S. Cyprianus affirmans rebaptizandi morem jam ab Agrippini aetate in africana ecclesia viguisse. Nam *si permanebat ab Agrippino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab haereticis venientes, ut quid facta sunt a Cypriano de hac re concilia? ut quid eidem Jubajano dicit, non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agrippino institutam? cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per auctoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus collegae in concilio dixerunt rationem et veritatem consuetudini praeponendam, ac non potius dixerunt, eos qui aliud facere vellent, et contra veritatem et contra consuetudinem facere?* Ita acute disputat doctorum aquila Augustinus contra donatistas lib. 3. de bapt. cap. 12.

Prob. 2. ex ecclesiasticis definitionibus. 1. Definitum fuit catholicum dogma in concilio illo plenario de quo S. P. Augustinus in lib. 2. de bapt. cap. 7. loquitur, et de quo disputant eruditi an fuerit arelatense vel nicaenum utrumque primum. Tanti autem faciebat illius plenarii concilii auctoritatem S. doctor, ut fidenter affirmaverit Cyprianum illi proculdubio cessisse si celebratum fuisset sua aetate. Et quoniam disputatur, ut ajebam, an plenarium illud concilium arelatense fuerit vel nicaenum, utriusque definitionem in medium afferemus. Arelatense ergo 1. celebratum anno 314. hoc edidit in caussa nostra decretum: *De afris quod propria lege sua utantur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum: quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur*. Concilium autem nicaenum habitum anno 325. sic statuit: *De his qui se nominant catharos, idest mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno concilio ut impositionem manus accipientes sic in clero permaneant*. Hac definitione admittunt Patres baptismum cum debita forma ab haereticis collatum. Canone autem 19. respuit baptisma haereticorum qui evangelicam formam corrumpebant: *De paulianistis ad Ecclesiam catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis*. 2. Concilium laodicenum medio circiter 4. saeculo celebratum can. 7. jubet recipi novatianos, photinianos, et thessaradecititas cum *sola sacri olei* inunctione. Can. autem 8. statuit quod mon-

tanistae et cataphrygae debeant *omni industria institui et baptizari*. 3. Concilium constantinopolitanum 1. habitum an. 381. praecipit rebaptizandos esse eunomianos, montanistas, sabellianos quod evangelicis verbis non uterentur, non vult autem ut rebaptizentur ariani, macedoniani, et novatiani quod debitam servarent formam. 4. Paullo post, anno nimirum 389. coactum fuit concilium capuanum in quo catholica sententia pariter definita est, in codice enim canonum ecclesiae africanae num. 48. haec leguntur: *Illud etiam suggerimus mandatum nobis, quod etiam in capuensi plenaria synodo videtur statutum, non liceat fieri rebaptizationes et reordinationes*. 5. Anno 393. synodus hipponensis definivit ut in recipiendis donatistis *invitatae pacis compensatione et sacrificio caritatis aboleantur quae majorum suorum auctoritatem sequentes repetitione baptismatis commiserunt*. 6. Concilium tridentinum sess. 7. hunc edidit canonem num. 4. *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit*. 7. Siricius Papa ad Himerium tarraconensem ita scribit: *Prima itaque paginae tuae fronte signasti baptizatos ab impiis arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet, et canones contradicant*. Consimilia decrevit Innocentius I. in ep. ad Victricium rothomagensem, praecipiens *ut venientes a novatianis vel montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur; quia quamvis ab haereticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati*.

Prob. 3. rationibus aliquot theologicis ex S. P. Augustino desumptis in libris adversus donatistas, neque enim omnia et singula a S. doctore prolata argumenta persequi necesse est. Itaque I. si quae ratio sit per adversarios cur haereticorum schismaticorumque baptisma non valeat, maxime illa esset quod baptisma haereticorum sit atque schismaticorum, sed istaec ratio nulla est, *quia non est baptismus ille haereticorum vel schismaticorum, sed Dei et Ecclesiae, ubicumque fuerit inventus*. Quod pergit explicare initio capitis 15. dicens: *Ecclesia quippe omnes per baptismum parit, sive apud se, idest, ex utero suo, sive extra se de semine viri sui. Sed et Esau de uxore natus, propter fraternam discordiam separatus est a populo Dei ... Unde et Ismaeli ut separaretur a populo Dei non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia et non profuit potestas uxoris cujus magis filius erat, quia per ipsius jura conjugalia et in ancilla seminatus erat, et ex ancilla susceptus. Sicut apud istos Ecclesiae jure quod est in baptismo, nascuntur quicumque nascuntur*. Ita cap. 14. et 15. lib. 1. de bapt. cont. donat. ratiocinatur Augustinus. II. sic prosequitur argumentari S. Pater lib. 6. cap. 9. *Si non esset baptisma unum et verum nisi in Ecclesia, non utique esset in eis qui ab unitate discedunt. Est autem in eis, nam id non recipiunt redeuntes, non ob aliud nisi quia non amiserant recedentes*. III. si invalidum est haereticorum schismaticorumque baptisma, invalidum

quoque dici debet baptisma improborum scelestissimorumque hominum, quod tamen negabat S. Cyprianus. Et sane, hoc argumentum urgebant rebaptizantes in concilio carthaginensi: *Qui haereticos potestatem baptizandi habere dicit, dicat prius quis haeresim condiderit. Si enim haeresis a Deo est, habere indulgentiam divinam potest, si vero a Deo non est, quomodo gratiam Dei aut habere aut conferre alicui potest?* Totum autem hoc argumentum ex aequo urgeri potest ad demonstrandum invalidum quoque esse baptismum improborum hoc modo: *Qui malevolos et invidos potestatem baptizandi habere dicit, dicat prius quis malevolentiam invidiamque condiderit. Si enim malevolentia et invidia a Deo est, habere et indulgentiam divinam potest. Si vero a Deo non est, quomodo aut gratiam Dei habere, aut conferre alicui potest? Sed sicut ista eodem modo dicta manifestissime falsa sunt, sic etiam illa quae ut convincerentur haec dicta sunt. Baptizant enim malevoli et invidi, sicut concedit ipse Cyprianus, quia eos etiam intus esse testatur. Sic ergo possunt etiam haeretici baptizare, quia baptismus Christi sacramentum est. Invidia vero et haeresis opera diaboli, quae quisquis habuerit non hinc efficit, ut si habeat sacramentum Christi, etiam ipsum numeretur inter opera diaboli.* Agnoscis Augustinum ita ratiocinantem in lib. 6. de bapt. cap. 26. IV. eodem modo loquendum est de sacramentis ac de scriptura evangelii, sed evangelium semper est verbum Dei etiam in ore haereticorum perversas opiniones habentium, ergo sacramenta vera semper sunt etiam cum ab haereticis administrantur: *Sacramenta*, ait Augustinus lib. 3. de bapt. cap. 15. *si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi prave intelliguntur, et discordiose tractantur: sicut scriptura ipsius evangelii si eadem ipsa est, ubique integra est etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur.* Alia bene multa praeclara hujus generis argumenta urget S. doctor adversus donatistas in libris de baptismo quos consulat lector. Nos interim ad alia progredimur.

CONCLUSIO II.

Valet quoque baptisma cum debita forma collatum ab infidelibus.

Prob. 1. auctoritate Patrum et praesertim Augustini qui in libris de baptismo contra donatistas totus est, ut in antecedenti concl. vidimus, ut demonstret nec probitatem nec fidem ministrantium necessario requiri ad baptismi validitatem, quum baptismus non ministrorum sit, sed Christi et Ecclesiae. Deinde idem S. doctor etiamsi non eadem certitudine probaverit baptismum infidelium qua haereticorum ac schismaticorum baptismum probavit ex eo quod nulla tunc haberetur vel nationalis vel plenarii concilii definitio, probavit tamen apertissime, ut videre est in lib. 7. de bapt. cap. 53. ubi hanc proponit quaestionem: *Solet etiam quaeri utrum approbandum sit baptisma quod ab eo qui non accepit accipitur, si forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit.* Sic au-

tem dubium resolvit: *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali concilio coepta, nullo plenario terminata*. Et rursus addit: *Verumtamen si quis forte me in eo concilio constitutum, ubi talium rerum quaestio versaretur, non praecedentibus talibus quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipse sentirem, si eo modo affectus essem quo eram cum ista dictarem, nequaquam dubitarem habere eos baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione, et cum aliqua fide accepissent*. Ita pro modestia sua loquebatur Augustinus quum adhuc controversia haec definita non erat ab Ecclesia. Fidentius certe loquutus fuisset si postquam ecclesiasticae definitiones accesserunt scripsisset, unde

Prob. 2. ex ecclesiasticis definitionibus. Nicolaus Papa I. cap. 104. resp. ad consulta bulgarorum: *A quodam judaeo*, inquit, *nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine Trinitatis ... baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos*. Concilium florentinum in decreto Eugenii Papae inquit: *In casu necessitatis etiam paganus et haereticus baptizare potest*.

CAPUT IX.

Objectiones contra superiores conclusiones resolvuntur.

Obj. 1. adv. 1. concl. Sacra Scriptura docet 1. opera quae fiunt ab haereticis atque schismaticis esse immunda, aut saltem irrita et vana; Numer. enim cap. 19. v. 22. legitur: *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet*. Et psal. 140. v. 5. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. Et in 2. ad Cor. cap. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras?* Hujus generis sunt bene multa in veteri et in N. Testamento ex quibus colligitur baptismum a schismaticis et ab haereticis collatum immundum esse, adeoque nullum et irritum. 2. Eadem Scriptura docet solam catholicam Ecclesiam esse Christi sponsam, ac proinde in solo Ecclesiae catholicae sinu spirituales Christi filii gigni possunt per baptismum. *Tota pulchra es*, inquit Salomon in Cant. cap. 4. v. 7. *amica mea, et macula non est in te*. Et cap. 6. v. 8. *Una est columba mea, perfecta mea*. Et in 2. ad Cor. cap. 11. v. 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Docet 3. fontem aquae vivae, hoc est lavacrum regenerationis non esse nisi intra catholicam Ecclesiam, foris vero esse cisternas dissipatas. Cant. enim cap. 4. Ecclesia dicitur *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus ... puteus aquarum viventium*. Et apud Jeremiam cap. 2. v. 13. sic conqueritur Dominus: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quae continere non*

valent aquas. Hinc Christus Dominus Joan. cap. 7. v. 37. ut demonstraret in sola Ecclesia esse aquas veri baptismatis, ajebat: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me ... flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*.

Resp. 1. singula mox allata ex sanctis paginis testimonia nimis probare, adeoque nihil. Si enim sensu ab adversariis intento explicanda essent, demonstrarent, non solum schismaticorum et haereticorum, sed etiam quorumcumque peccatorum baptismum invalidum esse et inane, pertinent quippe testimonia illa etiam ad peccatores. Et sane quoad sententias priori loco allatas, nonne peccatores etiam sunt immundi, habent iniquitatem, et Scripturarum phrasi tenebrae dicuntur? In testimonia secundo loco prolata sic fatur Augustinus noster lib. 5. de bapt. cap. 24. *Si propterea filios Deo generare non potest haeresis per Christum, quia Christi sponsa non est, nec turba illa malorum intus constitutorum potest, quia et ipsa Christi sponsa non est. Designatur enim Christi sponsa sine macula, et ruga. Ergo aut non omnes baptizati filii sunt Dei, aut potest et non sponsa generare filios Dei*. Consimilia habet S. Pater solvens argumenta deducta ex Scripturarum locis num. 3. recitatis, lib. enim. 5. cont. donat. cap. 27. ita scribit: *Quod in cantico canticorum Ecclesia sic describitur, hortus conclusus etc. hoc intelligere non audeo nisi in sanctis et justis, non in avaris, et fraudatoribus, et raptoribus, et foeneratoribus, et ebriosis, et invidis, quos tamen cum justis baptismum habuisse communem, cum quibus communem non habebant utique caritatem, ex ipsius Cypriani litteris, sicut saepe commemoravi, uberius discimus et docemus. Nam dicat mihi aliquis quomodo irrepserint in hortum conclusum et fontem signatum, quos saeculo solis verbis et non factis renuntiasse Cyprianus, et tamen intus fuisse testatur*? Laudata igitur testimonia in sensu adversariorum accepta non solum haereticorum et schismaticorum, sed etiam peccatorum baptisma rejicerent, quod esset nimis probare. Nunc ad singula directe.

Resp. 2. ad 1. opera quae fiunt a schismaticis et haereticis esse immunda, esse falsum oleum, esse tenebras, ac proinde vana et inutilia, si opera illa fiant ab haeretico et schismatico virtute propria et merito suo, secus vero si fiant merito et virtute Christi. Distinguendum itaque sedulo est inter opus Christi et opus ministri. Falsa dogmata et divisio unitatis fuit opera haereticorum et schismaticorum, atque de his operibus loquuntur Scripturae locis in argumento laudatis. Ast baptismus ceteraque sacramenta quae ab iisdem haereticis et schismaticis administrantur non sunt opera illorum, sed Christi Domini institutoris, ut capite praecedenti fuse docuimus, unde non sunt irrita et nulla.

Ad 2. Fateor solam Ecclesiam catholicam quae est Christi sponsa gignere filios Dei, sed *sive apud se, idest, ex utero suo, sive extra se de semine viri sui*, idest Christi, *sive de se, sive de ancilla*. Responsio est S. P. Augustini in lib. 1. de bapt. cap. 15. qui in cap. ejusdem libri 16. subdit: *Cum tales a spiritalibus evangelizantur, et sacramentis*

imbuuntur, tamquam per seipsam Rebecca eos parit sicut Esau: cum autem per illos qui non caste annuntiant evangelium, tales in Dei populo generantur. Sara quidem, sed per Agar.

Ad 3. dico fontem aquae vivae non esse nisi intra Ecclesiam quoad effectum, quum nonnisi intra Ecclesiam sit caritas de corde puro et fide non ficta, ast fons aquae vivae quoad virtutem etiam extra Ecclesiam decurrit. Sive clarius. Baptismus in Ecclesia confertur valide et legitime; extra Ecclesiam valide quidem, sed illegitime. Audiatur Augustinus lib. 4. de bapt. cap. 1. *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis posse quidem ejus baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere. Nam et flumina de fonte paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt ... nec tamen in Mesopotamia vel in Aegypto quo illa flumina pervenerunt est felicitas vitae quae in paradiso commemoratur. Ita fit, ut cum paradisi aqua sit extra paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiae potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatae vitae nonnisi intra Ecclesiam reperitur etc.* Et lib. 5. cap. 7. subdit: *Baptismum ergo legitimum habent, sed non legitime habent ... ita enim habet quemadmodum utitur: non autem legitime utitur qui eo contra legem utitur. Quod facit omnis qui baptizatus perdite vivit, sive intus sive foris.*

Obj. 2. cont. eamd. 1. concl. I. Petrus in sua 1. ep. cap. 3. comparat Ecclesiam arcae Noë, cumque tempore diluvii ii tantum salvi facti sint qui erant in arca Noë, sequitur illis dumtaxat baptismum afferre salutem qui sunt intra Ecclesiam. En Petri verba: *In qua, hoc est in arca, pauci, idest octo animae salvae factae sunt per aquam: quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio apud Deum.* II. Paulus ad Ephes. cap. 4. tradit baptismum unum esse sicut una est fides, apud haereticos autem fides non est, unde nec est baptismus: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae: unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et pater omnium.* III. Joannes in 2. ep. vetat fidelibus ne haereticos recipiant in domum neque ave eis dicant, quanto minus ergo licebit ab illis sacramenta recipere? *Si quis*, inquit, *venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.*

Resp. 1. Haec quoque argumenta sicut et illa superius allata faciunt contra baptismum collatum a peccatoribus quem tamen Cyprianus validum esse affirmabat. Et in Petri quidem sententiam sic loquitur S. P. Augustinus lib. 5. de bapt. cap. 28. *Manifestum est, id quod dicitur, in Ecclesia intus et foris, in corde, non in corpore cogitandum, quandoquidem omnes qui corde sunt intus, in arcae unitate per eamdem aquam salvi fiunt: per quam omnes qui corde sunt foris, sive etiam corpore foris sint sive non sint tamquam unitatis adversarii moriuntur.*

In apostoli autem verba secundo loco citata ita scribit idem S. doctor lib. 6. de bapt. cap. 8. *Ad haec respondeo, quoniam quisquis etiam intus confitetur se Deum nosse, factis autem negat, quales sunt avari et invidi, et qui propter fraternum odium non meo, sed S. Joannis apostoli testimonio dicuntur homicidae; et spem non habent, quia malam conscientiam gerunt: et perfidi sunt, quia non id agunt quod Deo voverunt etc. Tales autem nonnullos, imo plurimos et apostolus Paulus, et episcopus Cyprianus etiam intus esse testantur. Cur ergo isti baptizant? cur etiam quidam qui saeculo verbis et non factis renuntiant, ab hujusmodi moribus non mutati baptizantur, et quando mutantur non rebaptizantur?*

Resp. 2. singula Scripturae loca explicando. Atque ad 1. dico comparatione illa confirmari potius quam destrui sententiam catholicorum, nam nil aliud denique allatum argumentum demonstrat quam baptismi sacramentum iis qui sunt extra Ecclesiam non prodesse, quod nos ultro concedimus. Ceterum ex eo non probatur extra Ecclesiam non esse baptismum quoad sacramenti substantiam et virtutem. Sed jam argumentum illud pro more suo, nempe breviter non minus quam solide solverat Augustinus lib. 5. de bapt. cap. 28. dicens: *Sicut ergo non alia, sed eadem aqua et in arca positos salvos fecit, et extra arcam positos interemit, sic non alio sed eodem baptismo et boni catholici salvi fiunt, et mali catholici vel haeretici pereunt.*

Ad 2. respondeo verbis S. P. Augustini qui lib. 5. de bapt. cap. 26. ita allatum ex Apostolo solvit argumentum: *Traditum est ... ab apostolis, quod sit unus Deus, et Christus unus, et una spes, et fides una, et una Ecclesia, et baptisma unum. Cum ergo ipsis apostolorum temporibus inveniamus fuisse quosdam quibus una spes non erat, et unum baptisma erat, ex ipso fonte ita in nos ducitur veritas, ut appareat nobis sic fieri posse, ut cum sit una Ecclesia, sicut spes una, et baptisma unum, habeant tamen unum baptisma qui non habent unam Ecclesiam: sicut illis etiam temporibus fieri potuit ut baptisma unum haberent qui unam spem non haberent. Quomodo enim habebant unam spem cum sanctis et justis illi qui dicebant, manducemus et bibamus, cras enim moriemur, dicentes quod non esset resurrectio mortuorum: et tamen in ipsis erant quibus idem Apostolus dicit: Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Comparatio igitur a Paulo hoc in loco instituta inter baptismum, fidem, spem etc. in hoc consistit, quod sicut una est Ecclesia a Christo fundata, una fides, una spes, unus Deus, ita baptisma ex aqua tamquam ex materia et invocatione Trinitatis tamquam forma constare debet ubicumque reperiatur.

Ad 3. Joannes hortatur ibi fideles ne tam facile haereticis scismaticisque admisceantur, ex horum enim commercio fides periclitari potest. Ceterum non vetat Joannes recipere (in casu tamen extremae necessitatis) ab haereticis et schismaticis sacramenta, quia etsi illegitime illa conferant, valida tamen sunt quum Christi, non ipsorum haereticorum et

schismaticorum sint sacramenta. Apposite Augustinus lib. 1. de bapt. cap. 2. *Si quem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum per quem accipiat non invenerit; et in animo pace catholica custodita, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica unitate accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicae congregationi etiam corporali praesentia reddiderit, unde nunquam corde discesserat, non solum non improbamus quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus: quia ... sine sancti baptismi sacramento, quod ubicumque invenit, non hominum sed Dei esse cognovit, noluit ex hac vita migrare.*

Obj. 3. adv. eamd. 1. concl. I. canones inter apostolicos 45. et 46 aperte damnant baptismum haereticorum, nam priori loco citatus canon ita habet: *Episcopum vel presbyterum qui haereticorum baptismum vel sacrificium admiserit, deponi jubemus; quae enim conventio Christi cum Belial?* In altero autem haec leguntur: *Episcopus vel presbyter eum qui vere habet baptismum si de integro baptizaverit, vel si eum qui ab impiis pollutus est non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem et crucem Domini.* II. Leo magnus in ep. ad Nicetam aquilejensem affirmat haereticos dare non posse per sacramenta remissionem peccatorum. III. Gregorius item magnus jubet ep. 67. ut rebaptizentur bonosiaci quorum baptisma jam probaverat concilium arelatense secundum. IV. Pelagius II. tradit non esse Christi corpus quod conficit schismaticus.

Resp. ad 1. Jam apud omnes eruditos constat canones qui sub apostolorum nomine circumferuntur suppošititios esse, et immerito apostolis adscribi; neque enim apostolicam sapiunt simplicitatem nec a priscis scriptoribus umquam laudantur; imo nec Cyprianus nec Firmilianus illorum utuntur auctoritate quamvis rebaptismo aperte faveant. Non absque caussa igitur suspicantur nonnulli laudatos canones editos primum fuisse in synnadensi vel iconiensi concilio, et ab imperito collectore deinceps assutos reliquis canonibus qui sub apostolorum nomine circumferebantur.

Ad 2. Non loquitur S. Leo de sacramenti substantia, sed de ejusdem sacramenti effectu, sensusque illius est, non posse haereticos per sacramenta effectum eorumdem conferre iis qui haeresi adhaerent. Ceterum laudata in ep. docet esse ecclesiasticam regulam ne baptisma iteretur, dicente Apostolo, unus Deus, una fides, unum baptisma.

Ad 3. Merito S. Gregorius praecipit ut bonosiaci rebaptizentur, licet enim hujusmodi haeretici tempore concilii arelatensis 2. evangelicam formam in conferendo baptismo servarent, aetate nihilominus S. Gregorii illam corrumpere caeperant.

Ad 4. Pelagius II. affirmando penes schismaticos non esse Christi corpus, loquitur de corpore Christi mystico quod est Ecclesia, non reali, ac mens ejus est docere apud schismaticos non esse veram Christi Ecclesiam. *Unam*, inquit, *quae Christi corpus est, constat esse Ecclesiam quae*

in duo vel plura dividi non potest : simul enim cum ab ea quisque recesserit, esse desiit ecclesia .

Obj. 4. cont. eamd. 1. concl. I. S. Cyprianus in Africa, et in Asia Firmilianus aperte docuerunt imo convocatis conciliis definiverunt eos qui in haeresi vel schismate baptisma acceperunt esse rebaptizandos. II. nec dici potest non teneri nos tantorum virorum auctoritate, nam tertio saeculo innumerae orbis ecclesiae rebaptizabant, tota nempe Africa, Galatia, Cappadocia, Cilicia, cum aliis plurimis Asiae regionibus. III. neque tunc de novo sententia illa de rebaptizandis haereticis orta est, quum Cyprianus ad Jubajanum scriberet: *Apud nos non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos qui ab haereticis ad Ecclesiam veniunt*. Et Firmilianus in ep. ad Cyprianum eamdem rebaptizandi consuetudinem a Christo et ab apostolis repetit, dicens: *Ab initio hoc tenentes quod a Christo et ab Apostolis traditum est*.

Resp. ad 1. verbis S. P. Augustini lib. 2. cont. Crescon. cap. 32. *Verba ejus* (Cypriani) *ex epistola ad Jubajanum inseruisti litteris tuis, quibus ei placuisse monstrares baptizandos eos esse in Ecclesia catholica qui fuerint in haeresi vel schismate baptizati. Ego hujus epistolae auctoritate non teneor, quia litteras Cypriani non ut canonicas habeo... quod autem non congruit* (canonicis litteris) *cum pace ejus respuo... ea libertate ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri cujus laudem consequi non valeo, cujus multis litteris mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus caritatem miror, cujus martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio; non accipio, inquam, quod de baptizandis haereticis et schismaticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit*. Hoc ipsum ad auctoritatem Firmiliani respondendum omnino est.

Ad 2. Numerus ecclesiarum in argumento a donatistis jactatus minime deterrere nos debet, nam quantus hic erat comparate ad totius orbis ecclesias? Primus qui in Africam rebaptizandi invexit consuetudinem fuit Agrippinus sui concilii fretus auctoritate. Ast obtinere non potuit ut isthaec sententia ab omnibus Africae ecclesiis reciperetur, alioquin Januarius, Jubajanus, aliique episcopi Cypriani tempore de baptismi ab haereticis et schismaticis collati valore non dubitassent. Hoc ipsum senserunt quinquaginta circiter orientales episcopi. Sed multa fuerunt millia episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit. Cum Cypriano subinde steterunt fere nonaginta africani antistites. Verum ad rei novitatem cuncti reclamarunt, atque omnes quaquaversum sacerdotes cum Stephano Papa viriliter restiterunt, universusque oriens et occidens ejusdem B. Stephani rescriptum susceperunt, donec controversia omnis finita est in conciliis ecclesiasticis postea celebratis.

Ad 3. Antiquitas rebaptismi quam Cyprianus ad Jubajanum scribens urgebat non excedebat certe tempora Agrippini carthaginensis, ut initio praecedentis capitis observavimus. E contra idem Cyprianus non diffitebatur consuetudinem a B. Stephano in suo decreto citatam esse antiquis-

simam quamvis illam arbitraretur erroneam. Quod vero Firmilianus affirmet, consuetudinem rebaptizandi a Christo et ab apostolis descendere parum facessit, hoc enim opinioni suae blandiendo absque ulla probatione protulit. Vel dici etiam potest, unam cum alia consuetudinem confudisse sanctum ceteroquin illum episcopum, consuetudinem videlicet rebaptizandi illos qui evangelicam formam non servabant confundebat cum rebaptismo quorumlibet haereticorum et schismaticorum. Illa certe, non ista a Christo at ab apostolis descendebat.

Obj. 5. adv. eamd. 1. concl. I. Dionysius alexandrinus *in Cypriani et africanae synodi dogma consentiens, de haereticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas quae hodie extant*, inquit Hieronymus in lib. de script. eccles. Illarum autem epistolarum fragmenta adhuc leguntur apud Euseb. lib. 7. hist. eccl. in quibus luculentissima occurrunt de Dionysii rebaptismo vestigia. II. in eamdem ivit rebaptizantium sententiam etiam Basilius in 1. et 2. ep. ad Amphilochium, in quibus aperte fatetur se in hac caussa recedere a consuetudine romanorum, et rebaptizare consuevisse etiam novatianos et apotactitas quos non deturpasse constat formam baptismatis; ac tandem concludit optare se ut opinionum varietas circa haereticorum baptisma per alicujus magni concilii definitionem tollatur. III. favet donatistis etiam Athanasius orat. 3. cont. arianos, ubi haec inter cetera habet: *Qui, quaeso, igitur non plane vanum ac inutile fuerit baptisma quod ab illis datur, cum id nonnisi species sit et inane simulacrum? Sicut igitur creatura diversum quiddam est a filio, ita diversum quiddam a vero baptismate est quod ab illis existimatur dari*. Nec reponi potest, ut nonnulli faciunt, rejicere Athanasium illorum arianorum baptisma qui evangelicam formam non servabant, nam praeterquamquod nullo idoneo testimonio probari potest arianos Athanasii aetate baptismatis formam corrupisse, ipse S. doctor diserte fatetur se de arianis illis verba facere qui nomina Trinitatis simulant se proferre. IV. Optatus milevitanus episcopus etsi admiserit schismaticorum baptisma, negavit tamen illud haereticorum, sic enim lib. 1. cont. Parmen. scribit: *Vides ergo, frater Parmeniane, haereticos a domo Dei extorres, solos habere varia et falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere ... Bene clausisti hortum haereticis etc.* Quibus verbis concedit donatistae haereticorum baptisma invalidum esse. Non sic autem de schismaticis loquitur: *Vobis vero schismaticis, quamvis catholici non sitis haec negari non possunt, quia nobiscum vera et communia sacramenta traxistis: quare cum haec omnia haereticis bene negentur, quid tibi visum est, haec et vobis negare voluisse, quos schismaticos esse manifestum est?* Haec si bene perpendantur adeo manifesta sunt ut eludi minime valeant dicendo loquutum fuisse milevitanum antistitem vel de effectu baptismatis vel de haereticis baptismatis formam deturpantibus. V. denique suffragatur apertissime rebaptizantibus etiam Cyrillus hierosolymitanus qui praef. in catech. absque ulla ambiguitate scribit: *Soli haeretici rebaptizantur; siquidem prius illud non erat ba-*

ptisma. Ubi ergo est tot tantorumque Patrum suffragium, nonne ibi veritatem esse manifestum est?

Resp. 1. Etiamsi gratis ultro concederemus singulos in argumento laudatos Patres e partibus stetisse rebaptizantium, nihil plane contra catholicam sententiam inde colligi posset. Nobis enim longe majores numero Patres scriptoresque favent, nec romanorum Pontificum et oecumenicorum conciliorum desunt definitiones.

Resp. 2. ad singulos in argumento citatos Patres descendendo; atque ad 1. nonnulli Dionysium a rebaptizantium errore excusant, tum quia nec Cyprianus in occidente nec Firmilianus in oriente, cum magis controversia ferveret, ad tanti nominis umbram confugerunt, tum quia Basilius in ep. 1. ad Amphilochium testatur penes Dionysium pepuzenorum aliorumque haereticorum baptisma valuisse. His addunt Dionysii epistolam ad Philemonem in qua tradit ipse eos qui ab haereticis veniebant non consuevisse rebaptizare, et aliam ejusdem ad Xystum romanum Pontificem in qua narrat se non fuisse ausum denuo baptizare senem quemdam qui dejerabat baptisma quo erat apud haereticos tinctus diversi generis a nostro fuisse. Sed, ut arbitror, qui ita respondent operam perdunt, nam rebaptizantes ad Dionysii patrocinium non confugisse falsum videtur, quum certo constet valida admodum apud Stephanum romanum Pontificem interposuisse pro illis officia ne, ut comminatus fuerat, eos anathemate percelleret. Quod vero Basilius miretur Dionysium admisisse baptisma pepuzenorum, id mihi videtur nimis probare, pepuzeni siquidem seu montanistae baptisma conferebant in nomine Patris, Filii, Montani, et Priscillae, ut ipse observat Basilius et nos alibi diximus. Crediderim ergo Basilium deceptum fuisse hac in re errore facti, ut et in ep. ad Maximum philosophum ubi Dionysio, injuria quidem, adscribit anomacorum errores. Sed multo minoris ponderis est sequens argumentum ex ep. ad Philemonem deductum, ibi namque loquitur de apostatis, de iis nimirum qui in catholica baptismum receperant, ad haereticos subinde defecerant, ac in catholicam demum redierunt, unde de iis inquit non indigere iterato baptismate, *quippe jam antea Spiritum sanctum ab ipso acceperant*. Non moror quod in defensionem Dionysii postremo loco prolatum est, nam baptisma a sene illo receptum erat diversi generis a nostro, ac proinde sine evangelica forma collatum, unde nimis quam opus sit, argumentum probaret: et ratio a Dionysio allata cur senem illum rebaptizare ausus non sit, non est quia non liceat haereticos rebaptizare, sed quoniam ex diutina Ecclesiae catholicae communione existimabat baptismatis gratiam fuisse consecutum, quod affirmabant etiam rebaptizantes, ut videre est apud Augustinum lib. 2. de bapt. cap. 14. Existimo itaque Dionysium alexandrinum in tam magna episcoporum circa rebaptismum contentione noluisse mentem suam libere prodere, ac studio servandae pacis permisisse unumquemque in suo sensu abundare, ita ut neutri parti suffragium illius praejudicium valeat afferre.

Ad 2. Scio nonnullos theologos exponere illa quae in 1. et 2. Ba-

silii ep. leguntur de haereticis qui sine praescripta forma baptismum conferebant. Sed qui ita respondent violentiam faciunt S. doctoris epistolis in quibus aperte rejicit baptisma etiam novatianorum qui proculdubio evangelicis verbis baptismum cum catholicis consecrabant. Ingenue igitur fatendum est magnum illum episcopum a veritate in controversia tunc temporis non satis liquata quam longe recessisse.

Ad 3. Non ita tamen de Athanasio sentiendum est, is enim vacuum et inutilem dicit baptismum ab arianis collatum quoad effectum, non autem quoad substantiam et characterem. Et sane statim subdit, ad sacramenti utilitatem necessariam esse quoque fidem quae oritur ex recta doctrina, neque enim salutem consequuntur qui haeresi ae impietate inquinantur. En S. Patris verba: *Multae quoque aliae haereses nomina tantum pronunciant; verum cum recte non sentiant, uti dictum est, nec sanam habeant fidem, inutilis est aqua quam donant, quippe cui desit pietas; ita ut quemcunque illi asperserint, impietate foedetur potius quam redimatur*, si nempe falsae doctrinae consentiat. Addit subinde eos qui ab arianis baptizantur impie ac inutiliter baptizari, propterea quod statim ab illis per falsam doctrinam recipiuntur. Ac denique in ep. ad Rufinianum ubi de conditionibus ad recipiendum haereticum disserit, ne verbum quidem habet de repetendo baptismate ab arianis collato. Unde fit ut quoties horum haereticorum damnat baptismum, loquatur de effectu, non de charactere sacramenti.

Ad 4. Multum sibi torquent ingenium eruditi ut Optati milevitani mentem assequantur, ubi de validitate baptismi ab haereticis collati adversus donatistas pertractat. Ego ut verum fatear, intricatissima mihi illius testimonia videntur, et multa certe quae nobis, multa quae donatistis favere videntur, habet contra Parmenianum doctissimus ille milevitanus episcopus, quare nec nos nec donatistae Optati auctoritate gloriabimur.

Ad 5. Placet mihi quam maxime cl. Berti responsioqui Cyrilli sententiam in argumento allegatam in hunc modum ex graeco reddendam esse arbitratur: *Nam soli haeretici rebaptizantur, quando illud non erat baptisma*; particula namque ἐπειδὴ, non *siquidem*, ut vulgaris habet translatio, sed *ubi*, vel *quando*, vel *simul ac* verti debet. Si res ita se habeat, rebaptizandos esse censebat Cyrillus hierosolymitanus haereticos illos qui corrupta evangelica forma verum non habebant baptisma.

Obj. 6. cont. 2. concl. I. Nicolai rom. Pont. rescriptum non tantae auctoritatis esse potest ut sufficiens sit ad demonstrandum valorem baptismi a non baptizato collati, nam in eodem rescripto affirmat valere baptismum in solo Christi nomine consecratum; quod nos tamen falsum esse in praecedentibus affirmavimus. II. sed nec magni ponderis est auctoritas Augustini a nobis allata, ipse namque expectabat plenarii concilii definitionem ut certum ferret de infidelium baptismo judicium. Ast concilium istud adhuc celebratum non est ab Ecclesia. III. imo si Augustini aliorumque Patrum qui contra rebaptizantes steterunt rationes attendamus, videntur illae probare baptisma collatum ab infidelibus non va-

lere, nam praecipua horum Patrum ratio ad demonstrandam baptismatis haereticorum validitatem haec erat, quod olim haeretici sacramenta receperint in Ecclesia quae non possunt amitti. IV. quid quod Gregorius III. in ep. ad Bonifacium moguntinum ait, *Quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus?*

Resp. ad 1. Jam alibi, agentes nimirum de forma baptismatis, diximus Nicolaum interrogatum fuisse a bulgaris non de forma baptismatis, sed de ejusdem sacramenti ministro, an videlicet valeret baptisma collatum a judaeo vel pagano, responditque valere. Atque in hoc omnimodam habet illius rescriptum auctoritatem. Quod vero incidenter rescripserit validum esse baptismum in Christi nomine consecratum, de hoc consultus quum non fuerit, privatam secutus est opinionem cui non tenemur subscribere.

Ad 2. Fateor a nullo unquam plenario concilio expresse approbatum fuisse infidelium baptisma, Sed Nicolai rescriptum supra laudatum quum ab universali Ecclesia fuerit receptum vim habet plenarii illius concilii quod S. P. Augustinus expetebat, si non in se, saltem ob universalis Ecclesiae consensum. Quod magno Augustino satis fuisset ad omnem deponendam errandi formidinem, qui dicere solitus erat se evangelio credere ob Ecclesiae infallibilem auctoritatem.

Ad 3. Adversarii non satis attenderunt ad Patrum principia ubi rebaptizantium errorem refellunt. Maximum S. P. Augustini aliorumque fundamentum ad refellendos errantes donatistas hoc erat, quod sacramenta sunt Christi, sive haereticus illa administret sive catholicus, sive Petrus sive Judas baptizet, Christus est qui baptizat. Si aliquando scripserunt haereticos et schismaticos adhuc retinere sacramenta in Ecclesia recepta, adeoque valide baptizare, arguebant tunc ex principiis ipsorum donatistarum qui dicere solebant: *Recedens ab Ecclesia baptismum non amittit, jus dandi tamen amittit.*

Ad 4 Gregorius III. merito praecipit Bonifacio ut iterum baptizet quos pagani et infideles initiaverant, neque enim hi evangelicam formam in conferendo baptismo servaverant; unde caute inquit, *si ita habetur*, hoc est ut explicat Glossa in cap. *quos a paganis*, in forma Ecclesiae non fuerunt baptizati. Si quae alia opponi possunt ab adversariis ex dictis facilem habent solutionem.

CAPUT X.

De subjecto sacramenti baptismatis.

Postquam fuse pertractatum a nobis est de materia, forma, institutione, et ministro baptismi, recta methodus postulat ut nunc ad disserendum de ejusdem sacramenti subjecto gressum faciamus. Nomine autem subjecti baptismi intelliguntur ii qui possunt baptismum recipere. Nemo unquam dubitare ausus est quemlibet hominem cujuscumque religionis

sit, sexus aut nationis, dummodo rationis usu fruatur, esse subjectum capax recipiendi baptismum; nimis enim clara sunt illa Christi verba, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine etc.* Sed non una fuit semper hominum sententia circa baptisma infantium qui propriae rationis usu compotes non sunt.

Et primo quidem valdenses, petrobusiani, cathari, aliique haeretici qui saeculo duodecimo vexarunt Ecclesiam impudentissime affirmarunt, parvulis negandum esse baptismum quoniam nulli nisi proprio ore, inquiebant, et corde hoc sacramentum petat, potest prodesse. Non multo postquam Lutherus catholicae fidei bellum indixit, unus ex discipulis ejus Nicolaus Storkius contra paedobaptismum elata voce debacchari caepit, pulsus proinde Wittemberga in Thuringiam se recepit, ubi tam multos sub ementito pietatis vultu decepit ut error hic in sectam coaluerit, quorum gregales dicti sunt anabaptistae, a lutheranis quoque et calvinistis execrati. Illis tamen sese adjunxerunt sociniani apud transylvanos, quum pessime jam de sacramento baptismi sentirent, ut cap. 1. hujus libri animadvertimus. His merito post tridentinum concilium sess. 7. can. 12. opponuntur omnes catholici.

Deinde alia quaestio est inter theologos catholicos, salva fide, agitari solita, an videlicet pueri infidelium baptizandi sint invitis parentibus. Negativam sententiam communiter tenent theologi post S. Thomam, sed scotistae omnes ad quos accesserunt ex nostris Fervaques, Vanroy, et Aurelius Piette licitum esse arbitrantur baptizare infidelium puerulos etiam invitis parentibus. Quae controversia ut facile dirimatur, nonnulla sunt observanda. Et 1. notandum est hic fieri sermonem de filiis infidelium, hoc est, gentilium, judaeorum, et mahumetanorum, in quos nullum jus habet Ecclesia, nam adigi posse ad baptismum filios haereticorum et schismaticorum parentibus reluctantibus nemini dubium, quum Ecclesia in rebelles ac desertores jus semper retineat. 2. Quaestio non versatur circa filios infidelium usum rationis habentes, ii enim quum sint sui juris, si velint baptizari, possunt contra voluntatem parentum, sed disputatur de parvulis qui usum rationis non habentes sunt sub patria potestate. 3. Filii infidelium de quibus haec quaestio instituitur, supponuntur subditi principum christianorum, et quidem jure civili et politico, non jure belli et emptionis vel quovis alio titulo per quem infideles constituantur servi et mancipia; nam si infideles subjecti sint propriis infidelibus principibus, clarum est non posse illorum filios contra parentum voluntatem ad baptismum impelli; quid enim ad Ecclesiam de iis qui foris sunt? Quod si infideles jure belli vel emptionis ad principem christianum pertineant, quum ipsorum filii principi nascantur, nemini dubium quin parentibus reluctantibus licite possint baptizari. Quaestio igitur erit de filiis illorum infidelium qui civili ac politica subjectione principibus christianis subduntur, ut sunt modo judaei in plurimis christianorum regionibus; ac de iis disputatur utrum licite baptizari possint propriis invitis parentibus; nam de ejusmodi baptismatis validitate si aliquando accidat ut conferatur, nullus theologorum umquam subdubitavit excepto Durando.

Tertia quaestio de infantium baptismo est an parvulus qui periclitatur antequam e matris alvo egrediatur baptizari possit. Communis ferme sententia est non posse infantem baptizari nisi ex alvo matris vel caput vel aliquam aliam corporis visibilem partem emittat. Franciscus tamen Henno, Fervaques, Piette, nonnullique alii arbitrantur puerum baptizari posse per syringiam vel siphunculum in alvo matris si fiat ut uterus aperiatur, infantisque involucra discindantur ut non raro solet evenire. Sunt et innumera alia circa baptismum parvulorum de quibus theologi disputare solent, quae videri possunt apud S. Thomam, Estium, Juvenin, Drouenium, Berti, Tournely, et alios; neque enim instituti nostri ratio postulat ut singula persequamur. Sit ergo adversus haereticos

CONCLUSIO I.

Validum est baptisma collatum infantibus.

Prob. 1. ex sacris litteris. I. in N. Testamento sacramentum baptismi omnibus et singulis hominibus, nemine prorsus excepto, praeceptum est ad aeternam salutem consequendam, quomodo in veteri Testamento praecepit Deus judaeis circumcisionem. De baptismo enim inquit Christus Joan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, sicut de circumcisione dixerat Gen. cap. 17. *Masculus cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*. Ast in veteri Testamento infantes circumcidebantur, cur ergo baptizandi non sunt infantes in novo? Si id negetur puerulis nostris, feliciores plane fuissent parvuli veteris Testamenti, quamvis utrique originalem contraxerint maculam in cujus remedium et circumcisio et baptismus fuerunt a Deo instituta, ut libro praecedenti demonstravimus. Quod si quis pertinaciter contendat circumcisionem non in remedium originalis peccati, sed in signum foederis fuisse institutam, adhuc tamen in suo robore persistit argumentum. Sicut enim antiquitus iis tantum repromissum fuit ut reputarentur ex semine Abraham qui circumcisionem admittebant, ita nunc iis tantum promissa est gratia qui baptismate tinguntur. Et quemadmodum tunc adultis et parvulis data est in signum foederis circumcisio, sic modo adultis et parvulis datum est baptisma in signum gratiae; unde in Act. apost. cap. 2. Petrus inquit: *Baptizetur unusquisque vestrum ... in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster*. II. transitus maris rubri fuit apertissima figura nostri baptismatis, postquam enim Apostolus in 1. ad Cor. cap. 10. dixerat, *Omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari*, subdit, *haec autem omnia in figura contingebant illis*. Porro non adulti modo, sed et infantes mare rubrum sicco vestigio transierunt, unde non solum adulti, sed et parvuli baptizandi sunt, ut figura figurato respondeat. III. infantes capaces

esse regni caelorum nemo inficias ire poterit, tum quia cum Matth. cap. 19. Luc. 18. et Marc. 10. oblati essent Christo parvuli ut tangeret illos sive ut eis manus imponeret, prohiberentque discipuli, legitur dixisse, *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum caelorum*, seu ut Marcus et Lucas ajunt, *regnum Dei:* tum etiam quia Christus non solum pro adultis, sed et pro infantibus mortuus est, ut vitam aeternam illis promereretur, dicente Apostolo ad Rom. cap. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae:* sed nequeunt infantes capere regnum caelorum nisi baptizentur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* V. id faciendum est quod apostoli exemplo suo praestiterunt, fuerunt enim magistri et institutores nostri. Verum apostoli una cum adultis parvulos baptizarunt, nam in Act. apost. cap. 16. narratur Paulum baptismate tinxisse Lydiam purpurariam et domum ejus, et v. 33. ejusdem cap. de custode carceris in quo detinebatur idem Paulus dicitur quod *baptizatus est ipse, et omnis domus ejus*, et in 1. ad Cor. cap. 1. affirmat laudatus Apostolus se baptizasse *Stephanae domum*. Inverisimile autem omnino est in hisce familiis nullum fuisse puerulum.

Prob. 2. ex traditione. Irenaeus lib. 2. adv. haer. cap. 39. *Omnem*, inquit, *aetatem Dominus sanctificat; omnes, inquam, omnes venit per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes*. Origenes in cap. 6. ad Rom. ait: *Pro hoc* (originali peccato) *et Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare: sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinae sordes peccati quae per aquam et spiritum ablui deberent:* Cyprianus in ep. ad Fidum: *Si in gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo et a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit?* Auctor const. apost. lib. 6. cap. 15. *Sed et baptizate vestros pueros, atque eos educate in disciplina, ac monitis Dei*. Mitto Chrysostomum hom. ad neoph. Ambrosium lib. 2. de Abraham, et alios, ut ad magnum Augustinum me convertam qui adversus pelagianos disputans de originalis peccati transfusione, tamquam dogma in Ecclesia statutum supponit baptisma parvulorum. Neque consuetudinem baptizandi parvulos inficiabantur pelagiani, de quibus Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli, *Concedunt parvulos baptizari oportere*, ait: *Nec illi hinc dubitant;* licet tamen affirmarent baptizari pueros ad assequendam non salutem vitamque aeternam quam ipsis tribuebant sine baptismo, bene vero ad ornatum animae, non ad delendum originale peccatum; sed praestat audire S. doctorem lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 23. *Consuetudo matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica esset traditio*. Et ser.

de verbis ap. 176. *Hoc Ecclesia semper habuit hoc a majoribus fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit.* Et lib. 1. de peccat. merit. cap. 26. *Porro quia parvulos baptizandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universae Ecclesiae proculdubio per Dominum et apostolos traditam venire non possunt, concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris.* His omnibus accedit auctoritas veterum conciliorum, diospolitani nempe, carthaginensis, milevitani, quae paedobaptismum vel definiunt vel tamquam in Ecclesia communiter receptum supponunt; unde merito tridentina synodus sess. 7. can. 13. inquit: *Si quis dixerit, parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos, aut praestare omittere eorum baptisma etc. anathema sit.*

CONCLUSIO II.

Non licet baptizare filios infidelium invitis parentibus.

Prob. 1. ex veteri Testamento. Eodem modo loquendum est de baptismo in novo, ac de circumcisione in veteri Testamento, quia sicut hic, ita et illa in remedium originalis peccati, fatentibus adversariis, fuit instituta; sed in veteri Testamento non circumcidebantur infidelium si filioli invitis parentibus, quum lege cautum esset Exodi cap. 12. v. 48. ubi de peregrinis dicitur: *Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo*, ex phase nempe Domini; adeoque supponit praeceptum infideles commorantes inter judaeos non esse ad circumcisionem adigendos.

Confirmatur argumentum ex Fl. Josepho qui in lib. antiq. jud. 13. et in lib. de vita sua affirmat non viguisse unquam penes judaeos consuetudinem aliquem cogendi ad circumcidenda sibi virilia hac addita caussa, *Hominem quemque oportere ex animi sui voluntate Deum colere, et non ad id faciendum cogi.* Quae licet de hominibus adultis dicta sint, valent etiam pro parvulis sub patria potestate degentibus, ut per se manifestum est. Sicut ergo licitum non erat tunc filios infidelium circumcidere invitis parentibus, ita non licet nunc eosdem filios infidelium parentibus similiter reluctantibus baptizare.

Prob. 2. ex N. Testamento. Christus Dominus ubi praecepit apostolis ut baptizarent, jussit etiam ut praemitterent praedicationem evangelii: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Supponebat ergo ducendos esse infideles ad veram religionem persuasione, non vi et coactione. Quod si hoc verum est de adultis, fatentibus adversariis, verum quoque erit de pueris filiis ipsorum qui cum libertate careant, pro eorum voluntate stat voluntas parentum sub quorum sunt potestate.

Confirmatur etiam hoc aliud argumentum ex consuetudine Ecclesiae quae si credidisset filios infidelium licite baptizari posse renuentibus parentibus, id facere aliquando non praetermisisset, imo vero tali jure uti semper debuisset utpote quod ad Christi regnum ampliandum maxime conducit. Ast nunquam Ecclesia baptizare consuevit ejusmodi filiolos nec

quando florentissima erat sub Constantino, Theodosio, Honorio, aliisque gloriosissimis imperatoribus a quibus facile Pontifices summi et episcopi facultatem impetrare potuissent tingendi illorum infidelium infantes qui politico civilique jure eisdem imperatoribus subditi erant.

Prob. 3. ex concilio toletano 4. quod can. 56. statuit neminem invitum esse baptizandum: *Nemini deinceps vim inferendam; cui enim vult, Deus miseretur, et quem vult, indurat; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae*. Scio loqui concilium hoc in canone de adultis, sed perinde valet argumentum ex eo deductum; tum quia adversarii nostri propriam tuentur sententiam exemplis Sisebuti, Caroli Magni, aliorumque regum qui ad baptismum suscipiendum coegerunt etiam adultos, tum quia ratio in canone allata valet etiam pro parvulis quorum voluntas quum sit in voluntate parentum, si adigi ad baptismum nequeunt hi quia tales inviti salvandi non sunt, nec cogi poterunt filii qui non aliam habent quam voluntatem parentum.

Prob. 4. theologica ratione. Si parvulus infidelis invitis parentibus baptizetur, vel exponitur irreverentiae sacramentum vel laeditur patria potestas quae est de jure naturae. Nam si baptizatus parvulus relinquitur in potestate parentum, quid facilius quam cum ille ad adultam pervenerit aetatem, parentum cedat suggestionibus, et falsam eorumdem amplectatur religionem? Quod si statim post baptismum puerulus subripiatur a potestate parentum, nonne fit contra naturale jus quod dat parentibus potestatem in filios donec ad usum rationis perveniant?

SCHOLION.

A regula superiori concl. statuta multi excipiendi sunt, et 1. pueri infidelium morti proximi licite possunt baptizari ut eorum saluti consulatur, quia tunc nec sacramentum exponitur irreverentiae ob moralem proximae mortis certitudinem, nec laeditur patria potestas a qua mors filiolos subripit, non minister Ecclesiae. 2. Baptizari possunt etiam pueri illi qui cum a parentibus longe absint, non sunt sub patria illorum potestate. 3. Si alteruter ex parentibus consentiat, licitum quoque est puerum baptizare alterutro reluctante, unius enim assensus in favorem cedit religionis, et in pueruli bonum. 4. Si parvulus sit sub avi paterni cura, vivente adhuc matre, et ille consentiat, haec vero repugnet poterit omnino baptizari, quia tunc patria potestas transiit in avum. Ita statuisse videtur Gregorius XIII.

CONCLUSIO III.

Non licet baptizare puerum qui vel caput vel aliam corpusculi partem ex alvo matris non emiserit.

Prob. 1. ex Scriptura. Joan. cap. 3. v. 5. legitur: *Nisi quis renatus*

fuerit ex aqua, et Spiritu sancto etc. Et v. 7. *Oportet vos nasci denuo etc.* Quibus in verbis dicitur baptismus renascentia seu nova nativitas per spiritalem gratiam, sed nemo renascitur nisi natus antea fuerit.

Prob. 2. auctoritate S. P. Augustini qui in ep. ad Dardanum hoc ex professo versavit argumentum: *Nemo nascitur*, inquit, *nisi operante concupiscentia carnali quae tracta est ex primo homine qui est Adam: et nemo renascitur nisi operante gratia spiritali quae data est per secundum hominem qui est Christus. Quapropter si ad illum nascendo pertinemus, ad hunc renascendo, nec renasci quisquam potest antequam natus sit, profecto ille singulariter natus est, cui renasci non opus fuit: quia non ex peccato in quo nunquam fuit transitum fecit. Hoc ergo excepto lapide angulari, non video quomodo aedificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati.* Quamdam subinde sibi proponit solvitque objectionem dicens: *Quod si quisquam dicit jam esse natum hominem etiam cum adhuc est in utero matris, testimoniumque adhibet ex evangelio, quia dictum est ad Joseph de praegnante Virgine Domini matre, Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: numquidnam huic nativitati accedit secunda nativitas? Alioquin non erit jam secunda, sed tertia: Dominus autem cum hinc loqueretur, nisi quis, inquit, renatus fuerit denuo, eam scilicet computans primam nativitatem quae fit matre pariente, non concipiente atque praegnante, quae fit ex ea, non quae fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem quem mater peperit, tamquam iterum natus sit qui jam semel natus fuerat in utero: Sed illa nativitate non computata quae gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua et Spiritu ... Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci: renascitur ergo antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest.*

Prob. 3. ex consuetudine Ecclesiae. Nunquam consuevit Ecclesia baptisma conferre pueris existentibus adhuc in utero matrum. Hinc in rituali romano tit. de bapt. parv. haec leguntur: *Nemo in utero matrum clausus baptizari debet, sed si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendat, baptizetur; et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.* Eadem omnino occurrunt in sacramentali ambrosiano edito jussu S. Caroli, in manuali parochorum pro provincia salisburgensi, in rituali sacramentorum ad usum ecclesiae bononiensis, et ne singula percenseam, in rituali Gregorii XIII. Mitto synodum lingonensem celebratam anno 1404. alteramque senonensem an. 1524. aliaque complura ecclesiastica monumenta demonstrantia perpetuam in Ecclesia viguisse consuetudinem non baptizandi puerum nisi ex matris alvo aut caput aut aliquod aliud corpusculi mem-

brum emiserit, usumque siphunculi aut syringiae ad puerum baptizandum post partus aperitionem in ipso utero matris fuisse et adhuc esse penitus inauditum.

Prob. 4. ratiocinatione deducta ex S. P. Augustini ep. ad Dardanum paullo superius laudata. Per baptismum evadunt homines Ecclesiae membra, quum per illum homines in Ecclesiam ingrediantur, ad ipsius forum pertineant, et in coetum sanctorum coadunentur; unde inquit Augustinus loco mox citato, homines per baptismum transferri *in compagem corporis Christi tamquam in vivam structuram templi Dei quae est ejus Ecclesia*; sed pueri non possunt evadere Ecclesiae visibilis membra, ad ejus pertinere forum et in sanctorum coetum cooptari nisi ex utero matrum aliquo modo egressi fuerint; quare S. Bonaventura in 4. dist. 6. art. 1. ait: *Primus* (status hominis) *est in utero, secundus extra uterum in statu infantiae, tertius in statu naturae adultae. In primo ergo statu cum soli Deo sit notus, potest per ejus voluntatem sanctificari, non per nostram operationem, cum non agnoscat eum Ecclesia nec sit de foro Ecclesiae.*

CAPUT XI.

Objectionum refutatio.

Obj. 1. cont. 1. concl. Scripturae in hujus propositionis demonstratione laudatae nihil probare videntur, nam I. verba illa, *nisi quis renatus fuerit etc.* important praeceptum, ut per se manifestum est. Sed parvuli ante usum rationis non sunt capaces praeceptorum, unde allatum testimonium nequit de parvulis accipi. II. altera Christi sententia, *sinite parvulos etc.* nec ipsa ad rem facit; ubi enim nos legimus, *parvulos*, graece habetur, παιδία, quae vox significat etiam adolescentulos rationis usu compotes. III. minus anabaptistas refellit factum Pauli qui baptizasse narratur totam Stephanae domum; ab ea namque baptismi receptione excludendos esse filiolos patet ex contextu: etenim cap. ult. ejusdem epistolae recolens religionem ac pietatem Stephanae ejusque domus, subdit sacer auctor, *In ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos*, quod intelligi nequit de pueris. Nec novum aliquod est in Scripturis ut sola domus nominetur non inclusis puerulis, aut omnibus omnino. Sic in lib. 1. Paral. cap. 10. legitur. *Interiit ergo Saul, et omnis domus illius pariter concidit*, quum tamen Isboseth, Esbaal, et Myphiboseth filii Saul ea occasione non perierint.

Resp. ad 1. In illa Christi sententia, *nisi quis renatus etc.* non solum praeceptum, sed etiam medium continetur ad aeternam vitam assequendam. Vi illorum Christi verborum necessarium est adultis baptisma necessitate tum medii tum praecepti, parvulis autem necessitate dumtaxat medii, quod fuse explicabimus agentes de necessitate baptismi. Hoc sensu ergo illam Christi sententiam urgemus, quod cum parvuli nascan-

tur obnoxii originali peccato, nisi per aquam et Spiritum sanctum renascantur, in aeternum peribunt, unde ne pereant possunt et debent baptizari.

Ad 2. Quando Christus dixit, *sinite parvulos etc.* parvulorum nomine proculdubio intelligebat pueros usu rationis expertes, nam illi qui a Matthaeo dicuntur παιδία, a Luca cap. 18. vocantur βρέφη, hoc est, *nuperrime nati*. Atque de iis unanimi sensu Ecclesia semper intellexit parvulos de quibus laudata in sententia loquitur Christus. Hinc magnus Augustinus serm. 176. de scripturis alias 10. de verb. Apostoli inquit: *Accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur: ut quoniam quod aegri sunt alio peccante praegravantur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente, salventur*.

Ad 3. Ea quae depromuntur ex cap. 16. ep. ad Cor. 1. paedobaptismum non improbant. Non enim ibi laudatur Stephana cum domo sua atque Fortunatus et Achaicus propter baptismum, sed ob charitatis misericordiaeque opera in viros sanctos exercita, ut legenti patet. Quod si ibi occurrit, *in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos*, non de ordinatione ad divina peragenda accipienda illa verba sunt, sed tantummodo ad temporalia ministranda Apostolo sociisque ejus. Neque enim dubium ullum relinquunt illa verba, *quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt*. Quod confirmationis loco additum est ex cap. 10. lib. 1. Paral. nullius roboris est, verbum enim *concidit* non significat *periet*, sed exterrefacta est, turbata, immutata, non aliter ac cum de Cain dicitur, *concidit facies tua*, et Antiochus fatetur de se, *concidi et corrui corde* 1. Mach. cap. 6. et alibi saepe. His addi potest Myphiboseth, alio nomine Meribbaal, fuisse filium Jonathae, ut ex cap. 8. et 9. constat ejusdem libri, non Saulis filium, sed nepotem: quod judicium forsan ferendum est et de Isboseth, cum citato capite 8. et 9. inter filios Saulis non connumerentur nisi Jonathan et Melchisua et Abinadab et Esbaal; Scriptura enim saepe nominat filios illos qui sunt nepotes. Observandum praeterea venit non legi ibidem totam domum, bene vero omnem quod juxta Scripturae phrasim accipi commode potest de multis, non de omnibus omnino.

Obj. 2. adv. eamd. 1. concl. Praeceptum Domini est homines prius esse in fide imbuendos, deinde baptizandos; ait enim Christus ad apostolos: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes etc.* Et jure quidem quoniam sine fide nemo salvari potest; unde idem Dominus Marci cap. ultimo inquit: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*, subintellige etiamsi fuerit baptizatus. Imo ante baptismum non solum credere, sed et poenitentiam agere tenetur homo, juxta illud Petri in Act. apost. cap. 2. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*. Ast parvuli ante rationis usum incapaces sunt doctrinae evangelicae, fidei, et poenitentiae. Non sunt ergo baptizandi ne in vacuum recipiant sacramentum.

Resp. singula in argumento allata Scripturae loca spectare ad adultos

qui proculdubio in fide prius imbuendi sunt, ac poenitentiam agere debent, deinde baptismate sunt tingendi; neque enim aut inviti aut pecudum more trahendi sunt ad Ecclesiam. Sed non proinde vetatur ministris evangelicis ut post susceptam a parentibus christianam religionem illorum filios baptizent, parentibus ipsis consentientibus. Illustrat responsionem hanc S. P. Augustinus in lib. 4. de bapt. cap. 24. exemplo Abraham qui jussus circumcidere omnes masculos non solum in adultis quos prius de hac coeremonia a Deo accepta certiores reddebat, sed etiam in parvulis qui rationis non habebant usum divinum praeceptum exequebatur. Praeterea falsum est parvulos ante rationis usum fidei et doctrinae evangelicae omnino incapaces esse, suo enim modo credunt per Ecclesiam et susceptores. *Fidem*, ait Augustinus lib. 1. de peccat. merit. cap. 19. *per verba gestantium quodammodo profitentur ... per eorumdem verba gestantium diabolo et huic saeculo renuntiare monstrantur*. Cujus rei rationem reddit tum lib. 3. cap. 2. ejusdem operis, tum serm. 294. de temp. alias 14. de verb. apost. ubi sic loquitur: *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? fit interrogatio, respondetur, credit. Pro non loquente, pro silente, pro flente, et flendo quodammodo ut subveniatur orante, respondetur, et valet ... An etiam hoc serpens ille persuadere conatur quia non valet? Absit a cordibus qualiumcumque christianorum. Ergo respondetur, et valet. Conspiratione quadam communicat spiritus, credit in altero quia peccavit in altero. An vero invenit vitam praesentis saeculi quem parturivit infirmitas, et non invenit vitam futuri saeculi quem parturivit caritas?*

Obj. 3. cont. eamd. 1. concl. I. concilium neocaesariense can. 6. affirmat quod dum baptizatur mulier praegnans non intelligitur baptizatus foetus, hujusque rei caussam assignans, inquit: *Proprium uniuscujusque institutum, ac propositum in confessione ostenditur*. Verum nec parvuli recens nati confessione ostendere possunt proprium institutum et propositum. II. Tertullianus in lib. de bapt. cap. 18. haec habet luculentissima contra poedobaptismum: *Itaque pro cujusque personae conditione aut dispositione, etiam aetate cunctatio baptismi utilior est. Quid enim necesse est, si non tam necesse sponsores etiam periculo ingeri? Qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malae indolis falli? Ait quidem Dominus, Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur, fiant christiani quum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?* III. S. Hieronymus comm. in Matth. sic scribit: *Non potest fieri ut corpus baptismi sacramentum recipiat, nisi ante baptismi recipiat veritatem*.

Resp. ad 1. nihil ex neocaesariensi canone confici posse; ibi enim neocaesariensis synodus definit non prodesse puero in matris utero delitescenti baptismum matris, hanc afferens rationem, *Quoniam ea, quae parit, cum foetu qui paritur, ea in re nihil habet commune*. Deinde

ne quis objiceret, matris fidem si non lavacrum, salvum facere posse puerum, subdit allata in argumento verba, affirmans fidem a sacramento sejunctam non prodesse nisi credenti.

Ad 2. Tertulliani mens est, infantes qui sunt extra casum necessitatis, et sub parentum infidelium potestate degunt non esse baptizandos nisi dum adolescunt et discunt. Patet id non subobscure ex allatis in argumento verbis, ait enim: *Quid necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri etc.* Ubi verba illa, *si non tam necesse*, demonstrant se loqui de pueris extra casum necessitatis: reliqua autem de illis qui sub parentum infidelium sunt potestate, quia sponsores nulli subduntur periculo si parvuli orti sint ex parentibus fidelibus. Quod vero Tertullianus pueros appellet innocentes, nil omnino facessit, vocat namque illos innocentes nempe immunes a peccatis actualibus. Ceterum ex quo fateatur fuisse illis temporibus in baptismate sponsores, satis apparet viguisse consuetudinem conferendi sacramentum illis qui proprio ore fidem profiteri nequibant.

Ad 3. Sermonem ibi habet Hieronymus de adultis infidelibus quibus non est baptismus conferendus nisi prius recte in fide fuerint imbuti. Ceterum alibi idem Hieronymus disertissime astruit poedobaptismum, nam in ep. ad Laetam: *Filios*, inquit, *si baptisma non acceperint, reos esse peccati, et etiam scelus referri ad eos qui dare noluerint*. Et dial. 3. adv. pelag. in fine docet, *etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos in similitudinem praevaricationis Adae*.

Obj. 4. cont. eamd. 1. concl. I. S. Gregorius nazianzenus orat. in s. lavacrum ita scribit: *De reliquis sic sentio, ut triennio expectato aut aliquanto brevioris vel longioris temporis spatio, quando et mysterii quiddam audire et respondere possunt, ac si minus plane et exacte intelligunt, crassiori tamen modo informantur: ita demum per magnum perfectionis sacramentum et animas et corpora sanctificent*. Ratio quam hic S. doctor affert quum ea sit, ut a baptizandis aliquam sacri mysterii exigat intelligentiam, excludit plane poedobaptismum. II. non pauci veterum existimarunt differendum esse baptismum ad adultam aetatem ut baptizati ex sacramenti receptione uberes colligerent fructus. III. non spernenda videtur sententia Erasmi autumantis parvulos urgente necessitate esse quidem baptizandos, sed quum ad adultam aetatem pervenerint interrogandos esse an assentiantur sponsionibus a susceptoribus eorum nomine in baptismate factis, ne videatur Ecclesia per vim adigere homines ad christianam religionem.

Resp. ad 1. et 2. Gregorii nazianzeni nonnullorumque aliorum veterum consilium de differendo pueris baptismo non fuit ab Ecclesia approbatum; nam experientia compertum est fructus quos ex dilato baptismo veteres illi sperarunt, non adeo uberes esse ut periculo aeternae mortis valeant praeponderare. Deinde quis unquam veterum docuit differendum esse baptismum usque ad trigesimum aetatis annum ut Servetus contendit, vel ad eam aetatem qua sese exerit rationis usus, ut volunt

plerique anabaptistarum? Ac denique nemo veterum urgente necessitate parvulis baptismum negandum esse affirmavit, ut faciunt modo anabaptistae.

Ad 3. Sententia illa quam a Zuingero exscripsit Erasmus merito a tridentina synodo damnata fuit sess. 7. can. 14. non enim danda adolescenti est optio in perniciem propriae aeternae salutis. Quando parvulus accedit ad baptismum quum usum non habeat rationis, parentis voluntate, sub cujus potestate est, indelebili christianae militiae nota insignitur. Postquam autem ad adultam pervenit aetatem non sui amplius, sed Ecclesiae juris est per sacramentum regenerationis.

Obj. 5. adv. eamd. 1. concl. I. Christus Dominus ad baptismum accessit grandaeva jam aetate, sed imitandum nobis est exemplum institutoris nostri, ergo etc. II. hinc veteres complures pii ac sancti viri ut Constantinus, Ambrosius, Augustinus, Paulinus, aliique bene multi, nonnisi adulta aetate ad imitationem Christi baptisma susceperunt. III. et sane pueruli ante usum rationis quum habeant peccatum originale reputantur infideles. Ast infideles apti non sunt qui baptismate tingantur nisi actualem habeant fidem. IV. nec reponere juvat baptizandos esse parvulos ut deleatur in eis macula originalis peccati, nam possent etiam percipere eucharistiam statim post baptismum ad augendam in illis sanctificantem gratiam, quod tamen non licet. V. ac denique multo minus valet exemplum ex circumcisione deductum quae octavo die conferebatur recens in lucem editis, exemplum enim illud demonstraret infantes baptizandos esse octavo a nativitate die, quod a Cypriano improbatum fuit in Fido episcopo africano.

Resp. ad 1. Christi Domini exemplum ad rem non facere, quum enim ipse Deus esset, peccatum nullum habebat quod per baptisma tollendum foret, nec quidquam periculi ei timendum erat baptismum prorogando. Nobis autem per originalem maculam corruptis non leve imminet periculum.

Ad 2. Multae extiterunt caussae cur baptisma a nonnullis antiquitus differretur, quas recensitas vide apud Joannem Laurentium Berti de theol. discipl. lib. 31. cap. 20. Interim observo duplex fuisse hominum genus qui baptisma differre consueverant. Nonnulli erant perditae vitae qui scientes Ecclesiam acriter animadvertere in eos qui post baptisma in scelera prolababantur, ut liberius libidini aliisque vitiis servirent sacramentum regenerationis ad lectulum mortis differebant. Alii vero erant pii laudabilisque vitae homines quibus persuasum erat majori qua fieri posset reverentia et caritate baptismum esse recipiendum, nec ejus sanctitatem aliquo scelere esse polluendam, ac proinde nonnisi adulta aetate accedebant ad sacramentum. Ceterum parentes qui filiorum baptisma cum periculo eorum aeternae salutis distulerunt omni prorsus culpa non vacarunt.

Ad 3. Pueri recens nati sunt infideles mere negative qui licet fidei actualis sint incapaces potest autem in eis suppleri per fidem Ecclesiae.

Et quemadmodum per alienam voluntatem originale peccatum contraxerunt, ita per fidem Ecclesiae possunt justificari.

Ad 4. Ecclesia per plura saecula dispensare consuevit infantulis statim post baptisma eucharistiam. Verum res haec quum ad disciplinam pertineat mutatis temporum circumstantiis ab Ecclesia potuit, ut revera factum est mutari, praesertim cum eucharistia necessaria non sit necessitate medii, ut suo loco videbimus. Ast baptismus necessarius est necessitate medii, nec ejus collatio pertinet ad meram disciplinam, quum Christus Joan. 3. aperte dicat, *nisi quis renatus fuerit etc.*

Ad 5. Supposito quod circumcisio instituta fuerit in remedium originalis peccati, ut nos cum Augustino nostro tenemus, valet utique ex ea desumptum adversus anabaptistas argumentum; si enim parvuli ante rationis usum circumcidebantur ut in eis tolleretur originale peccatum, nonne a fortiori ob eamdem caussam parvuli sunt baptizandi? Ratio autem cur baptismus non conferatur octavo die sicut olim circumcisio, assignatur a S. Cypriano in ep. 59. his verbis: *Nam quod in judaica circumcisione carnali octavus dies observabatur, sacramentum est in umbra atque imagine ante praemissum, sed veniente Christo veritate completum. Nam quia octavus dies, idest post sabatum primus dies, futurus erat quo Dominus resurgeret, et nos vivificaret, hic dies octavus, idest post sabatum primus et dominicus praecessit in imagine: quae imago cessavit superveniente postmodum veritate, et data nobis spiritali circumcisione.* Ceterum fuerunt olim et adhuc sunt aliqui populi qui extra necessitatis casum in conferendo baptismate octavum observant diem.

Obj. 6. cont. 2. concl. I. Actor. cap. 5. legitur: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Ast praecipit Deus omnes baptizari, unde baptizari possunt infantes etiam invitis parentibus. II. nonne dixit Christus apostolis Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos?* sunt itaque filii infidelium quocumque modo baptizandi. III. hoc proculdubio innuere voluit Christus Lucae cap. 14. parabola illa qua Dominus jussit servo ut compelleret omnes intrare. IV. et quoniam in veteri Testamento fulcrum nostrae opinationis quaesivimus, est, inquiunt, in veteri Testamento praeclarum exemplum Machabaeorum qui reclamantibus parentibus eorum filiolos circumcisioni subjecerunt.

Resp. ad 1. et 2. Deum jubere quidem ut baptizentur omnes, sed sponte baptizari volentes, non inviti et renuentes; nullibi enim legimus vel apostolos vel veteres patres nostros renuentes et invitos baptizasse sive adultos sive pueros contra voluntatem parentum. Praeterea nimis probarent allata duo argumenta, probarent nempe non modo pueros invitis parentibus, sed et renuentes adultos imo et infantulos in matrum utero latitantes esse baptizandos, Deus namque praecipit ut baptizentur omnes. Sicut itaque ab illo universali praecepto excluduntur pueri nondum nati et adulti, ita excluduntur infantes non accedente parentum consensu. Demum qui non vult baptizare infantem invitis parentibus non transgreditur sed observat divinum praeceptum quo jubetur ne laedatur patria potestas.

Ad 3. Evangelica parabola si intelligatur de invitatione ad fidem, potest enim et alium habere sensum, non ita accipi debet quasi velit Deus vim et coactionem inferendam esse infidelibus, alioquin etiam adulti adigendi essent ad suscipiendum baptisma, sed eo sensu intelligi debet quod apostoli et evangelii praedicatores pondere rationum, morum probitate, animique constantia non suaderent solum, sed persuaderent ethnicos atque judaeos de veritate christianae religionis.

Ad 4. Pueri a Machabaeis circumcisi non erant filii infidelium, sed judaeorum illorum qui praecipiente Antiocho a judaica religione desciverunt, propriosque filios reliquerant incircumcisos.

Obj. 7. adv. eamd. 2. concl. I. possunt licite principes impedire sacrificia paganorum, unde S. P. Augustinus in ep. ad Vincentium donat. commendat *leges ab imperatoribus latas adversus sacrificia paganorum*, cur ergo adigere nequiverint illorum filios ad baptismum? II. de jure gentium est posse licite baptizari parvulos renuentibus licet parentibus si titulus intersit emptionis, servitutis etc. Est autem de jure divino ut baptizentur omnes ad vitam aeternam percipiendam. Ast potius est jus divinum quam gentium, itaque etc. III. non fit contra jus naturale si filii subtrahantur per vim a parentibus infidelibus hoc fine ut per baptisma incorporentur Ecclesiae, tum quia non laeditur patria potestas si filii ipsi baptizari velint, tum quia nec laeditur patria potestas si filii subtrahantur parentibus volentibus illos vel fame perire vel enormia patrare facinora. IV. defendere innocentes est de jure naturae magis quam patria potestas, unde subtrahi potest per vim filius a parente qui eum occidere vellet. Ast Ecclesia quae conferret baptismum pueris infidelium, illis reluctantibus, defenderet innocentes, liberaret illos nimirum ab aeterna morte, eisque vitam aeternam procuraret.

Resp. ad 1. Aliud est superstitiosa impedire sacrificia, aliud vero cogere infideles ad christianam religionem amplectendam. Primum praestare potest princeps ad subditorum servandam tranquillitatem, quum ad ipsum spectet pacem populis suis procurare. Alterum non potest, quia multa facere potest homo nolens. *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens*, *accedere ad altare potest nolens*, *accipere potest sacramentum nolens*: *credere non potest*, *nisi volens*, ait idem Augustinus tract. 26. in Joan. Atque exposito modo sensu intelligendus est S. doctor.

Ad 2. concessa maj. dist. min. Est de jure divino ut baptizentur omnes volentes conc. min. omnes etiam inviti et renuentes neg. min. Jus divinum quo praecipitur omnibus baptisma non adimit infidelibus patriam potestatem in filios quam a jure nature acceperunt. Hinc jus illud divinum non tribuit facultatem principibus baptizandi filios illorum infidelium qui civiliter tantum eisdem subjecti sunt principibus. E contra ubi parentes infideles subditi sint principibus titulo emptionis, servitutis etc. non retinent amplius patriam in filios potestatem, atque adeo dum filii baptizantur ipsis etiam reluctantibus, non laeditur patria potestas, nullaque juri naturae fit injuria.

Ad 3. neg. ant. Ad illius autem priorem prob. dico non violari naturale jus si filius adultus sponte sua baptismum recipiat, quoniam in iis quae ad jus naturae atque ad religionem spectant filius cum ad rationis usum pervenit patriae potestati non amplius subjicitur. Ad alteram autem ejusdem ant. prob. parentes qui volunt filios suos fame perire, filias prostituere etc. abutuntur patria potestate contra ipsum naturale jus, unde possunt ac debent filii ab illorum subtrahi potestate. Ast dum eosdem filios impediunt ne baptisma suscipiant, abutuntur patria potestate contra debitum religionis, in quo nulli hominum subjiciuntur, ac proinde nequeunt patria potestate expoliari.

Ad 4. eadem sit responsio. Nam infideles qui nolunt filios suos baptizari procurant eis quidem aeternam mortem, sed agendo id faciunt contra nostram religionem cui ipsi non subjiciuntur, non agendo contra jus naturale.

Obj. 8. cont. eamd. 2. concl. Summi reges pietate praeclari judaeos et gentiles ad baptisma suscipiendum coegerunt, eaque de caussa laudes promeruerunt. Tales fuerunt Sisebutus rex hispaniarum laudibus cumulatus a Patribus concilii toletani 4. Carolus Magnus commendatus ab Adriano romano Pontifice, Chintillanus, Chilpericus, Dagobertus, quorum nomina ab historicis celebrantur. Etiam exemplis itaque constat licitum esse baptizare filiolos infidelium invitis eorum parentibus.

Resp. 1. Si consistat allatum argumentum, non solum parvuli, sed et adulti adigi poterunt ad baptismum, nam laudati principes et parvulos et adultos coegerunt, ut argumentum supponit, ad christianam religionem profitendam.

Resp. 2. male adversarios nostros pro eorum tuenda sententia ad allata in argumento exempla provocare. Nam quoad Sisebutum spectat ex can. 4. toletani concilii constat vim ab eo adhibitam contra judaeos fuisse omnino improbatam. Vide citatum canonem inter fundamenta cap. superiori allata. Neque ob id a patribus ejusdem concilii zelus Sisebuti commendatur, sed quoniam pluribus legibus statuerat ne judaei christianum liberum tamquam servum retinerent, ne christianum mancipium circumcideretur, et ne christianus aliquis judaicos ritus exerceret. Saxones et hunni non vi sibi a Carolo Magno illata sed libera voluntate baptismum susceperunt, ut ex gratulatoria ep. Alcuini num. 7. apparet. Quum autem bis et tertio in imperatorem rebellaverint, christianamque ejuraverint religionem, subactos denique merito compulit ad christianam religionem retinendam. Chilpericus reprehensus fuit a Gregorio turonensi, quod gentiles ad baptismum suscipiendum adegerit. Literis demum Dagoberti quibus praecipiebat Amando trajectensi ut infidelibus quocumque modo baptisma conferret, idem Amandus non obtemperavit, existimans id contra ecclesiasticam disciplinam.

Obj. 9. cont. 3. concl. I. initio puerperii aperto uteri ostio puer est ferme visibilis aut saltem contrectari potest, adeoque ablui. Ergo ope siphunculi licite et valide baptizari poterit. Quinimo erit omnino ba-

ptizandus. Si enim in exposito casu potest puer si infirmus corpore sit ope medicamentorum juvari, nonne magis juvandus erit, et sanandus ope sacramenti a peccato originali? II. veterum theologorum auctoritas impedire non debet quin hujusmodi infantuli per clysterem abluantur; ideo namque contrarium affirmarunt quoniam impossibilem esse talem ablutionem putarunt; atqui nunc possibile imo et facile esse recentiores medici docent, ergo etc. III. ad sacramenti valorem requiruntur materia, forma, et intentio, haec tria in casu nostro concurrunt, sicut igitur Deus sanctificavit aliquando in uteris matrum latitantes puerulos, ita idipsum facere potest Ecclesia per collationem baptismatis.

Resp. ad 1. Ut parvulus valide baptizetur non sat est si visibilis sit, contrectabilis et capax recipiendi ablutionem, sed praeterea requiritur ut sit natus, et mystico Ecclesiae corpori possit coaptari; quod de puero in utero matris adhuc existente non verificatur, ut praecedenti cap. concl. 3. animadvertimus. Nec est ut adversarii contendunt omnino baptizandus, repugnante universalis Ecclesiae praxi et consuetudine. Applicari illi infantulo poterit medicamentum ob corporis valetudinem si id medicus jubeat, non est applicandus baptismus quia ne id fiat Ecclesia vetat.

Ad 2. Non solum auctoritate theologorum quae tamen sola sufficeret, sed auctoritate universalis Ecclesiae et magni Augustini qui hoc argumentum ex professo versavit movemur ad nostram tuendam sententiam a qua nos dimovere non potest recentiorum auctoritas sive medicorum sive philosophorum, quum ad hos spectet judicare de iis quae corporis vitam respiciunt, ad Ecclesiam vero et ad theologos de iis quae pertinent ad salutem animae et sacramentorum administrationem. Deinde non recentiores medici solum, sed et antiquissimi inter quos Hyppocrates de apertione uteri tempore puerperii pertractarunt, nec proinde Ecclesia unquam praecepit baptizandos esse parvulos ope siphunculi, nec obstetricibus unquam jussit ut in pii illius officii exercitio absque syringia non incederent.

Ad 3. facilis est responsio si animadvertamus materiam formam et intentionem requiri, capacitatem autem subjecti supponi ad sacramenti valorem. Cumque in casu nostro subjectum capax non sit, sequitur posse Deum singulari quodam privilegio sanctificare pueros in utero matrum, non posse vero id Ecclesiam via ordinaria per collationem baptismi qui phrasi Scripturarum dicitur nova nativitas.

CAPUT XII.

De effectibus sacramenti baptismi.

De sacramentorum effectibus quantum satis est pro instituti nostri ratione pertractavimus libro superiori cap. 7. Quoniam vero in enumerandis baptismi effectibus tam veteres quam recentiores haeretici turpiter erraverunt, idcirco peculiarem de illis hoc in capite instituemus disputationem.

Catholicorum ergo inconcussa sententia est baptismum 1. Remittere

quaevis peccata, tum originale scilicet, tum actualia. 2. Imo remittere etiam quamlibet poenam eisdem peccatis debitam. 3. Praeter remissionem peccatorum conferre quoque catechumenis gratiam habitualem. 4. Et talis esse efficaciae ut si ab aliquo ficte, hoc est sine debitis dispositionibus suscipiatur sublata fictione peccata quae baptismum praecesserunt omnino deleantur. 5. Quamvis non remittantur peccata quae subsecuta sunt eumdem baptismum. Ita firmiter omnes catholici sentiunt.

Sed non ita haeretici, nam origenistae nonnulli apud Epiphanium haer. 64. affirmabant baptismi vim in hoc consistere, ut peccata non remittat quidem nec deleat, sed tamen sopiat ne noxios fructus producant. Messaliani, ut testis est Theodoretus lib. 4. haer. fabular. docebant baptisma non sufficere ad malum doemonem qui ab initio datus est, expellendum, sed recurrendum esse ad orationem. Narrat Gregorius Magnus sua aetate extitisse quosdam qui *dicerent quod baptisma peccata penitus non auferret*. Vide hujus summi Pontificis ep. 39. Lutherani demum et calvinistae unanimi consensu tradiderunt baptisma hoc sensu peccata dimittere, quod cooperiantur, et non imputentur, non quod revera tollantur et ab anima eradicentur. Contra hos omnes haereticos ergo sit

CONCLUSIO I.

Sacramentum baptismi cujuslibet peccati culpam et poenam delet et remittit.

Prob. prima concl. pars. I. ex Scripturis. Ezech. cap. 36. ita describit nostri baptismatis effectus: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. In Act. apost. cap. 2. inquit Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum*. Paulus ad Eph. cap. 5. *Mundans*, inquit, *eam lavacro in aquae verbo vitae*. Et ad Rom. cap. 8. subdit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. Alia Scripturae testimonia brevitatis caussa omitto. II. Tertullianus lib. de bapt. cap. 10. assignans discrimen inter Joannis ac Christi baptismum, inquit: *Nihil enim caleeste praestabat, sed caelestibus ministrabat, poenitentiae scilicet praepositus ... agebatur itaque baptismus poenitentiae quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae*. En sanctificatio et remissio per baptisma christianum. Hieronymus ep. 83. ita loquitur: *Omnia scorta, et publicae colluvionis sordes, impietas in Deum, parricidium et incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriusque sexus mutata natura, Christi fonte purgantur*. Praeclaros baptismi effectus fuse enumerat atque describit Joannes Chrysostomus in hom. ad neoph. cujus verba recitantur a S. P. Augustino lib. 1. cont. Jul. cap. 6. Idem Augustinus in lib. 3. de symb. ad catech. cap. 10. ait: *Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma, et originalia, et propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur*. Ea-

dem ferme repetit serm. 2. de verbis apostoli nunc 131. de Scripturis. Et lib. 14. de Trin. cap. 17. *Fit illa*, inquit, *in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum: neque enim vel unicum quantulumcumque remanet quod non remittatur*. Gregorius M. ep. 39. ait: *Qui dicit peccata in baptismate non funditus dimitti, dicat in mari rubro aegyptios non veraciter mortuos*. Ne longus sim reliquos omnium saeculorum Patres silentio praetereo, illud animadvertens catholicam hanc sententiam constanter ac perpetuo semper ab universali Ecclesia creditam fuisse. III. ex ecclesiasticis definitionibus, nam origenistae nonnulli, messaliani, aliique ignoti nominis haeretici efficaciam baptismi denegantes explosi sunt, et tamquam haeretici habiti ab Epiphanio, Methodio, Theodoreto et Gregorio Magno. Quare merito tridentina synodus tamquam haereticos eo etiam nomine damnavit lutheranos et calvinistas ubi sess. 5. hunc edidit canonem num. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit*.

Prob. altera pars concl. quae est de remissione poenarum peccato debitarum. I. ex Patribus. Nam Basilius in exhort. ad bapt. inquit: *O rem admirandam! renovaris nec conflaris; reformaris nec contereris; curaris nec dolorem sentis, et tamen id beneficii tecum non reputas*. S. P. Augustinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 28. *Si continuo*, inquit, *consequatur* (post baptismum) *ab hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quae tenebant*. Jam vero si baptizati renovantur absque flagris ac sine dolore, si recens baptizatus ex hac vita decedens habet soluta omnia quae ipsum tenebant, sacramentum baptismi omnem proculdubio poenam remittit. II. ex conciliis. Florentina enim synodus in decreto pro armenis sic habet: *Baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regna coelorum, et Dei visionem perveniunt*. Concilium tridentinum addit: *Ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur*. III. ex praxi Ecclesiae quae nunquam consuevit poenitentiam imponere baptizatis, quamvis rigorem maximum semper exercuerit cum lapsis post baptismum quando per poenitentiae sacramentum reconciliantur. Hinc sancti Patres de baptizatis peccatoribus qui ex hac vita migrant post reconciliationem, non tam fidenter pronuntiant quod aeternam salutem consequantur, quemadmodum fidenter id affirmant de hominibus qui decedunt statim post acceptum baptisma. Audi Augustinum in lib. 50. hom. hom. 41. nunc serm. 393. de divers. recensito a nonnullis inter dubios: *Si quis autem positus in ultima necessitate aegritudinis suae, voluerit accipere poenitentiam, et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non praesumimus, quia bene hinc exit ... baptizatus ad horam, securus hinc exit*.

CONCLUSIO II.

Baptismus praeter remissionem peccatorum confert quoque gratiam habitualem.

Prob. 1. ex Scripturis. Joan. cap. 3. legitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Apostolus ad Titum scribens cap. 3. *Salvos nos fecit*, inquit, *per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti*. Et ad Eph. cap. 4. hortans homines ad baptismum ait: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis*. Hujus generis innumera alia sunt in sanctis paginis ex quibus sic arguitur: Gratia quae est renascentia et renovatio per Spiritum sanctum et per quam homines Christum induunt est gratia habitualis, non actualis, ut agentes de justificatione diximus; gratia quam confert baptismus est hujusmodi, ut ex allatis textibus patet, ergo gratia quam confert baptismus est gratia habitualis.

Prob. 2. ex Patribus. Tertullianus lib. de bapt. cap. 4. inquit: *Supervenit statim Spiritus de caelis et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt*. Et rursus: *Medicatis quodammodo aquis, et Spiritus in aquis corporaliter diluitur, et caro in iisdem spiritaliter mundatur*. Cyprianus ep. 70. scribit: *Ungi necesse est eum qui baptizatus est, ut accepto chrismate, idest unctione esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit*. Gregorius nyssenus orat. in bapt. ait: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis, et regenerationis causa*. Eamdem adhibent phrasim reliqui Patres quibus persuasum semper fuit hominem per baptismum sanctificari, interius mutari ac renovari, quod absque habituali gratia fieri nequit.

Prob. 3. ex tridentina synodo quae sess. 6. hunc edidit can. num. 2. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate quae in cordibus eorum diffunditur per Spiritum sanctum, atque illis inhaeret, anathema sit*.

CONCLUSIO III.

Baptismus ficto animo, hoc est, vel sine interna fide, vel cum affectu ad mortale peccatum ab adulto susceptus, sublata fictione, reviviscit, remittit nempe peccata quae ipsum praecessere baptismum; quamvis non remittat peccata quae baptismum subsecuta sunt.

Prob. prima concl. pars comparate scilicet ad haereticos atque schismaticos. 1. ex Scripturis in quibus appellatur baptismus renascentia, renovatio, et baptizati dicuntur renati, renovati, et quod Christum induerint;

ast vero adultus qui deliberate baptisma suscepit in haeresi vel in schismate dici nequit renatus renovatus, aut Christum induisse, ut per se patet, ergo sublata fictione vel baptisma iterandum erit, quod nefas est cogitare, vel tunc facit ut baptizatus renascatur, renovetur, et Christum induat, comparate ad illa peccata quae baptismum praecesserunt. II. auctoritate magni Augustini qui lib. 3. de bapt. cap. 13. ita scribit: *Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, quum* (haeretici et schismatici) *ad Ecclesiae pacem venerint : non ut jam vere dimissa non retineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur, ut alter tradatur, sed ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem*. III. ex theologica ratione. Peccata quae baptismum praecesserunt quomodo deleri possunt in adulto qui sacramentum illud in haeresi vel in schismate suscepit? Non per baptismi reiterationem, ut per se patet, sed neque per poenitentiam quum hujus sacramenti materia sint peccata post baptismum patrata, ut definit tridentinum concilium sess. 6. cap. 14.

Prob. altera pars concl. relate ad adultos qui cum affectu ad mortale peccatum suscipiunt in Ecclesia catholica baptismum. I. ex dictis quae valent etiam pro peccatoribus; cur enim baptismus in haereticis et schismaticis, sublata fictione reviviscit? Propter pacem, inquit Augustinus mox laudatus, quae est intus, nempe in Ecclesia catholica. Ast pax quae est in Ecclesia catholica est caritas, itaque per caritatem reviviscit in adulto baptisma receptum cum affectu ad peccatum. II. auctoritate et ratiocinatione ejusdem S. P. Augustini qui lib. 1. de bapt. cap. 12. ita scribit: *Quid si ad ipsum baptismum fictus accessit, dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? Si dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum, si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum? Si dixerint non esse dimissa, quaero, si postea fictionem suam corde concusso et vero dolore fateretur, denuo baptizandus judicaretur? Quod si dementissimum est dicere, fateantur vero baptismo Christi baptizari posse hominem, et tamen cor ejus in malitia vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri; atque ita intelligant in communionibus ab Ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi baptismus eadem sacramenti celebratione datur et sumitur, qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati, sacrilegio dissensionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, et dimitti non sinebantur*.

Prob. tertia pars concl. quod in ficto baptismus non reviviscat quoad peccata commissa post receptum baptismum; nam ad hujusmodi delenda peccata institutum fuit a Christo Domino sacramentum poenitentiae, ut statuit tridentinum concilium loco paullo ante citato. Jam vero si sublata fictione per susceptum baptisma remitterentur quoque peccata post baptismum admissa, superfluum in iis esset sacramentum poenitentiae, quod absurdum est affirmare.

Obj. 1. cont. 1. concl. I. post susceptum baptisma remanet in renatis concupiscentia et quidem usque ad agonem, ut post Augustinum inquit tridentina synodus sess. 5. sed peccati originalis natura, teste eodem Augustino, consistit in concupiscentia, baptismus ergo non remittit omnia peccata. II. fames, sitis, morbi, ipsa concupiscentia, et mors nonne sunt poenae originalis peccati? Et nihilominus remanent etiam in baptizatis. Itaque non tollit baptismus poenas debitas peccato.

Resp. ad 1. naturam originalis peccati non consistere in sola concupiscentia, sed in concupiscentia cum reatu, ita ut concupiscentia sit veluti peccati materia, reatus vero sit ejusdem peccati forma: unde quamvis remaneat concupiscentia post baptismum, non proinde sequitur remanere peccatum. Sed de his vide quae disseruimus agentes de natura originalis peccati. Ratio autem cur voluerit Deus ut in renatis per baptismum adhuc remaneat concupiscentia usque ad agonem, multiplex affetrur a S. P. Augustino in 3. cont. Julian. cap. 6. et in 6. op. imperf.

Ad 2. Quando catholici affirmant baptismum remittere poenam cuilibet peccato debitam, non loquuntur de poena temporali, sed de poena aeterna quae luenda esset in altera vita, juxta illud magni Augustini enchir. cap. 66. *Magis propter futurum judicium fit remissio peccatorum. In hac autem vita usque adeo valet quod scriptum est*, grave jugum etc.... *ut intelligamus totum quod salutaribus agitur sacramentis magis ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem praesentium pertinere*; fames autem, sitis, morbi etc. sunt poenae temporales.

Obj. 2. adv. 2. concl. Summi Pontifices Innocentius III. in extrav. de bapt. eff. cap. *majores*, et Clemens V. in concilio viennensi, clementina de summa Trinitate et fide cath. affirmare videntur sententiam hanc de gratia habituali quae per baptismi sacramentum conferatur esse mere probabilem vel altera probabiliorem, non autem ad fidem pertinere.

Resp. Laudati Pontifices affirmant dumtaxat suorum temporum theologos disputare consuevisse de natura gratiae quam nos habitualem appellamus, nonnulli enim tradebant inhaerentem hanc gratiam quae per baptismum confertur esse habitum infusum, alii autem dicebant esse actum virtualiter remanentem in baptizato, alii denique esse Spiritum sanctum illius habitus aut actus vices gerentem. Vide quae de hac re diximus in lib. de justificatione. Cum ergo citati in argumento Pontifices inquiunt sententiam de sanctificante gratia collata per baptismum esse meram opinionem, non loquuntur de receptione inhaerentis gratiae per baptismum, sed de ejusdem gratiae natura.

Obj. 3. cont. 3. concl. I. sacramentum poenitentiae ficte susceptum sublata fictione non reviviscit, et tamen est sacramentum mortuorum, ergo baptismus sublata fictione non reviviscit. II. baptismus ficte susceptus est novum peccatum, quomodo ergo remittere potest peccata cum

per poenitentiam reviviscit? III. non potest baptismus ficte susceptus reviviscere nisi per poenitentiam, quare poenitentiae in hac sententia adscribi debet remissio originalis peccati, sed universa Ecclesia tenet originale peccatum nonnisi per baptismum sive in re sive in voto susceptum remitti. IV. baptismus sublata fictione reviviscit, ergo tunc, quando nempe reviviscit, aufert ab anima baptizati quaecumque peccata, illa etiam quae baptismum ficte susceptum subsecuta sunt. V. Ecclesia antiquitus, ut ex sanctis Patribus patet, et ex Gregorio Magno praesertim in ep. 63. baptizatos in haeresi vel in schismate recipiebat vel per sacramentum confirmationis vel per confessionem fidei, nulla facta mentione sacramenti poenitentiae. Igitur supponebat baptismum remittere etiam illa peccata quae post baptismum ficte susceptum committuntur.

Resp. ad 1. neg. cons. et paritatem. Disparitas est quoniam sancti Ecclesiae Patres baptismo quidem, non autem poenitentiae reviviscentiam adscribunt sublata fictione. Neque baptismus reviviscit quia est sacramentum mortuorum, sed forte quia imprimit characterem.

Ad 2. Non baptismus ficte susceptus, sed ipsa fictio est novum peccatum, baptismus enim est sacramentum a Christo Domino institutum. Fictio autem illa qua haereticus vel schismaticus vel peccator ad sacramentum accessit deletur per sacramentum poenitentiae. *In illo qui fictus accesserat fit ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione purgetur*, inquit S. P. Augustinus lib. 1. de bapt. cap. 12. ubi confessionis nomine intelligit S. doctor non confessionem fidei, sed confessionem peccatorum quae fit in sacramento poenitentiae quum loquatur de illo qui in Ecclesia ficte baptismum recepit.

Ad 3. Peccati originalis remissio proculdubio fit per sacramentum baptismi. Potest nihilominus adscribi poenitentiae non tamquam caussae proximae, sed tamquam caussae remotae, quatenus nempe per poenitentiam reviviscit baptismus qui est caussa proxima remissionis originalis peccati.

Ad 4. neg. conseq. Peccata enim quae subsecuta sunt baptismum ficte susceptum delentur ab anima hominis per sacramentum poenitentiae cujus materia eadem peccata sunt. Legatur Augustinus cap. 12. lib. 1. de bapt.

Ad 5. Antiquus Ecclesiae mos erat haereticos ad ejusdem Ecclesiae sinum redeuntes recipere per sacramentum confirmationis publice ipsis collatum, schismaticos vero per publicam fidei professionem. Verum et haeretici et schismatici antequam publico illo ritu admitterentur in Ecclesiam tenebantur per sacramentum poenitentiae omnia et singula peccata expiare, deque illis recipere privatim absolutionem. Haec fuit semper constans Ecclesiae disciplina. Quando itaque sancti Patres affirmant recipi in Ecclesiam haereticos et schismaticos per confirmationem et confessionem fidei, non excludunt sacramentum poenitentiae, sed supponunt, quoniam loquuntur de publica tum haereticorum tum schismaticorum in Ecclesiam admissione.

CAPUT XIII.

De proprietatibus baptismi.

Duas recensere solent theologi sacramenti baptismi proprietates, unitatem nimirum et necessitatem. Et de unitate quidem nos satis diximus ubi refutavimus errorem rebaptizantium, ibi enim fuse demonstravimus baptisma christianum adeo esse unum ut etiam in haeresi vel schismate collatum, dummodo rite administratum sit, valeat, nec in catholica Ecclesia repeti possit. Multo minus repeti poterit baptisma collatum in catholica Ecclesia. Quod primo loco hoc in capite a nobis demonstrandum erit.

Quoad necessitatem ejusdem sacramenti, innumeri sive veteres sive recentiores haeretici circa illam errarunt. Et ut mittam cajanos, archonticos, aliosque hujus generis qui ethnici potius quam christiani videbantur, manichaei existimantes aquam conditam esse a malo principio, baptismum in aqua administratum rejiciebant. Pelagiani quum stulte distinguerent inter vitam aeternam et regnum caelorum, admittebant quidem necessitatem baptismi ad consequendum regnum caelorum, non vero ad habendam vitam aeternam. Waldenses ac wicleffistae et parvulis et adultis inutile esse baptisma praedicabant. His subscripserunt Bucerus atque Calvinus, ille affirmans infantes salvari sine baptismo vi decreti praedestinationis quibus subsunt illi qui subsunt, hic autem salvari arbitrans eosdem infantes vi cujusdam foederis initi inter Deum et christianos. Contra necessitatem tamen baptismi ceteris apertius audaciusque debacchati sunt sociniani ejusmodi sacramentum prorsus inutile declamantes ob eas caussas de quibus cap. 1. hujus libri verba fecimus. Consule quae ibi diximus.

Catholicorum autem firma fides est baptismum esse omnino necessarium et parvulis et adultis ad aeternam salutem consequendam. Sed diversimode, parvulis videlicet necessarium est baptisma necessitate medii, quatenus aeternam vitam sine illo obtinere nullo modo possunt, adultis vero non solum necessitate medii, sed et necessitate praecepti, quoniam omnibus Christus praecepit illud recipere sacramentum. Addunt tamen catholici in infantibus baptismum suppleri posse per martyrium, in adultis autem et per martyrium et per contritionem perfectam conjunctam cum voto, hoc est cum ardenti desiderio suscipiendi baptismum, unde triplex baptismi divisio invaluit, *fluminis* nempe, *flaminis*, et *sanguinis*. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Baptisma semel rite collatum ita unum est ut iterari absque sacrilegio non possit.

Prob. 1. ex Scripturis. Paulus ad Eph. cap. 4. ita scribit: *Unus*

Dominus, *una fides*, *unum baptisma*. Idem ad Hebr. cap. 6. *Impossibile est*, inquit, *eos qui semel sunt illuminati ... rursus renovari ad poenitentiam*, subintellige per iteratum baptisma. Ibidem cap. 10. ait: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis*, *jam non relinquitur pro peccatis hostia*, aliud nempe baptisma.

Prob. 2. ex sanctis Patribus. S. Joannes Chrysostomus hom. 9. in ep. ad Hebr. explicans allata nuper verba, *impossibile est etc.* sic loquitur: *Expergescimini*, *et attendite*. *Non licet dicere*, *si dissolute et negligenter vixerimus*, *rursus baptizabimur*, *catechesi rursus instituemur*, *accipiemus rursus spiritum*, *et si a fide nunc exciderimus*, *rursus poterimus baptizari*, *peccata abluere*, *et eadem assequi quae prius*. *Erratis*, *inquit* (Apostolus) *haec existimantes*. *Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati etc. Non amplius expectes quod non potest fieri*. *Non enim dixit*, *non decet*, *neque expedit*, *neque licet*, *sed est impossibile*, *ut eos omnino dejiciat in desperationem*. Epiphanius haer. 59. exponens eadem Pauli verba, *Revera*, inquit, *qui semel renovati ceciderunt*, *renovari amplius non possunt ... neque alteram quis usurpare lotionem potest*, *quod unus baptismus sit*, *unaque renovatio*. Eadem utuntur expositione multi alii Patres contra novatianos qui dari peccata aliqua irremissibilia contendebant ex laudato Apostoli testimonio male interpretato. S. P. Augustinus explicans illa Apostoli verba ex cap. 10. ep. ad Hebr. supra a nobis laudata, *voluntarie peccantibus etc.* sic inquit in expos. ep. ad Rom. *Nam et illud ad hebraeos qui diligentius pertractant*, *sic intelligunt*, *ut non de sacrificio contribulati per poenitentiam cordis accipiendum sit*, *quod dictum est*, *non adhuc pro peccatis relinquitur sacrificium*, *sed de sacrificio de quo tunc loquebatur Apostolus*, *idest holocausto dominicae passionis*, *quod eo tempore offert quisque pro peccatis suis*, *quo ejusdem passionis fide dedicatur*, *et christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur*: *ut hoc significaverit Apostolus*, *non posse deinceps eum qui peccaverit*, *iterum baptizando purgari*. His omnibus accedit perpetuam Ecclesiae consuetudinem ac praxim fuisse semel tantum baptisma hominibus ad eam venientibus conferre, unde baptismi unitatem tamquam fidei semper dogma credidit.

CONCLUSIO II.

Baptismus omnibus necessarius est necessitate medii ad salutem, *adultis vero quibus satis promulgatum est evangelium necessarius est etiam necessitate praecepti*.

Prob. prima pars concl. I. ex sacris litteris. Joan. enim cap. 3. legitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *et Spiritu sancto*, *non potest introire in regnum Dei*. Per aquam et Spiritum sanctum intelligitur visibile sacramentum baptismi, ut initio hujus libri saepe probavimus, nemo potest introire in regnum Dei nisi ex aqua et Spiritu sancto rena-

scatur, itaque omnibus necessarius est necessitate medii baptismus ad salutem consequendam. Hoc idem colligitur tum ex Pauli ep. ad Titum cap. 3. ubi dicitur: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti*, nempe per baptisma, tum ex 1. Petri cap. item 3. ubi legitur: *Quod et vos nunc similis formae salvos fecit baptisma*. II. ex sanctis Patribus, nam S. Cyprianus in ep. 69. scribit: *Si fide Trinitatis (per aspersionem aquae instar salutaris lavacri) mundatus non fuerit, in resurrectione apud sanctorum collegium immundus erit*. S. P. Augustinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 27. *Sicut generatio*, inquit, *carnis peccati per unum Adam ad condemnationem trahit omnes qui eo modo generantur, sic generatio spiritus gratiae per unum Jesum Christum ad justificationem vitae aeternae ducit omnes qui eo modo praedestinati regenerantur. Sacramentum autem baptismi profecto sacramentum regenerationis est*. S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 27. inquit: *Firmissime tene et nullatenus dubites non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, de hoc saeculo transeunt, sempiternò igne puniendos, quia etsi propriae actionis peccatum nullum habuerunt, tamen originalis peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt*. Adde his quod ex Ecclesiae traditione constat catechumenos antiquitus quoties constituti erant in mortis periculo properasse ad sacerdotes ut ab ipsis baptizarentur. Hinc S. P. Augustinus in ep. ad Honoratum graviter arguit pastores illos qui persecutionis tempore ut propriae consulant temporali saluti fugam arripiunt, permittentes ex isto saeculo plures non regeneratos, exire sive ex parvulis sive ex adultis. III. ex falsis motivis quibus adversarii adducti negant baptismi necessitatem. Et sane in oppositam sententiam abierunt manichaei quia putant aquam esse a malo principio, pelagiani quoniam non admittunt originale peccatum. Wicleffistae et waldenses quibus adhaerent sociniani quia verba Joannis cap. 3. interpretantur methaphorice, calvinistae tandem quia putant exstare pactum quoddam inter Deum et christianos, sed singula haec motiva hareticorum falsa sunt, aquam enim conditam fuisse a Deo O. M. cum reliquis creaturis probavimus harum instit. tomo 2. Existere in parvulis non regeneratis originale peccatum demonstravimus in opusculo de peccato originali, aquae nomine significari apud Joannem, et alibi ubi sermo instituitur de baptismo, veram et naturalem aquam, satis manifestum fecimus hujus libri cap. 1. Pactum denique quod jactat Calvinus est merum mentis suae figmentum, quum ne verbum quidem illius habeatur vel in Scripturis vel in traditione ergo etc.

Prob. altera concl. pars. I. ex dictis, quod enim necessarium est omnibus necessitate medii ad salutem, illud necessarium est quoque necessitate praecepti, praecipimur enim adhibere media illa quae ad vitam aeternam conducunt, sed baptismum necessarium esse necessitate medii

hactenus demonstravimus, ergo etc. II. quod Christus praecepit id necessarium est necessitate praecepti omnibus quibus Christi lex fuit annuntiata. Christus praecepit ut omnes initiarentur baptismate: *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc.*

CONCLUSIO III.

Baptismi vices supplet martyrium, non solum in adultis, sed etiam in parvulis.

Prob. 1. ex Scripturis. Joan. cap. 15. habetur: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ubi autem est perfecta caritas quis dubitare potest quin doleatur omnis iniquitas? Matth. cap. 10. Christus ait: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Et paullo post sicut et cap. 16. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et 115. legitur: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Quae Scripturarum testimonia ad rem nostram maxime facere demonstrat luculentissime S. P. Augustinus lib. 13. de C. D. cap. 7. in haec verba: *Nam quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, nisi quis renatus fuerit etc. alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit etc.* recitatque subinde singula a nobis mox allata Scripturae testimonia.

Prob. 2. ex Patrum traditione. Nam praeter Augustinum nuperrime laudatum auctor constitut. apost. lib. 5. cap. 6. *Qui vero*, inquit, *martyrio dignus est habitus, laetitia in Domino efferatur ... Quamvis catechumenus sit sine tristitia excedat, passio enim pro Christo perlata erit ei sincerior baptismus; quandoquidem ipse revera et periculum faciendo Christo commoritur: reliqui vero, hoc est qui baptizantur, figura tantum.* Cyprianus ep. 73. *Numquid potest vis baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio?* Hoc idem versat argumentum fuse et ex proposito in ep. ad Jubajanum quam consulite. Hoc docet etiam apertissime Clemens alexandrinus lib. 4. strom. Hoc Cyrillus jerosolymitanus catech. 8. et Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 15. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui in certaminibus pro pietate, revera pro Christo mortem perpessi, nihil hujusmodi sacramentis quae sunt in aqua opus habuerunt ad salutem, nimirum in proprio baptizati sanguine.* Ambrosius in orat. de obitu Valentin. scribit: *Si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet: ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronentur: non enim coronantur si non initiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, et hunc* (Valentinianum) *sua pietas abluit et voluntas.* Eadem habent Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. Prosper sent. 149. Bernardus ep. 77. aliique innumeri. Accedit his quod Ec-

clesia semper venerata est infantes ab Herode olim morti traditos tamquam veros N. Testamenti martyres, de cultu enim erga innocentes illos pueros cuncti fere Ecclesiae Patres in suis operibus verba faciunt. Asque haec pauca dixisse sufficiat de baptismo sanguinis.

CONCLUSIO IV.

Suppletur baptismus fluminis per baptismum flaminis, hoc est, per veram cordis conversionem conjunctam cum voto suscipiendi sacramentum, idque in adultis dumtaxat.

Prob. 1. Scripturis. Joelis cap. 2. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Ezech. cap. 18. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis ... vita vivet, et non morietur*. Psal. 50. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies*. Isaiae cap. 28. v. 16. *Qui crediderit, non sustinet*, sive ut explicat Apostolus ad Rom. cap. 9. et 10. *non confundetur*, hoc est non sustinet confusionem quae oritur ex condemnatione. Joan. cap. 11. *Omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum*. Ad Rom. cap. 10. *Non dereliquisti quaerentes te Domine*. Ex his apparet cum fide et caritate conjunctam esse vitam aeternam. Ex alia parte non potest salus acquiri sine sacramenti baptismatis perceptione. Fit ergo ut qui nequeat baptismum suscipere, sed tamen cum fide et conversione cordis ad Deum sacramentum ardenter desideret, recipiat vitam aeternam ac si reale illud sacramentum susceperit.

Prob. 2. sanctis Patribus. Ambrosius in orat. de obitu Valentiniani disertissime affirmat argumentisque demonstrat augustum illum principem qui catechumenus obiit, sed cum ardenti voto suscipiendi baptismum, aeternam fuisse consecutum salutem. S. P. Augustinus lib. 4. de bapt. cap. 22. tradit, *Non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest*. Affert subinde exemplum latronis et Cornelii centurionis qui gratiam justificationis acceperunt antequam baptismate initiarentur. S. Bernardus in ep. ad Hugonem Victorinum scribit: *Si quis voluerit, et petierit baptizari, sed mortis praeoccupatus articulo forte obtinere nequiverit, dum non desit fides recta, spes pia, caritas sincera, huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere caritatem, tantum si aquam non contemptus, sed sola, ut dixi, prohibeat impossibilitas*.

Prob. 3. ecclesiasticis definitionibus. Tridentina synodus sess. 6. cap. 4. sic loquitur: *Quae quidem translatio* (de statu peccati ad statum gratiae) *post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis etc.* Innocentius III. de judaeo qui seipsum baptizaverat in mortis discrimine ita

rescripsit : *Quamquam si talis continuo decessisset , ad coelestem patriam protinus evolasset ob sacramenti fidem , et non propter fidei sacramentum* . Pius V. seqnentem damnavit propositionem inter bajanas 31. *Caritas perfecta , quae est ex corde puro , et conscientia bona , et fide non ficta , in catechumenis et poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum .*

Praecipuae difficultates enodantur .

Obj. 1. cont. 1. concl. Cyprianus et Firmilianus in primis, tum multi alii illorum temporum Patres existimarunt baptismum ab haereticis atque schismaticis collatum esse repetendum ; ergo baptismus non est unus .

Resp. laudatos Patres credidisse iterandum esse baptisma haereticorum et schismaticorum , quoniam arbitrabantur tale baptisma, utpote extra Ecclesiam collatum non fuisse verum baptisma . Ceterum in hoc conveniebant cum Stephano Romano Pontifice aliisque non rebaptizantibus , ut affirmarent unanimi consensione verum baptisma unum esse sicuti una fides est unusque Deus . Sed de hoc argumento vide quae scripsimus supra cap. 8. et 9.

Obj. 2. adv. 2. concl. I. filii ex parentibus fidelibus nati pertinent ad illud pactum quod Deus cum Abrahamo statuit Gen. cap. 17. *Statuam pactum etc. ut sim Deus tuus, et seminis tui post te* : ait enim Apostolus ad Rom. cap. 4. homines per fidem reputari in semine Abrahae ; sed qui pertinent ad illud foedus jam sancti sunt etiam sine baptismo . II. in ep. 1. ad Cor. cap. 7. idem Apostolus inquit : *Sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem , alioquin filii vestri immundi essent , nunc autem sancti sunt* . Qui ergo nascuntur ex fidelibus , sive adhibeatur sive non adhibeatur baptismus , sunt justificati . III. Cornelius centurio ante receptum baptisma justificatus erat , ergo etc.

Resp. ad 1. Quando Apostolus in ep. ad Rom. inquit filios fidelium spectare ad foedus initum olim a Deo cum Abraham, scopus ejus est refellere judaeos qui circumcisionem aliaque legalia ad salutem necessaria esse affirmabant . Contra quos docet , homines in novo testamento reputari in semine Abrahae per fidem quae justificat graecum atque judaeum , quemadmodum per fidem justificatus est Abraham etiam ante circumcisionem . Sed non proinde a negocio justificationis excludit Apostolus vel baptismum vel alia christianae religionis sacramenta . Vide quae de hoc argumento diximus agentes de peccato originali . Ceterum retorqueri potest in adversarios argumentum . Sicut enim filii Abraham non pertinebant ad foedus nisi circumciderentur , ita filii baptizatorum ad foedus non pertinent, nec vitam aeternam consequuntur nisi baptismum vel in se vel in voto suscipiant .

Ad 2. neg. cons. Apostolus enim loquitur ibi de immunditia politica et civili , non de illa quae sanctitati , hoc est amicitiae Dei opponitur : sensusque allatae sententiae est : alioquin filii vestri immundi essent , nimirum tamquam spurii et illegitimi haberentur . Scopum Apostoli eo in

loco jam tradidimus de peccato originali disputantes cap. 8. ad quod lectorem remittimus ne eadem saepe repetamus.

Ad 3. dico I. quamvis Cornelius *ita mundatus est, ut ante visibilem baptismum cum suis qui aderant acciperet donum Spiritus sancti. Verumtamen nec visibile sacramentum contemni potuit*, inquit S. P. Augustinus q. 33. in Num. II. hom. 45. inter 50. nunc autem serm. 56. de divers. inter opera ejusdem S. P. Augustini de visione S. Petri et de Cornelio centurione legitur: *Cujus* (Cornelii) *eleemosynae acceptae mundaverunt eum ad quemdam modum*: *restabat ut tamquam cibus mundus incorporaretur Ecclesiae*. III. denique quod singulari privilegio factum est in Cornelio non potest pro omnibus ac singulis in exemplum adduci.

Obj. 3. cont. eamd. 2. concl. I. celebris illa sententia, *nisi quis renatus* etc. cui innituntur catholici non probat baptismi necessitatem medii, nam eucharistia non est eodem modo per catholicos necessaria ut necessarius est baptismus, et nihilominus de illa quoque dicitur, *nisi manducaveritis* etc. II. parvuli judaeorum per fidem parentum absque circumcisione salvari poterant. Cur fides parentum salvare non poterit filiolos in lege gratiae? Numquid minorem habet efficaciam in N. Testamento fides? aut melior erat in veteri quam sit in nova lege conditio puerorum? III. antiqua consuetudo fuit in Ecclesia ut preces et sacrificia offerrentur pro catechumenis qui sine baptismo ex hac vita migrabant. Non existimabant ergo fideles illi necessarium esse baptisma ad salutem necessitate medii. IV. hinc Martinus turonensis, Ambrosius, Constantinus M. aliique permulti sancti viri diu baptismi sacramentum distulerunt, quod certe non fecissent si tantam agnovissent ejusdem sacramenti necessitatem. V. demum aspera et dura admodum videtur haec catholicorum sententia ex qua sequitur tot tantosque innocentes pueros sine baptismate decedentes perire in aeternum; unde nonnulli veteres scholastici in contrariam abiere opinionem.

Resp. ad 1. latissimum esse discrimen inter eucharistiam et baptismum, ideo enim eucharistia solis adultis necessaria est, non puerulis, quia haec fuit Christi institutoris voluntas. Hanc vero Christi voluntatem fuisse constat. 1. Ex perpetua constantique Ecclesiae traditione. 2. Quoniam eucharistiae praeceptum exprimitur hisce verbis, *nisi manducaveritis* etc. Manducatio autem ad solos adultos spectat, quum ablutionis etiam pueri sint capaces. 3. Quia particula exclusiva, *nisi*, ubi sermo fit de baptismo, est adeo universalis ut omnes nemine prorsus excepto complectatur, quum e contra particula, *nisi*, ubi agitur de eucharistia respiciat solos adultos; praeceptum namque suscipiendi baptismum exprimitur in haec verba, *nisi quis renatus fuerit* etc. illud vero sumendi eucharistiam, *nisi manducaveritis* etc. 4. Denique quia infantes aliud non habent medium ad delendum originale peccatum praeter baptismum.

Ad 2. dico 1. filios judaeorum sine circumcisione decedentes aeternam salutem haudquaquam fuisse consecutos, nos enim cum Augustino nostro sustinemus circumcisionem fuisse a Deo institutam non solum in

signum foederis, sed praecipue in remedium originalis peccati. 2. In sententia autem illorum qui arbitrantur circumcisionem fuisse merum signaculum distinctionis inter judaeos aliasque gentes, responderi potest pueros salvos factos fuisse per fidem parentum deficiente circumcisione, quoniam haec applicari non poterat, juxta praeceptum Domini, nisi octavo a nativitate die; par erat ergo ut imminente mortis periculo circumcisionis vices suppleret fides parentum. Ast in nova lege conferri potest puero baptismus statim ac in lucem sit editus, neque enim Christus tempus ullum determinavit.

Ad 3. Ubi viguit antiquitus consuetudo fundendi preces pro catechumenis, neque enim consuetudo illa universalis fuit, factum id est propterea quod existimabant catechumenos illos ex hac vita migrasse cum voto suscipiendi baptisma per quod habebantur justificati.

Ad 4. dico 1. Narratur quidem de nonnullis quod ad maturam aetatem baptisma distulerint, sed non proinde ea praecise de caussa a quoquam commendantur. 2. Quod si Martinus quoque, Ambrosius, nonnullique alii sanctitate celebres id fecerunt, putandum est nullum alium sibi proposuisse finem nisi ut bonis multis operibus ad tantum suscipiendum sacramentum disponerentur.

Ad 5. denique dico 1. argumentum nimis probare, probaret nempe parvulos etiam infidelium absque baptismate decedentes aeternam salutem consequi, ii enim non minus ac filii fidelium a quovis actuali peccato sunt immunes. 2. Licet infantuli innocentes sint ab actuali peccato, rei tamen sunt originalis quod cuique certe proprium est, unde si damnantur, propria culpa damnantur. Cur autem uni potius quam alteri datur ut ad baptisma perveniat, inscrutabilia sunt judicia Dei. 3. Cajetani, Gabrielis, Sfondrati aliorumque scholasticorum opinio posthabenda proculdubio est apertissimae sententiae Scripturarum, Patrum, et universalis Ecclesiae. Hinc nemo est inter catholicos qui opinationem illam nonnullorum scholasticorum tamquam temerariam non rejiciat.

Obj. 4. adv. 3. concl. I. ex dictis conclusione tertia apparet martyrium supplere vices baptismi quia martyr exercet actum caritatis et fortitudinis, sed infantes nequeunt vel caritatis vel fortitudinis actum exercere, ergo saltem in infantibus martyrium non supplet vices baptismi. II. nec valet exemplum desumptum ex infantibus ab Herode interfectis, in illis enim remissa erat noxa originalis per circumcisionem aut fidem parentum. III. sed neque in adultis est tantae efficaciae martyrium, ait enim Cyprianus in ep. ad Cornelium: *Nec quisquam dicat, qui martyrium tulit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab episcopo necessaria est habituro gloriae pacem, et accepturo majorem de Domini dignatione mercedem*. IV. illa Christi sententia, *nisi quis renatus fuerit etc.* nimis universalis est ut exceptionem pati possit per martyrium. V. martyrium neque ex *opere operantis* neque ex *opere operato* gratiam producit. Non ex opere operantis, quia comparate ad ministros est opus scelestissimum, comparate autem ad subjectum in infantibus nequit habe-

re rationem meriti, ut per se patet. Sed neque ex opere operato, alioquin martyrium octavum esset novae legis sacramentum, quod nemo dixerit.

Resp. ad 1. dist. maj. Actus caritatis et fortitudinis requiruntur ad verum martyrium in adultis, non autem in parvulis. Caritas et fortitudo sunt dispositiones quae requiruntur in martyre. Hae autem dispositiones comitari debent martyrium adultorum qui illarum sunt capaces, non infantium qui usum non habent rationis. Fides, caritas saltem initialis, et cordis conversio requiruntur juxta tridentinum concilium tamquam dispositiones in suscipientibus sacramentum baptismi: atque ejusmodi dispositiones necessariae sunt in adultis ut sacramentum suum producat effectum. An ne proinde dispositiones illae requiruntur etiam in parvulo? Idipsum dicendum de caritate et fortitudine comparate ad martyrium.

Ad 2. Ecclesia venerata est semper infantes ab Herode occisos non tamquam meros caelites seu beatos, sed tamquam veros martyres, ac proinde etc. Praeterea inverisimile est omnes et singulos illos infantes fuisse jam circumcisos, occidit enim Herodes omnes infantes a bimatu, et infra.

Ad 3. Qui properat ad martyrium munire proculdubio se debet sanctis Ecclesiae sacramentis si ei praesto sint, ut persecutoris tormenta sustinere facilius valeat. Hinc si catechumenus sit suscipiat baptismum, si jam christianus eucharistia reficiatur si fieri id possit. Atque hoc affirmare voluit Cyprianus laudata in argumento sententia.

Ad 4. Illa Christi sententia, *nisi quis renatus fuerit etc.* est utique generalis, sed ex aequo generalis est illa alia ejusdem Christi sententia, *omnis qui confitebitur me coram hominibus etc.* Hinc martyrium alter appellatur a Patribus baptismus, nimirum baptismus sanguinis. Quare S. P. Augustinus lib. 13. de civ. Dei cap. 7. merito inquit: *Qui dixit: Nisi quis renatus fuerit etc. alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit etc.*

Ad 5. dico baptismum juxta communem theologorum sententiam producere gratiam non *ex opere operantis*, sed *ex opere operato*. Nec proinde adnumerandum est inter sacramenta novae legis, non enim confertur in nomine Christi, nec constat materia et forma ut proprium sacramentum.

Obj. 5. cont. 4. concl. S. Ambrosius in lib. de mysteriis cap. 4. diserte affirmat neminem consequi posse salutem absque baptismo: *Nisi baptizatus fuerit in nomine etc. remissionem non potest accipere delictorum, nec spiritualis gratiae munus haurire*. Similia tradit lib. 2. de Abraham, et serm. 3. in psal. 118. S. P. Augustinus tract. 13. in Joan. *Quantumcumque enim*, ait, *catechumenus proficiat*, *adhuc sarcinam suae iniquitatis portat: non illi dimittitur*, *nisi cum venerit ad baptismum*. Antiquitus ergo non censebatur sufficiens ad salutem aeternam consequendam baptismus flaminis, distinctus a baptismate aquae. Hinc Ecclesia per quinque priora secula non solebat ut plurimum vel preces fundere vel

sacrificia offerre pro catechumenis qui sine baptismo aquae ex hac vita migrabant, ut patet ex Leone Magno ep. 82. et ex Gelasio 1. in conc. rom.

Resp. Ambrosium in lib. de mysteriis loqui de illis qui vel negligunt quum possint recipere baptismum, vel illum omnino contemnunt; qui proculdubio nisi baptismum recipiant aut illum ardenter desiderent salvi esse non possunt. Idem est hujus S. doctoris scopus in psal. 118. In lib. autem 2. de Abraham urget necessitatem baptismi aquae infantibus qui votum habere nequeunt sumendi sacramentum. Eadem est S. P. Augustini mens in tract. 13. in Joan. insectatur nempe nonnullos catechumenos qui superbe confidentes in continentia et coelibatu baptismum aspernabantur dicentes: *Quid mihi opus est baptismum accipere, ut hoc habeam quod est iste, quo jam melior sum?* Quod Ecclesiae consuetudinem spectat, etsi Ecclesia romana et hispanica per quinque priora secula non consueverint preces fundere et sacrificia offerre pro defunctis catechumenis, id faciebant nihilominus aliae ecclesiae ut mediolanensis, arelatensis, africana. Imo ipsae ecclesiae romana et hispanica post annum 553. nimirum post celebratum concilium 5. oecumenicum aliarum ecclesiarum morem sunt amplexatae. Ratio autem cur initio id facere renuerint erat, quoniam complures catechumeni ut diutius vitiis et improbis moribus indulgerent, ad provectam aetatem baptismi sacramentum differebant.

CAPUT XIV.

De caeremoniis baptismi.

Sanctitatem utilitatemque caeremoniarum seu sacrorum rituum in sacramentorum administratione a dicteriis calumniisque haereticorum satis vindicavimus capite postremo libri superioris. Nunc aliqua addenda sunt de peculiaribus caeremoniis a sacris ministris in solemni baptismo adhiberi solitis, quum lutherani et calvinistae nunquam desinant catholicos dicteriis proscindere, eosque accusare magicae artis ac superstitionis quasi eamdem tribuant sacramentis ac sacramentalibus efficaciam. Sed dum haec in nos aspere effutiunt, contradicendi libidinem, non veritatis amorem satis ostendunt. Nam ille idem Calvinus qui benedictionem aquae incantationem appellat non diffitetur et benedictionem et exorcismos et exsufflationes aliosque ritus jam ab antiquissimis temporibus habuisse in Ecclesia originem. Et Jacobus Vedrosius calvinistae sectae minister adjungit sacros hosce ritus usurpatos fuisse antiquitus recte et provide. Eadem habent Bucerus quoque et Bullingerus. Lutherus autem in suo catechismo omnes sacros ritus solemnis baptismi et praesertim exorcismos retinere non dubitavit; quod praestiterunt etiam wittembergenses et saxones. Ex quibus apparet protestantes caeco quodam impetu duci, cum nobis superstitionem exprobrant quod sacris quibusdam ritibus utamur in solemni administratione baptismi.

Multae sunt itaque caeremoniae solemnis baptismi quae nunc hodie-

que in usu sunt penes catholicos, nempe *susceptores* sive *patrini*, *impositio nominis*, *abrenunciatio satanae*, *exorcismi*, *exsufflationes*, *signum crucis*, *impositio manus*, *sal*, *oleum catechumenorum*, *saliva*, *unctio chrismatis*, *linteolum album*, *candela accensa*. Sed quoniam haeretici derident praecipue abrenunciationem satanae, exorcismos, exsufflationes, et salivam, de his paullo fusius pertractabimus postquam contracta oratione nonnihil dixerimus de reliquis sacris ritibus.

I. itaque disserendum est de susceptoribus parvulorum quoniam eligi solent antequam catechumeni ad sacrum fontem accedant. Hi appellari quoque solent *sponsores*, *compatres*, *et patrini*, propterea quod illorum partes sunt pueros quos e sacro fonte levant, suscepti baptismatis fideique in illo professae sedulo admonere, ac primis catholicae fidei rudimentis et christianis moribus informare; praesertim si iidem pueri inter infideles vel haereticos versentur, aut etiam si priventur propriis parentibus. *Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos*, *satis possunt ab hac cura excusari patrini*, *praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur*, inquit S. Thomas 3. p. q. 67. art. 8. Consuetudinem eligendi patrinos ab Apostolis descendere patet tum ex auctore libri de eccl. hierar. ubi cap. 7. illam acceptam refert *divinis nostris ducibus*, ut ab ipso appellantur, nempe Apostolis, tum etiam ex quo antiquissima illa sit ubique receptissima, nec primus illius inveniatur post Apostolos auctor. Meminerunt hujusmodi susceptorum etiam Tertullianus lib. de bapt. cap. 18. auctor qq. ad orthodoxos inter opera Justini q. 56. et S. P. Augustinus multis in locis ac praesertim lib. 1. de peccat. merit. cap. 19. sub nomine gestantium. Tridentinum concilium sess. 14. cap. 2. definivit, *ut unus tantum*, *sive vir*, *sive mulier*, *juxta sacrorum canonum instituta*, *vel ad summum unus*, *et una baptizatum de baptismo suscipiant*. Ratio autem hujus definitionis est ne matrimonii impedimenta multiplicentur, patrini enim contrahunt cum baptizato spiritualem affinitatem.

II. solet praeterea imponi nomen baptizato consuetudine ab hebraeis derivata qui in circumcisione nomina parvulis imponebant, et quidem rationabiliter, quoniam nomine unus ab alio distinguitur. In nominis autem impositione tenenda est regula tradita a canone inter arabicos 30. quo prohibetur, *ne fideles imponant filiis suis nomina gentilium*, *sed potius omnis natio christianorum suis nominibus utatur*, nimirum apostolorum, martyrum, aliorumque sanctorum novi praesertim Testamenti, valent enim illa ad tutelam et ad excitamenta virtutum; unde inquit Chrysostomus hom. 2. in Gen. *Nomina tribuamus sanctorum virorum qui virtutibus fulserunt*, *plurimaque apud Deum gratia valuerunt*.

III. diabolus mysterium crucis refugit quam maxime et horret. Hinc minister baptismi ut parvulum a doemonis liberet potestate, pluries illum crucis signo communit. Est et alia causa cur signo crucis parvulus muniatur, ne videlicet Christi nomen et evangelium erubescat, unde in fronte potissimum tamquam in sede pudoris signum illud imprimitur. Meminerunt sacri hujus ritus Patres omnes, sed Basilius praesertim in lib.

de Spiritu sancto cap. 27. et S. P. Augustinus in lib. de catech. rud. cap. 20.

IV. alia caeremonia est manus impositio de qua haec habet S. P. Augustinus lib. 2 de peccat. merit. et remis. cap. 26. *Nam et catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi et orationem manus impositionis puto sanctificari*. Ubi phrasis illa notanda est, *secundum quemdam modum*, non enim signum crucis aut manus impositio gratiam producit ut sacramentum ex opere operato.

V. subsequitur deinde ritus salis qui in os baptizandorum ingeritur, ut nos esse sal terrae, idest Dei sapientiam, noscamus, inquit Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. cap. 18. Hujus sacrae caeremoniae memoria est antiquissima, synodus namque carthaginensis celebrata anno 397. can. 5. inquit: *Placuit, ut etiam per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal*. Etiam Ambrosius lib. 10. in Lucam, S. P. Augustinus lib. 1. confes. cap. 11. Isidorus lib. 2. de offic. cap. 20. Ivo carnotensis in serm. de sacr. neophyt. Amalarius Fortunatus, Walafridus, Strabo, et Ordo romanus hunc sacrum ritum commemorant. Non adhibent eam caeremoniam in baptismate graeci. Sed notum jam est sacros ritus pro locorum et temporum circumstantiis posse mutari.

VI. ut baptizandus sciat se quasi athletam Christi luctam hujus seculi ingressurum, oleo catechumenorum in pectore et inter scapulas liniri solet a sacerdote antequam aqua baptismatis abluatur. Commemorant hanc caeremoniam Isidorus, Magnus senonensis, auctor constitutionum apostolicarum, Cyrillus hierosol. catech. mystag. 11. Chrysostomus hom. 6. in ep. ad Colos. Ambrosius lib. 1. de sacram. et Augustinus qui tract. 44. in Joan. inquit: *Inunctus est, nondum totus*.

VII. est et alia unctio quae a sacerdote fit catechumeno ab illa quam mox descripsimus diversa, illa enim ante, haec autem fit post baptismum, illa oleo catechumenorum, haec sacro chrismate perficitur. Solebant olim soli episcopi administrare baptismum, quo absoluto sacramentum conferebant confirmationis per sacrum chrisma. Sed cum multiplicatis fidelibus munus conferendi baptismum etiam presbyteris fuerit demandatum qui tamen confirmationem administrare non possunt, ut integri servarentur antiqui ritus invaluit consuetudo ut sacerdos collato baptismate sacro chrismate liniat verticem baptizati, et haec caeremonia longe distat a sacramento confirmationis. Hinc Innocentius I. in ep. ad Decentium cap. 3. *Presbyteri seu extra episcopum, sive praesente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis cum tradunt Spiritum paraclitum*. Omnes ferme Patres hujus sacri ritus mentionem faciunt. Ivo autem carnotensis hanc reddit ejusmodi unctionis caussam, *Ut caritas quae per Spiritum sanctum datur, semper abundet in corde, secundum verbum illud Eccl.* cap. 9. *Oleum de capite tuo non deficiet*.

VIII. solebant antiquitus neophyti post acceptum baptisma incedere vestimentis albis vel ad innocentiam vel ad animi candorem commonstrandum. Obsolevit jam haec consuetudo, et loco vestis albae imponitur baptizato linteolum candidum. Atque hoc sensu inquit Ambrosius lib. de myster. cap. 7. *Accepisti post haec vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucrum peccatorum.* Loquentur de hoc sacro ritu innumeri veteres scriptores ecclesiastici.

IX. *ad ultimum datur cereus ardens in manu baptizati, quatenus implere doceatur illud evangelii, sic luceat lux vestra coram hominibus etc.* Scribit Ivo carnotensis serm. de sacram. neophyt. Commemorat candelam accensam etiam Fortunatus carm. 5. et alii quos vide apud Vicecomitem. lib. 5. His ad hunc modum breviter delibatis tempus nunc est ut a protestantium dicteriis et calumniis polemico more vindicemus reliquos solemnis baptismi sacros ritus; unde sit

CONCLUSIO

Abrenunciatio satanae, exorcismi, exsufflationes, et saliva, prout a sacerdote adhibentur in solemnis baptismi administratione immerito damnantur ab heterodoxis.

Prob. prima concl. pars. Immerito prorsus rejicerent protestantes sacrum ritum de abrenunciatione satanae si ritus idem in usu fuisset apud christianos vel a primis Ecclesiae seculis, quod enim ab initio viguit in Ecclesia illud vel a Christo vel ab Apostolis fuit institutum; atqui abrenunciatio satanae in solemni baptismo viguit in Ecclesia a primis temporibus. Et sane Tertullianus lib. de corona milit. cap. 3. *Aquam*, inquit, *adituri, ibidem, sed aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompae, et angelis ejus.* Cyprianus in ep. 4. ad Rogatian. scribit: *Saeculo renuntiaveramus cum baptizati sumus.* Ephrem syrus tractatum ex professo edidit de abrenunciatione quae fit in susceptione baptismi, deque illa loquitur tamquam de re in Ecclesia antiquissima. Basilius in lib. de Spiritu S. cap. 27 ait: *Reliqua item quae fiunt in baptismo, veluti renuntiare diabolo, ex qua Scriptura habemus?* Vult enim hanc aliasque caeremonias ab arcana traditione derivare. Cyrillus hierosol. catech. 1. mystag. demonstrat, nos in baptismo renuntiasse omnibus peccatis, ex quo renuntiaverimus satanae. Ambrosius lib. 11. de myster. *Ingressus es*, ait, *regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis. Renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriae ejus ac voluptatibus.* Chrysostomus hom. 21. ad populum antioch. docet quod *haec vox abrenuntio, confederatio cum Domino est. Nihil hac voce tutius, si ipsam per opera exhibeamus.* Hieronymus ep. 97. ad Demetriadem inquit: *Nunc autem, quia seculum reliquisti, et secundo post baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, renuncio tibi, diabole, et seculo tuo, et pompae tuae,*

et operibus tuis : serva foedus quod pepigisti. S. P. Augustinus meminit hujus sacri ritus in ep. ad Sixtum, in ep. ad Vitalem, enarr. in psal. 80. Et in lib 1. de peccat. merit. et remis. cap. 34. abrenunciationem satanae assumit tamquam medium ad demonstrandum in parvulis originale peccatum, atque concludit: *Quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo, cujus in eo nihil esset?* Et in lib. de pec. orig. cap. 40. addit: *Exorcizatur in eis, et exufflatur potestas contraria; cui etiam verbis eorum a quibus portantur, sese renuntiare respondent.* Innumera alia vetustissima monumenta silentio praetereo quum haec satis superque demonstrent sacram hanc caeremoniam ab Apostolis fuisse institutam, atque adeo nonnisi per summum nefas illam rejici et execrari ab heterodoxis.

Prob. eodem modo secunda simul ac tertia pars concl. De exorcismo et exsufflatione in solemnis baptismi administratione adhiberi solitis tamquam de antiqua in Ecclesia caeremonia loquitur Cyprianus in ep. 76. et Cyrillus hierosol. catech. 1. mystag. et Ambrosius lib. 1. de sacram. Optatus autem milevitanus ex hac caeremonia demonstrat originalis peccati existentiam in lib. 4. n. 6. dicens: *Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi et separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, et in loca deserta fugatur.* Hoc eodem argumento utitur etiam S. P. Augustinus pro originali peccato demonstrando adversus pelagianos, unde in 1. cont. Julian. cap. 4. inquit: *Si verum est quod audivimus te infantulum baptizatum, etiam tu quamvis a tuis propriis peccatis innocens: tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate traxisti, et in iniquitate conceptus es, profecto exorcizatus et exsufflatus es, ut a potestate erutus tenebrarum transferreris in regnum Christi.* Eadem repetit in lib. op. imp. 1. in ep. ad Sixtum, et lib. de pec. orig. cap. 40. Consonat his S. Coelestinus Rom. Pont. in ep. ad episc. Gall. cap. 12. in haec verba: *Illud quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, cum sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.* Allatis hactenus antiquitatis testibus accedunt ritualia omnia vetera et recentiora sive graeca sive latina quae formam praescribunt exorcismorum et exsufflationum.

Prob. quarta concl. pars. Etiam salivae mentionem faciunt tamquam sacri ritus solemnis baptismi veteres latini Patres, nam caeremonia isthaec non adhibetur in ecclesia graeca. Ambrosius ergo in lib. de myster. cap. 1. inquit: *Aperite igitur aures, et bonum odorem vitae aeternae inhalatum vobis munere sacramentorum carpite: quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium diceremus epheta, quod est adaperire: ut venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur cognosceret, quid responderet meminisse deberet. Hoc mysterium cele-*

bravit Christus, in evangelio sicut legimus, cum mutum curaret et surdum. Repetit idem in lib. 1. de sacram. cap. 1. S. P. Augustinus tract. 44. in Joan. et ipse miraculum a Christo patratum quando saliva sua caecum a nativitate illuminavit, typum esse affirmat nostrae hujus caeremoniae de inunctione salivae. Loquitur de hoc sacro ritu etiam Rabanus Maurus ex quo sumptum est caput *postea*, dist. 4. *de consecratione*. Atque pauca haec de sacramento baptismi disseruisse sufficiat. Qui plura desiderat adeat Bellarminum, Juvenin, Brouneum, Bertium, Tournelyum, Estium, Sylvium, aliosque praeclaros tractatores, institutum enim nostrum est facem tyronibus praebere ut primis veluti principiis imbuti reliqua scitu digna ac necessaria ex uberioribus fontibus valeant haurire. Objectamenta nonnulla quae ab heterodoxis contra hactenus statuta afferri solent soluta vide postremo cap. libri superioris, sunt enim ut plurimum calumniae atque dicteria adversus catholicos. Nos interim illis spretis gressum facimus ad pertractandum de altero novae legis sacramento nempe *de confirmatione*.

Finis libri XXXV.





INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXXVI.

IN QUO DISSERITUR DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Vetus Ecclesiae consuetudo semper fuit ut post baptismum conferatur fideli sacramentum confirmationis ad robur illi invictumque animum in profitenda fide praestandum: unde recta methodus postulat ut postquam de sacramento baptismi pertractavimus, nunc gressum faciamus ad breviter disserendum de sacramento confirmationis.

CAPUT I.

De definitione ac variis nominibus confirmationis, tum de iis qui circa hoc sacramentum errarunt, ac denique an ex Scripturis probari possit confirmationem esse sacramentum novae legis.



Theologi confirmationem definire solent his aut consimilibus verbis: *Sacramentum novae legis, quo baptizatis confertur Spiritus sanctus ad fidem constanter tenendam, eamque firmiter propugnandam.* Dicitur *sacramentum novae legis* ad exprimendum genus, quum per hoc cum reliquis sacramentis a Christo Domino institutis conveniat. Additur, *quo baptizatis confertur etc.* ut detur intelligi, conferri non posse sacramentum istud nisi iis qui renati jam baptismate fuerint. Reliqua autem quae in definitione sequuntur significant hujus sacramenti ab aliis differentiam, variosque ejusdem sacramenti effectus.

Apud antiquos recentioresque scriptores ecclesiasticos multis variisque nominibus insignitum invenitur hoc sacramentum. Multi intuentes hujus sacramenti materiam illud appellarunt, *manuum impositionem, sacramentum chrismatis, chrisma sanctum, chrisma supercoeleste, et salutis, chrisma spiritualis unguenti, oleum Christi, oleum divinum etc.* Alii respicientes ad illius sacramenti characterem appellant confirmationem, *sigillum, signaculum dominicum, signaculum spirituale, signaculum vitae aeternae*. Ratione denique effectuum dicitur *perfectio, consummatio, sacramentum plenitudinis gratiae, ac denique confirmatio*. Hoc postremum nomen antiquius est, et nunc magis tritum penes catholicos ad significandum secundum novae legis sacramentum. Ex iis autem quae in subsequentibus trademus apparebit quam bene ex

traditione constet recensita hactenus nomina sacramento confirmationis convenire.

Qui huic sacramento apertum bellum intentarunt proculdubio fuerunt lutherani et calvinistae. Lutherus enim habet quidem confirmationem pro ritu quodam ecclesiastico, sed miratur quomodo in catholicorum mentem venerit habere caeremoniam illam, manuum videlicet impositionem, pro sacramento. Fidus autem Lutheri discipulus Philippus Melancthon confundit veterum confirmationem cum catechesi, atque eadem est Kemnicii opinatio. Calvinus in an. conc. trid. sess. 7. appellat confirmationem non solum otiosam caeremoniam, sed ritum exitialem a daemonibus adinventum. Ibidem et in lib. 4. instit. cap. 19. innumera congerit adversus catholicos putida mendacia et calumnias. Marcus Antonius de Dominis lib. 5. de repub. eccl. cap. 5. cum suis antesignanis confirmationem e censu sacramentorum expungit, additque non esse illam apud veteres a sacramento baptismi distinctam. Hoc idem arbitratur Joannes Dallaeus calvinistarum doctissimus in libro ex professo ad hoc exarato. Hic ut a Calvini sectatoribus odiosum novatorum nomen removeat magnam impendit operam ad demonstrandum et novatianos et waldenses et albigenses et wicleffitas et hussitas confirmationem pro sacramento minime agnovisse. In quo Dallaeus nonnullos habet consentientes catholicos scriptores, nempe quoad waldenses Aeneam Sylvium in lib. de orig. bohemorum, Guilelmum Beyer, Bellarminum, Estium agentes de hoc sacramento: quoad wicleffitas praeter Bellarminum et Estium etiam Basilium Poncium. Suaresius arbitratus est ruthenos quoque hoc sacramentum negavisse.

Verum si bene res perpendatur, longe probabilior est illorum opinio qui recensitos haereticos ab eo errore vindicant. Et quantum ad novatianos spectat, ait quidem Theodoretus lib. 3. heret. fabul. *Novatiani, iis qui ab ipsis tinguntur, sacrum chrisma non praebent: quocirca eos etiam qui ex hac haeresi corpori Ecclesiae conjunguntur, benedicti Patres ungi jusserunt*. Sed quum nec Pacianus nec Philastrius vel Epiphanius aut Augustinus, quorum primus ex professo novatianos impugnavit, alii vero accuratissime de haeresibus scripserunt, hunc errorem iisdem novatianis attribuant, non alio sensu Theodoreti verba intelligi possunt nisi quod novatiani magistrum suum imitantes, qui post Baptismum *confirmationem, et reliqua quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent* neglexit, confirmationem non negarunt quidem, sed non curarunt, atque hac de caussa Theodoretus inquit, ex hac haeresi ad Ecclesiam redeuntes benedicti Patres ungi jusserunt. Quoad waldenses, testes sunt Petrus cisterciensis in sua hist. albigensium, et Alanus lib. 2. conquestos illos fuisse de nonnullis in orat. ad Uladislaum Hungariae regem, a quibus per calumniam accusati fuerant, quod circa numerum sacramentorum erraverint; adduntque fidei confessionem in qua profitentur septem esse in Christi Ecclesia sacramenta. Nec obstat Reyneri auctoritas qui lib. 3. de sacram. confirm. cap. 17. affirmare videtur re-

probasse waldenses sacramentum confirmationis, nam mirabantur illi haeretici ejusmodi sacramentum a solis episcopis in Ecclesia conferri, atque hoc dumtaxat in waldensibus improbat Reynerus. De hoc argumento fuse pertractat Witassii continuator. Etiam wiclefitas nonnisi circa ministrum confirmationis errasse arbitramur, nam synodus constantiensis quae sess. 8. omnes horum haereticorum recenset errores, non circa substantiam, sed circa ministrum confirmationis illos reprehendit. Rutheni, testibus Ponçio ac Beyero, caruerunt aliquandiu confirmatione, quoniam oleum infirmorum, non balsamum in illa adhibebant, unde consequitur non denegasse illos hujus sacramenti existentiam. De hussitis non loquor, hi enim in omnibus Wiclefi errores sectati sunt. Quare nec illi nec isti circa hoc sacramentum errarunt nisi relate ad ministrum. Utut autem sit, si Joannes Dallaeus mavult enumeratos omnes haereticos confirmationis sacramentum inficiatos fuisse, per me quidem liceat. Videat interim ipse in quibus antesignanis glorietur, nempe in hominibus bis et tertio ab Ecclesia catholica damnatis et profligatis. His hoc modo delibatis sit.

CONCLUSIO

Ex sacris litteris aperte demonstratur confirmationem esse sacramentum novae legis.

Prob. 1. ex cap. 8. Act. Ap. v. 14. 15. et sequentibus ubi haec occurrunt: *Cum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem: qui cum venissent oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super eos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Et cap. 19. v. 5. et 6. legitur: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.* Quibus positis sic argumentum conficitur. Ad rationem veri sacramenti requiruntur tria, divina nempe institutio, signum sensibile, et gratiae sanctificantis productio. Haec tria concurrunt in confirmatione ut ex allatis sententiis apparet. Et primo quidem habetur divina institutio, quum confirmationem contulerint Apostoli fidelibus: nihil autem faciebant Apostoli quod a Christo non accepissent, juxta illud Tertulliani de praescr. cap. 21. *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit.* 2. Habetur etiam signum sensibile. Apostoli namque in confirmandis fidelibus orabant, et manum imponebant. 3. Habetur denique gratia sanctificans, quoniam fideles per manuum impositionem accipiebant Spiritum sanctum. Hinc confirmatio est verum novae legis sacramentum.

Prob. 2. ex ep. ad Hebr. cap. 6. v. 1. et 2. ubi ita scribit Apostolus: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad per-*

fectiora feramur, *non rursum jacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis*, *et fidei ad Deum*, *baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum*. Per manuum impositionem venire hic sacramentum confirmationis aperte testantur Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Alexander, Sedulius, Eulogius, Theophilactus, Ambrosiaster, Anselmus, aliique Patres quorum testimonia capite sequenti recitabimus. Quare audiendi non sunt recentiores haeretici id praefracte negantes.

Prob. 3. ex ejusdem Pauli ep. ad Eph. cap. 1. v. 13. et 11. ad Cor. cap. 1. v. 21. Priori enim loco haec leguntur: *In quo, et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*. In altero vero inquit: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus. Qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Laudatis in locis loquitur Apostolus disertissime de signo aliquo quod imprimit in anima characterem, ut fuse probavimus lib. 35. cap. 7. Ast signum quod imprimit in anima characterem proculdubio est sacramentum. Non loquitur Apostolus de aliis sacramentis imprimentibus characterem, ut ex contextu apparet, loquitur ergo de confirmatione, eamque sacramentum esse significat.

Calvini et Dallaei cavillationes dissolvuntur.

Obj. 1. Ad veram sacramenti rationem requiritur I. collatio gratiae sanctificantis, sed manuum impositio adhibita ab Apostolis non conferebat gratiam sanctificantem, nam Spiritus sanctus, de quo laudata in fundamentis testimonia, loquuntur de Spiritus sancti descensu non ad sanctificandas animas, sed ad elargienda fidelibus dona gratis data. II. necessaria quoque est ad constitutionem sacramenti formae praescriptio. Ast nulla in citatis testimoniis forma designatur. III. si confirmatio catholicorum verum esset sacramentum, Christus alicubi in sanctis paginis debuisset illam promittere ac praecipere ut legitur factum circa alia sacramenta. At ubinam in toto novo Testamento praecipitur vel promittitur a Christo confirmatio? IV. nec reponere juvat in Scripturis attribui confirmationi nonnullos supernaturales effectus, nam ejusmodi effectus adscribi potius debent sacramento baptismi. V. denique sicuti flatus quo discipulos suos Christus afflavit non est sacramentum quamvis fuerit sensibile signum conferens Spiritum sanctum, ita manuum impositio adhibita ab Apostolis ad elargiendum Spiritum sanctum dici non potest sacramentum. Ita argumentantur Calvinus et Kemnicius.

Resp. ad 1. Duplex erat manuum impositionis effectus tempore Apostolorum, unus temporalis ac sensibilis, ut cum Augustino nostro loquar lib. 3. de bapt. cap. 16. consistens in donis gratis datis, miraculorum videlicet, linguarum etc. datis ad commendationem rudis fidei ac Ecclesiae primordia dilatanda, alter permanens et invisibilis consistens in gratia sanctificante. Effectus ille prior jam desiit postquam Ecclesia sufficienter dilatata est. Alter vero adhuc perseverat. Nec mirum, ille enim

secundarius, hic autem primarius sacramenti effectus erat. Manuum autem impositionem factam per Apostolos contulisse etiam sanctificantem gratiam patet ex Act. Ap. cap. 11. v. 15. ubi sic inquit Petrus: *Cum autem caepissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio*. Eamdem ergo per manuum impositionem conferebant Apostoli gratiam quam ipsi in initio receperunt. Ipsi autem ab initio praeter dona gratis data acceperunt quoque gratiam sanctificantem per quam confirmati in fide ac corroborati fuerunt juxta praecedentem Christi promissionem, neque enim per sola dona gratis data poterant in fide confirmari, quum haec communia esse possint etiam hominibus improbis.

Ad 2. In Scripturis non expresse quidem, sed implicite utique designatur forma confirmationis, constat namque ex recitatis superius testimoniis Apostolos quum manus imponerent, per orationem invocasse Spiritum sanctum. Sed de hoc agemus ubi de forma confirmationis.

Ad 3. neg. min. Mandatum enim et promissio hujus sacramenti continetur non obscure Joan. cap. 14. Lucae ultimo, et Act. 1. Deinde quum aperte constet eo ritu usos fuisse Apostolos ad conferendum Spiritum sanctum, nefas est suspicari eam adhibuisse sacram caeremoniam absque promissione et mandato Christi Domini.

Ad 4. Si ex quo confirmatio olim statim post baptismum conferebatur inferendum est confirmationis effectum tribuendum esse baptismo, sequeretur etiam effectum eucharistiae eidem baptismo esse adscribendum, ac proinde nec eucharistiam esse sacramentum, quoniam antiquitus eucharistia quoque conferebatur statim post susceptum baptismum. Itaque confirmationem in prioribus Ecclesiae seculis collatam fuisse post baptismum res est quae ad disciplinam spectat, atque adeo quae mutationi obnoxia est. Imo nec in illis seculis semper confirmatio baptismati conjungebatur, seorsim quippe tribuebatur clinicis, navigaturis, atque illis qui a presbyteris vel diaconis acceperant baptismum. Ex quo ergo catechumeni passim confirmarentur statim post baptismum, non sunt temere confundendi confirmationis effectus cum effectibus baptismatis.

Ad 5. Illud modo tamquam certum supponendum est, sacramentum scilicet ritum esse constantem atque perpetuum. Ex hoc autem principio sua sponte fluit discrimen inter flatum a Christo usurpatum, et confirmationem. Flatus ille nec ab Apostolis nec ab eorum successoribus umquam observatus est, unde intelligimus non esse sacramentum. E contra et Apostoli et successores eorum adhibuerunt ad conferendam gratiam manuum impositionem, ex quo colligimus hanc esse vere et proprie sacramentum.

Obj. 2. Spiritus sanctus quem conferebant Apostoli per manuum impositionem consistebat revera in donis gratis datis, non in gratia sanctificante. Quod probant I. ex quo in Act. Ap. legitur samaritanos quibus Petrus et Joannes manus imposuerunt accepisse jam gratiam sanctificantem in baptismo sibi a Philippo collato, Spiritus ergo sanctus quem acceperunt per manuum impositionem consistebat in donis gratui-

tis. II. ideo Petrus et Joannes Samariam perrexerunt ad impertiendum Spiritum sanctum quia Philippus, juxta multos Patres, id praestare non poterat. Ast Philippus elargiri quidem non poterat dona gratuita, gratiam vero sanctificantem utique poterat. III. hinc S. Joannes Chiysostomus hom. 18. in Act. Ap. inquit: *Quomodo Spiritum sanctum illi samaritani a Philippo baptizati non acceperunt?* Respondet autem: *Spiritum acceperunt remissionis, spiritum autem signorum nondum receperunt.* IV. ubi nos legimus in Act. Ap. cap. 8. v. 16. *Nondum enim* (Spiritus) *in quemquam illorum venerat*, in graeco exemplari occurrit vox ἐπιπεπτωκὸς, quae significat *irruens*, *supercadens*, et quidem cum impetu ac violentia ut in prophetis eveniebat. Sed Spiritus sanctus communicans se hominibus per gratiam sanctificantem non irruit, non supercadit. V. per manuum impositionem illum conferebant Apostoli spiritum quem Simon magus pecuniis comparare sibi volebat. At spiritus quem concupierat Simon erat Spiritus sanctus non per modum gratiae sanctificantis, sed per modum gratuitorum donorum, cupiebat enim, ut observant sancti Patres, virtutem miraculorum, donum linguarum.

Resp. neg. ant. atque ad 1. Samaritani acceperant a Philippo gratiam sanctificantem propriam sacramenti baptismatis, non gratiam sanctificantem propriam confirmationis. Gratia baptismi proprie consistit in remissione peccatorum, gratia autem confirmationis in robore ac fortitudine ad profitendam fidem. Illam, non hanc acceperant samaritani a Philippo baptizati. Unius autem gratiae sanctificantis species aliam non excludit; alioquin qui per poenitentiam jam sanctificatus accederet ad eucharistiam, nullam ab hac perciperet sanctificantem gratiam, quod absurdum est.

Ad 2. Philippus impertiri poterat gratiam sanctificantem quae est effectus baptismi, non gratiam sanctificantem quae est effectus confirmationis, nam minister confirmationis est episcopus, ut in subsequentibus demonstrabimus. Philippus autem erat simplex diaconus, et ideo necesse fuit ut Petrus et Joannes Samariam pergerent ad elargiendum Spiritum sanctum per manuum impositionem.

Ad 3. S. Joannes Chrysostomus negat quidem Philippum dedisse Spiritum signorum, non inficiatur tamen contulisse Spiritum sanctificantem. Imo post allata in argumento verba, talia tradit quae demonstrant Apostolos una cum donis gratuitis dedisse quoque gratiam sanctificantem, ait enim: *Philippus unus ex septem discipulis erat, secundus a Stephano, ideo et baptizans, Spiritum sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat, hoc enim donum solorum Apostolorum erat .... Nam virtutem quidem septem illi discipuli acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare. Unde et praecipuos, et non alios videmus hoc facere.* Quibus in verbis affirmat, caussam cur Philippus non dederit Spiritum sanctum per manuum impositionem esse, quoniam ille discipulus erat, non apostolus, sicuti modo a *praecipuis*, hoc est ab episcopis, non a simplicibus presbyteris Spiritus sanctus confertur per manuum impositionem. Ast tem-

pore Chrysostomi per manuum impositionem conferebatur Spiritus sanctificans, non spiritus signorum, cessaverant enim in Ecclesia dona illa gratuita. Si autem quaeras cur Chrysostomus commemoraverit spiritum signorum, non autem Spiritum sanctificantem? responderi potest, primo quoniam nemo tunc ignorabat per confirmationem conferri gratiam sanctificantem, secundo quoniam sub nomine spiritus signorum intelligebat quoque gratiam sanctificantem quam confirmati accipiebant una cum donis gratuitis, tertio quoniam ex spiritu signorum facile intelligitur Spiritus sanctificans, non vicissim.

Ad 4. respondeo I. quod descensus Spiritus sancti cum impetu ac violentia non excludit gratiam sanctificantem, nam Act. cap. 2. legitur: *Factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis*, nempe ut interpretatur Calvinus, *quasi violento flatu irruente*, et nihilominus simul cum donis gratuitis acceperunt Apostoli augmentum gratiae sanctificantis, singula videlicet interiora Spiritus sancti charismata, et spiritum praesertim caritatis, animique fortitudinem ad omnia propter amorem Dei nominisque ejus gloriam toleranda. Vide Augustinum tract. 66. et 99. in Joan. et enarr. 30. concl. 2. et enarr. 131. in psalm. II. Graecum verbum ἐπιπίπτω significat *supercado*, *irruo*, *illabor*. Ast verbum *illabor* denotat etiam suavem descensum, ut patet ex Tullio lib. 1. de *finibus*. III. In iisdem Act. Ap. cap. 10. ubi nos legimus, *Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus*, graece habetur, ἐπέπεσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Hoc autem in loco verbum ἐπέπεσε significat etiam suavem descensum, nam ibidem v. 45. inquit auctor, *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles ... quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est*. Gratiam autem effundi nonne idem est ac interius animas sanctificare, juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*?

Ad 5. Miror Joannem Dallaeum ad definiendum an Apostoli per manuum impositionem conferrent tantum dona gratuita, an vero etiam gratiam sanctificantem, recursum habere ad judicium Simonis magi perditissimi viri. Inanem ergo cavillationem solvo verbis magni Augustini qui enarr. in psal. 30. conc. 2. ita scribit: *Admiratus est ille, et obstupefactus tanto divino miraculo, quod ad impositionem humanarum manuum venit Spiritus sanctus, et implevit homines: et desideravit istam, non gratiam, sed potentiam, non unde liberaretur, sed unde extolleretur*. Et in psal. 130. *Plus illum delectavit potentia Apostolorum, quam justitia christianorum. At ubi vidit per manus impositionem Apostolorum, et per orationes eorum Deum dare fidelibus Spiritum sanctum, et quia tunc per miraculum demonstrabatur adventus Spiritus sancti, ut linguis loquerentur etc. (nec ideo modo non datur Spiritus sanctus, quia linguis non loquuntur qui credunt. Ideo enim tunc oportebat ut linguis loquerentur, ut significarent omnes linguas Christo credituras. Ubi impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est.) Cum ergo hoc videret Simon magus, voluit talia facere, non talia esse*. Duo

in allato S. Patris habes testimonio. Primum, Apostolos per manuum impositionem contulisse non solum dona gratuita, sed etiam gratiam sanctificantem. Alterum, Simonem corde menteque corruptum non gratiam sanctificantem, sed virtutem faciendi visibilia signa desiderasse.

CAPUT II.

An ex Patrum nostrorum traditione demonstrari possit confirmationem esse novae legis sacramentum.

Joannes Dallaeus victus a perspicuitate testimoniorum sanctorum Patrum affirmantium confirmationem verum esse sacramentum, hoc sibi finxit systema, unctionem nempe et impositionem manuum inventas in Ecclesia fuisse post annum Christi 160. Nec tamquam sacramenti alicujus materiam, sed veluti ritum ac caeremoniam sacramentum baptismi comitantem usurpari caepisse. Hoc modo nempe abuti silentio nonnullorum, aliorum vero luculentissima testimonia in pravum sensum detorquere posse arbitratur. Adversus ergo pessimum hunc disputatorem cum omnibus catholicis sit

CONCLUSIO

Ex Patrum nostrorum traditione constanti invicte demonstratur confirmationem verum esse novae legis sacramentum.

Ut Joannis Dallaei aliorumque heterodoxorum quos in hac causa adversarios experimur, systema penitus convellatur, singula Ecclesiae christianae secula percurrenda sunt, et si quodlibet Ecclesiae seculum suos promet scriptores qui confirmationis non subobscure commemorationem fecerint, jam contradicentes caussa cadere necessum erit. Ad rem itaque. I. Clemens romanus qui anno a Christo nato centesimo obiit, in epistola prima ad Corinthios quae genuina, licet non integra ab omnibus ferme eruditis existimatur (nam epistola secunda apocripha habetur nomine veterum Patrum vel ab ipso Hieronymo) Clemens, inquam, in ea epistola non longe ab initio enumerans gratiarum dona quibus Corinthii ante inceptam illam dissensionem cumulati fuerant, videtur affirmare accepisse illos etiam gratiam confirmationis, ait enim: *Sic pax alta, et praeclara omnibus dabatur, insatiabile benefaciendi desiderium, et plena Spiritus sancti super omnes effusio erat*. Jam vero effusio Spiritus sancti proprius erat confirmationis effectus.

II. Justinus martyr auctor secundi seculi, martyrio enim coronatus est an. 163. lineamenta aliqua confirmationis in apologia 2. pro christianis ad Antoninum Pium expressisse videtur his verbis: *Nos autem secundum hujuscemodi lavationem, credentem jam, et nobis adscitum, ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces, et supplicationes cum pro seipsis tum pro illuminatis, et*

aliis ubique gentium omnibus attento animo peragendas , ut digni idoneique simus qui veritate agnita , per opera etiam ipsa boni atque officiosi rerum administratores etc. hic enim describuntur communes preces pro seipsis, pro neophyto, et pro christianis ubique degentibus. Preces autem illae quae pro neophyto fiebant indicant forte sacramentum confirmationis , juxta illud Act. cap. 8. v. 15. *Oraverunt pro ipsis , ut acciperent Spiritum sanctum .*

III. eodem seculo secundo sub finem obiit Theophilus episcopus antiochenus cujus adhuc extant libri tres ad Autolycum , in quorum primo circa finem respondens Autolyco deridenti nomen *christiani* quod unctum significat, ita scribit: *Quod tibi ludibrium debeo , dum me christianum nuncupas , non magni facio , imo respondeo te nescire quid dicas . Nam unctionis hoc nomen inprimis bonum et suave est , nec risum meretur , quae etenim navis bona , et usui esse potest , nisi prius ungatur ? quae turris etc. et tu recusas macerari Dei oleo ? Certe nulla alia ex re christianorum nomen traximus quam quod divino oleo perfundimur .* Tempore itaque Theophili christiani ungebantur, cumque is aperte non dicat an christiani ungerentur in baptismate vel in confirmatione , forte de utraque loquitur unctione .

IV. Irenaeus ad lugdunensem cathedram evectus an. 180. lib. 4. adv. valentinianos cap. 74. et 75. ad scopum suum trahens illa Apostoli verba quae habentur in ep. 1. ad Cor. cap. 3. v. 2. *Lac vobis potum dedi , non escam , nondum enim poteratis* , non ambigue disserit de confirmatione . Nam ita exponit laudata verba , ut lac velit esse verbum quod Paulus corinthiis praedicaverat , escam autem Spiritum sanctum quem ipsis adhuc non contulerat per manuum impositionem , sic enim ait : *Nondum poteratis escam percipere , idest eum quidem adventum Domini , quem secundum hominem didicistis , nondum autem Patris Spiritus requiescit super vos , propter vestram infirmitatem . Ubi enim sunt zelus et discordia , ait , in vobis , et dissensiones, nonne carnales estis , et secundum hominem ambulatis ? Hoc est, quoniam nondum Spiritus Patris erat cum ipsis, propter imperfectionem eorum , et infirmitatem conversationis . Quemadmodum igitur Apostolus quidem poterat dare escam (quibuscumque enim imponebant Apostoli manum, accipiebant Spiritum sanctum qui est esca vitae) illi autem non poterant percipere illud etc.* Sane corinthii Spiritum sanctum per baptisma jam acceperant , et tamen carebant Spiritu sancto qui conferri solebat ab Apostolis per manuum impositionem . Itaque gratia baptismi per Irenaeum differt a gratia impositionis manuum .

V. seculo secundo labente , et incipiente tertio floruit Tertullianus qui locupletissimus testis est sacramenti confirmationis . Nam lib. 1. cont. Marcion. cap. 14. haereticum refellens quod aquam, oleum, panem damnaret tamquam mali principii effectus , ita scribit : *Sed ille* (Christus) *quidem nunc neque aquam reprobavit creatoris qua suos abluit , nec oleum quo suos unguit , nec mellis et lactis societatem qua suos in-*

fantat, *nec panem quo ipsum corpus suum repraesentat*, *etiam in sacramentis propriis egens mendicitatibus creatoris*. *At tu super magistrum discipulus etc.* Quibus in verbis tria commemorat Tertullianus a Christo Domino instituta sacramenta, ablutionem aquae, nempe baptismum, unctionem olei, scilicet confirmationem, et panem corpus suum repraesentans, videlicet eucharistiam. De iisdem tribus sacramentis saepe loquitur Tertullianus, et praesertim lib. de resurr. adv. eumdem Marcion. cap. 8. et de praescr. cap. 36. In priori laudato loco haec habet praeclarissima verba: *Caro abluitur ut anima emaculetur*, *caro ungitur ut anima consecretur*, *caro signatur ut et anima muniatur*, *caro manus impositione adumbratur*, *ut et anima spiritu illuminetur*, *caro corpore et sanguine Christi vescitur*, *ut et anima de Deo saginetur*. In altero autem ita scribit: *Fideles aqua signat*, *sancto Spiritu vestit*, *eucharistia pascit*. Jam vero sicut per illam phrasim, *caro abluitur*, et, *fideles aqua signat*, intelligitur baptismus, ac per illam aliam, *caro corpore et sanguine Christi pascitur*, et *eucharistia pascit*, intelligitur eucharistia, ita per illa verba, *caro ungitur*, *caro signatur*, *caro manus impositione adumbratur*, et, *sancto Spiritu induitur*, significatur confirmatio secundum diversos respectus. Ac denique in lib. de bapt. adv. Quintillam cap. 4. ita loquitur ad rem nostram: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans*, *et invitans Spiritum sanctum*. Et post pauca, *Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit*. Habemus hic totum id quod ad perfectum requiritur sacramentum. Manuum impositio est materia, oratio et benedictio est forma, descensus Spiritus sancti est effectus.

VI. eadem aetate qua Tertullianus Carthagine, Alexandriae florebat Clemens celebris illius Ecclesiae presbyter. Hic in fragmento apud Eusebium caesariensem hist. lib. 3. cap. 20. narrans historiam illius juvenis quem S. Joannes evangelista ad fidem conversum cuidam episcopo tradiderat, haec inter cetera scribit: *Senior vero sibi traditum adolescentem in domum suam suscipiens enutrivit*, *complexus est*, *fovit*, *postremo illuminavit* (hoc est baptizavit), *post haec remisit nimiam illam curam et custodiam*, *quippe qui perfectam ipsi custodiam superposuisset*, *seu addidisset*, *nempe signaculum Domini*, σφραγῖδα τοῦ κυρίου. Signaculum autem seu sigillum Domini impressum neophyto nihil aliud esse quam sacramentum confirmationis nemo diffitetur. Scio graeca Clementis verba ab Eusebio relata diversimode a Rufino aquilejensi, Baronio, Musculo, aliisque interpretari. Sed parum id refert, quum versio a nobis allata admittatur a Dallaeo quem patimur adversarium.

VII. Cornelius summus Pontifex renuntiatus an. 254. apud Eusebium hist. lib. 6. de Novato loquens qui Ecclesiam vexabat, inquit baptismum ab ipso proxime morituro susceptum non produxisse in illo sanctificantem gratiam, deinde subdit: *Sed neque postquam liberatus est a morbo reliqua percepit quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent*, *neque ab episcopo consignatus est*. *Hoc autem signaculo minime*

percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere? Ast signaculum, juxta ecclesiasticam regulam traditum quod confert Spiritum sanctum, proculdubio est sacramentum de quo disputamus.

VIII. anno 250. carthaginensis episcopus creatus est S. Cyprianus cujus insignes extant sententiae pro confirmatione, nam in ep. synodica ad episcopos numidas data, ita disserit: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* In ep. ad Jubajan. postquam dixerat samaritanos non fuisse rebaptizandos quoniam a Philippo per Apostolos illuc missos baptisma susceperant, addit: *Sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Joanne factum est ut oratione pro eis habita et manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus, quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.* Haec interpretatione nostra non indigent.

IX. Firmilianus Caesaraee in Cappadocia antistes in ep. ad Cyprianum scripta contra Stephanum R. P. tria distincta agnoscit inter alia sacramenta, baptismum videlicet, confirmationem et ordinationem, haec enim habet: *Omnis potestas a gratia in Ecclesia constituta est, ubi praesident majores natu, qui et baptizandi, et manus imponendi, et ordinandi possident potestatem.*

X. auctor anonymus Cypriano aequalis vel suppar in libro quem contra eumdem Cyprianum de baptismo scripsit, ita ad rem nostram fatur: *Per manus impositionem episcopi datur unicuique credenti Spiritus sanctus, sicut Apostoli circa samaritanos post Philippi baptisma manus eis imponendo fecerunt, et hac ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt, quod ut fieri posset, ipsi pro eis oraverunt.*

XI. eodem seculo desinente, vel incipiente sequenti celebratum fuisse volunt concilium illiberitanum. In canone autem 38. hujus concilii haec statuta leguntur: *Peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate, ita ut si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Quid est autem perfectio quae per manus impositionem ab episcopo recipitur nisi confirmationis sacramentum?

XII. concilium arelatense in causa donatistarum celebratum an. 314. can. 6. ita statuit: *De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi*, nempe qui in infirmitate convertuntur ad Dominum praeter baptismum debent accipere quoque confirmationem. Canone autem 8. ejusdem concilii haec occurrunt: *De afris quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis ab hac haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur ut accipiat Spiritum sanctum, quod si interrogatus non responderit hanc trinitatem, baptizetur.*

XIII. eodem seculo quarto habitum quoque fuit concilium laodicenum, quo praecise anno non conveniunt eruditi. Canone autem 7. haec ad institutum nostrum habet: *Oportet eos qui apud illos* (novatianos et quartodecimanos) *fideles dicebantur, fidei symbola discentes, et sancto chrismate inunctos, sic sancto mysterio communicare*, novatianos nimirum et quartodecimanos ab Ecclesia receptos esse, confirmandos antequam ad eucharistiam admittantur. Et can. 48. *Oportet eos qui illuminantur post baptisma, inungi supercoelesti chrismate, et esse regni Christi participes.*

XIV. canon 8. concilii nicaeni coacti adversus arianos an. 325. praecipit ut novatiani postquam suos reliquerint errores per manus impositionem admittantur, et sic maneant in clero, *Ut impositis manibus, sic in clero maneant*. Quae manus impositio nequit significare ordinationem, ut aliqui contendunt, quoniam posteriore canonis parte praescribitur ut novatiani ad Ecclesiam reversi in eodem ordine maneant in quo antea reperiebantur, nec ullibi legitur ad Ecclesiam redeuntes fuisse iterum ordinatos.

XV. Theodosio magno imperante celebratum fuit costantinopolitanum I. concilium adversus macedonianos, in quo lex sancita est de recipiendis haereticis ad Ecclesiam redeuntibus, etsi quidem in haeresi baptizati fuerint in nomine Trinitatis ad ecclesiam accedere debent, *Dantes libellos, et omnem haeresim anathematizantes quae non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia, et signatos sive unctos primum sancto chrismate et frontem, et oculos, et nares, et aures: et eos signantes dicimus signaculum doni Spiritus sancti*. Enumeratas corporis partes in confirmatione tradenda adhuc ungere solent graeci.

XVI. eodem imperante Theodosio floruit S. Pacianus barcinonensis episcopus qui in ep. ad Sympronianum novatianum negantem episcopis potestatem ligandi atque solvendi sic argumentatur: *An tantum ligare ac solvere solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare ... Si ergo lavacri, et chrismatis potestas, majorum longe chrismatum, ad episcopos inde descendit, et ligandi jus adfuit atque solvendi.*

XVII. eadem aetate floruit quoque Cyrillus episcopus jerosolimitanus. Hic auctor est celeberrimarum catecheseon, ut omnes norunt. Animadvertendum est autem sanctum hunc doctorem primam ac secundam catechesim inscripsisse de baptismo, tertiam de confirmatione, quartam et quintam de eucharistia, qua de re sicuti vera sunt sacramenta baptismus et eucharistia, ita verum quoque sacramentum erit confirmatio. Multa quidem habet ea in catechesi ad rem nostram conficiendam, nos autem pauca, ne brevitatis excedamus limites, delibabimus. *Christus quidem*, inquit, *cum in flumine Jordanis ablutus flagrantia divinitatis suae effluvia aquis communicasset, ascendit ex illis, et Spiritus sanctus substantialiter super eum descendit, requiescens super sui similem, et vobis postquam similiter ex aquis lavacri ascendistis, datum est chri-*

sma quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus : hoc autem est Spiritus sanctus . Et rursus : *Sicut Christus postquam crucifixus et sepultus est , resurrexit , ita et nos per baptismum in similitudinem quamdam crucifixi et sepulti resurgimus in unctione ; quod uncti eo unguento , facti sumus participes et consortes Christi .*

XVIII. Basilius magnus qui an. 378. ad superos evolavit ex apostolica traditione repetit sacramentum confirmationis dicens in lib. de Spiritu S. cap. 27. *Consecramus aquam baptismatis , et oleum unctionis . Ex quibus scriptis ? Nonne a tacita secretaque traditione ? Ipsam porro olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit ?*

XIX. Basilii amicissimus Gregorius nazianzenus vita functus an. 389. orat. 40. in sanctum lavacrum , sic inquit : *At si tu vel per baptismum teipsum obfirmaveris , ac praeclarissimo et firmissimo auxilio tibi in futurum caveris , animum scilicet et corpus unctione et spiritu consignans ... quid tibi accidet ? et quod tibi praesidium comparatum erit ? Audi Salomonis paroemias : Si sederis, ait, intrepidus eris , si dormieris , suavis erit somnus tuus .*

XX. claudat agmen Patrum seculi quarti S. Ambrosius qui in lib. de initiandis hoc habet praeclarum testimonium cap. 8. *Repete , quia accepisti signaculum spiritale , spiritum sapientiae et intellectus etc. et serva quod accepisti . Signavit te Deus Pater , confirmavit te Christus Dominus , et dedit pignus Spiritus in corde tuo .*

XXI. primus seculi 5. Pater nominandus occurrit S. Hieronymus qui an. 420. obiit . Is in celebri dialogo adversus luciferianos ita virum luciferianum loquentem introducit : *An nescis , etiam ecclesiarum hunc esse morem , ut baptizatis postea manus imponantur , et ita invocetur Spiritus sanctus ? Exigis ubi scriptum sit ? In actibus Apostolorum* , affertque deinde constantem Ecclesiae traditionem . Ad hoc ita respondet orthodoxus : *Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem , ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt , episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat etc.*

XXII. ejusdem seculi V. scriptor Innocentius I. R. P. in ep. ad Decent. episc. eugubinum inquit : *De consignandis vero infantibus manifestum est non ab alio quam ab episcopo fieri licere ... Haec autem solis pontificibus deberi , ut vel consignent vel paracletum Spiritum tradant , non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat , verum et illa lectio actuum Apostolorum etc. Nam presbyteris seu extra episcopum seu praesente episcopo baptizent , chrismate baptizatos ungere licet , sed quod ab episcopo fuerit consecratum , non tamen frontem ex eodem oleo signare , quod solis debetur episcopis cum tradunt Spiritum paracletum .* En apertissime duas unctiones fieri solitas chrismate ab episcopis consecrato , unam a presbyteris etiam praesente episcopo in conferendo baptismate , alteram a solo episcopo in confirmatione tradenda .

XXIII. Si omnia quae S. P. Augustinus habet in catholicae senten-

tiae confirmationem excribere vellem, nec justae molis volumen sufficeret, quare paucis contenti erimus. Itaque tract. 6. in 1. ep. Joan. postquam dixerat Apostolos per manus impositionem contulisse Spiritum sanctum sensibilibus signis, subdit: *Numquid modo quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manus istis infantibus, attendit unusquisque vestrum utrum linguis loquerentur?... Si ergo per haec miracula, modo testimonium praesentiae Spiritus sancti non fit, unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo ... Ergo si vis nosse quia accepisti Spiritum sanctum, interroga cor tuum, ne forte sacramentum habeas, et virtutem sacramenti non habeas*. Et lib. 3. de bapt. cap. 16. *Quis nunc hoc expectet, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur, per vinculum pacis eorum cordibus divina caritas inspirari ... Cum ... sit aliud sacramentum quod habere etiam Simon magus potuit, aliud operatio Spiritus etc.* Lib. autem 11. cont. litt. Petiliani cap. 105. explicans illa psalmi verba, *tamquam unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*, ita disserit: *In hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est sicut ipse baptismus, sed potest esse et in hominibus pessimis ... Discerne ergo visibile sanctum sacramentum quod esse in bonis et in malis potest ... ab invisibili unctione caritatis quae propria bonorum est*. Serm. de cataclysmo cap. 1. *Baptizatus es*, inquit, *signatus es regio charactere, coepisti consequi annonam de mensa regis tui*. In psal. 44. *Oleum visibile in signo est, oleum invisibile in sacramento est. Oleum spiritale intus est, oleum visibile exterius est*. Hujus generis et clariora etiam innumera reperies apud Augustinum.

XXIV. ad quintum seculum pertinet quoque S. Paulinus nolanus, utpote qui mortuus est an. 431. Is autem in ep. ad Delphinum burdigalensem episcopum ita scribit: *Quaeris, piissime pater, quid facias adhuc quod non feceris nobis? Cum et plantaveris nos in domo Domini, et plantati materiam signaculi salutaris, qua ab incursu silvestris apri et depastatione ferocis onagri muniremur, adstruxeris, et torcular foederis etc.*

XXV. Cyrillus alexandrinus comm. in Joel ad illa verba, *replebuntur areae tritico?* sic inquit: *Data est nobis ceu pluvia, aqua vivens sacri baptismatis, et tamquam in frumento panis vivus, et tamquam in vino sanguis. Accessit usus olei qui per sacrum baptisma in Christo justificatis confert ad consummationem*. Reliquos quinti seculi Patres brevitati studens consulto praetereo.

XXVI. seculo VI. florebat Primasius episcopus africanus, nam an. 553. interfuit quinto generali concilio. Hic autem in expos. ep. II. ad Cor. cap. 1. ad illa verba, *Et qui unxit nos Deus*, ita scribit: *Unxit nos Deus Spiritu sancto vel chrismate*. Et in cap. 6. ep. ad Hebr. ex-

plicans illa verba Apostoli, *Impositionis quoque manuum etc.* inquit: *Impositionem manuum appellat Paulus per quam plenissime creditur accipi donum Spiritus sancti, quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia a Pontificibus fieri solet.*

XXVII. ab anno Christi 590. usque ad an. 604. pontificatum tenuit S. Gregorius Magnus qui in cap. 1. Cant. ad illa verba, *Botrus cypri etc.* ait: *Balsamum cum oleo, pontificali benedictione, chrisma efficitur quo dona sancti Spiritus exprimuntur*, hom. 17. in evang. versus finem subdit: *Per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, et per impositionem nostrarum manuum a Deo Spiritum sanctum accipiunt.*

XXVIII. Eulogius episcopus alexandrinus electus an. 581. apud Photium in bibliotheca cod. 289. ita habet: *Oportet accedentes ad Christum primum peccatis renunciare etc. Secundo redemptionem priorum peccatorum per baptismum accipere etc. Deinde progressione facta dignos reddi adventu Spiritus sancti, qui per impositionem manuum Apostolorum fiebat, docerique etc.*

XXIX. initio seculi septimi nempe an. 619. celebratum fuit concilium hispalense in quo statuitur, presbyteris *non licere per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex haeresi paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare ... quia pontificatus apicem non habent.*

XXX. concilium toletanum 4. habitum an. 633. cap. 57. inquit: *Qui jampridem ad christianitatem venire coacti sunt* (loquitur de judaeis per vim baptizatis) *quia jam constat eos esse sacramentis divinis associatos, et baptismi gratiam percepisse, et chrismate unctos esse, et corporis Domini et sanguinis participes extitisse, oportet etc.*

XXXI. duobus allatis conciliis praefuit Isidorus junior qui lib. 2. de offic. eccles. cap. 26. sic scribit: *Post baptismum per episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione: hoc in actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos.*

XXXII. praeclarissimus octavi seculi scriptor fuit venerabilis Beda cujus multa habemus ad catholicam confirmandam sententiam testimonia, sed nonnulla tantum exscribemus. Comm. in cap. 22. Lucae inquit: *Pulchre sui corporis et sanguinis mysteriis imbutos in montem olivarum discipulos inducit, ut omnes in morte sua baptizatos altissimo sancti Spiritus chrismate confirmatos esse designet.* Et comm. in cap. 2. ep. 1. Joan. *Unctio spiritalis*, inquit, *ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili.* Denique in cap. 1. Cant. ait: *In vineis Engaddi balsamum gignitur, quod in chrismatis confectione liquori olivae admisceri, ac pontificali benedictione consecrare, quatenus fideles omnes cum impositione manus sacerdotalis, qua Spiritus sanctus accipitur, hac unctione signentur.*

XXXIII. Gregorius II. a Bonifacio consultus utrum confirmatio possit iterari, hoc breve dedit responsum quod extat in cap. 4. ep. ad Bo-

nif. *De homine qui a Pontifice confirmatus fuerit*, *denuo illi talis reiteratio prohibenda est*.

XXXIV. Gregorius III. ad eumdem Bonifacium scribens inquit: *Oportet eos per manus impositionem*, *et sacri chrismatis unctionem confirmari*. Mitto Zachariam, Stephanum III. Alcuinum, Theodulphum, aliosque seculi octavi scriptores.

XXXV. anno 813. coactum fuit concilium cabilonense II. in quo haec occurrunt: *Dictum nobis est*, *quod quidam de plebe bis et ter ab episcopis*, *ignorantibus eisdem episcopis confirmentur*. *Unde nobis visum est eamdem confirmationem sicut nec baptismum iterari minime debere*.

XXXVI. Paschasius Robertus an. 818. librum composuit de corpore et sanguine Domini, in quo cap. 3. *Sunt autem*, inquit, *sacramenta Christi in Ecclesia*, *baptisma*, *et chrisma*, *corpus quoque Domini etc.*

XXXVII. eodem seculo nono anno nempe 824. librum scripsit de institutione clericorum Jonas aurelianensis. In cap. 7. hujus libri: *Perceptio*, inquit, *Spiritus sancti per manus impositionem ab episcopis tribuitur*.

XXXVIII. concilium wormatiense can. 8. ait: *Non licet presbyteris per impositionem manus paracletum Spiritum tradere*, *nec chrismate baptizatorum frontem signare*, *quia pontificatus apicem non habent*.

XXXIX. ex paucissimis scriptoribus qui seculo 10. extiterunt unicum afferemus Oecumenium qui comm. in Acta Ap. cap. 10. inquit: *Philippus unus ex septem*, *cum diaconus esset*, *potestatem non habebat ut ad manuum suarum impositionem daret Spiritum sanctum ... hoc enim Apostolis servatum erat*. Non pauci cujuscumque seculi scriptores alii proculdubio extant qui hoc catholicum dogma tradunt, quorum sententias consulto omisimus ne in immensum volumen excrescat. Interim ex constanti decem seculorum traditione apertissime patet confirmationem verum esse novae legis sacramentum.

CAPUT III.

Argumenta haereticorum afferuntur et enodantur.

Obj. 1. Patres priorum seculorum ut Clemens romanus, Justinus, Athenagoras, Theophilus, Tatianus, Irenaeus quorum multa extant monumenta ne verbum quidem habent de confirmatione, quum tamen meminerint vel omnes vel plerique baptismi et eucharistiae. Ergo sacramentum confirmationis novum Ecclesiae romanae inventum est. II. quod si veterum scripta accurate rimentur, eruemus ex illis sacram hanc unctionis caeremoniam ab haereticis potius inventam fuisse, Irenaeus enim in gnosticis et valentinianis lib. 1. cap. 18. reprehendit, quod *eum qui initiatus est*, *opobalsamo inungunt ... idque redemptionem esse volunt*: *atque ipsi quoque balsamum adhibent*. III. in propriae causae patrocinium advocare quidem solent catholici Tertullianum quod unctionem commemo-

ret, sed frustra, tum quia Tertullianus olei tantum, non balsami meminit, tum etiam quia facit ille suam unctionem ex mosaica, non ex Christi disciplina descendere, tum demum quoniam unctio mosaica ad sacerdotes, non ad pugiles et athletas formandos, ut illa catholicorum, tradebatur. IV. et ne catholici Tertulliani auctoritate amplius se muniant, animadvertant oportet. 1. Manuum impositionem tertullianicam consequi statim unctionem, quum apud catholicos vel nulla detur manuum impositio, vel detur ante unctionem. 2. Apud catholicos ad solos episcopos pertinet ungere et manus imponere. Ast, juxta Tertullianum, unctio et manuum impositio administrari potest ex episcopi facultate etiam a presbyteris et diaconis quemadmodum baptismus, ut legenti lib. de bapt. cap. 17. et 18. liquido constat. 3. Tertullianus cap. 18. laudati libri monet, *Baptismum non temere credendum esse sciant, quorum officium est: omni petenti te dato, suum habet titulum, proindeque ad eleemosynam pertinentem. Imo illud potius perspiciendum, nolite dare sanctum canibus, et porcis projicere margaritas vestras, et manus ne facile imposueris.* Ex quibus duo eruuntur, nempe manus impositionem, de qua Tertullianus, esse caeremoniam baptismi de quo tantum laudato in loco loquitur, et hanc administrari posse de licentia episcopi etiam a presbyteris et diaconis. V. per Tertullianum manus impositio et unctio faciunt descendere Spiritum sanctum per orationem advocatum, atqui hoc idem facit baptisma, itaque unctio et manus impositio sunt caeremoniae ad baptismum pertinentes. Quod confirmatur ex eo quod Spiritus sanctus qui per unctionem et impositionem manuum descendit, appelletur a Tertulliano Spiritus simplicitatis et innocentiae qui character Spiritui sancto competit descendenti per sacramentum baptismi, quum Spiritus sanctus descendens per confirmationem appelletur a catholicis bellator seu praeliator.

Resp. ad 1. I. allatum argumentum, si consisteret, esse mere negativum quod nullam vim habere potest contra catholicorum sententiam, tum quia attulimus jam positiva argumenta ex aliis deprompta Patribus, tum quia caussas profecto afferre possumus cur laudati in argumento Patres de confirmatione siluerint si tamen siluerunt. Caussae autem hae sunt. Prima, nonnisi una Clementis romani extat epistola, eaque pluribus in locis mutila. Scimus autem multa scripsisse Clementem. De Justino quoque, Athenagora, Theophilo, Tatiano, Irenaeo narrant Eusebius et Hieronymus plurima edidisse opera, quum paucissima modo supersint. Fieri autem potest ut in scriptis quae perierunt de sacramento confirmationis fuse disseruerint. Altera, Justinus martyr, Athenagoras, et Tatianus apologias adornarunt pro christiana religione, Theophilus autem libros tres contra christiani nominis calumniatores, nam reliqua opera ab hisce Patribus edita perierunt. In laudatis autem scriptis omnem impenderant conatum in repellendis hostium calumniis, non in explicandis fidei mysteriis. Imo ne id facerent vetabat jam recepta arcani disciplina. Tertia, non solum laudati Patres silentio praetereunt quae pertinent ad confirmationem, sed omittunt etiam innumera quae ad alios spectant articulos fidei

qui ab adversariis nostris admittuntur. Igitur etsi verum esset Patres primi et secundi seculi nullam fecisse confirmationis mentionem, ex illorum silentio tamen nullum desumi posset contra catholicam sententiam praejudicium.

Resp. II. Dallaeum et Marcum Antonium de Dominis nimis fidenter urgere silentium veterum Patrum, nam Clementis, Justini, et Tatiani jam protulimus nonnulla si non omnino certa, probabilia saltem testimonia, paullo clariora Theophili, et luculentissima Irenaei pro nostra sententia.

Ad 2. Irenaeus non ideo gnosticos et valentinianos redarguit quod christianam adhiberent unctionem, sed quod illam turpiter corrumperent. Quod patet tum ex eo quod alibi numquam illos reprehendat quod initiatos ungerent, tum ex verbis quae laudato in argumento loco occurrunt ubi sic ait: *Oleo autem et aqua una permixtis, cum vocibus quibusdam iis quae ante a nobis commemoratae sunt haud dissimilibus in eorum, quos initiant, caput injiciunt.*

Ad 3. Quam merito Tertulliani auctoritatem hac in causa urgeamus patet ex illius testimoniis quae superiori capite recitavimus. Nec obstat quod balsami non meminerit, nam neque illud excludit. Imo affirmare non immerito possumus olei nomine chrisma intellexisse quemadmodum postea fecit Innocentius I. in ep. ad Decentium eugub. Praeterea quod unctio ex oleo quam Tertullianus commemorat necessaria sit, nemo dubitat. An vero necessarium sit etiam balsamum ad materiam confirmationis disputatur inter theologos. Multo minus obstat illud quod suam unctionem faciat Tertullianus ex unctione mosaica descendere, vult enim hoc novi Testamenti sacramentum praefiguratum fuisse quemadmodum et alia in ritibus antiquae legis. Unde sicuti ex quo Tertullianus affirmet aquam baptismi praefiguratam fuisse in aquis primordialibus, inferre non licet baptisma non esse novae legis sacramentum, ita arguendum est de confirmatione. Nec officit denique quod unctio mosaica sacerdotes faceret, nostra vero pugiles et athletas, neque enim in figuram et figuratum necesse est ut omnimoda intercedat convenientia, sed sufficit si intersit analogia quam certe hic habemus. Quod si totalem quaerat Dallaeus convenientiam, poterit illam in casu nostro invenire. Per baptisma enim fiunt *homines genus electum, regale sacerdotium*, ut Petrus inquit in 1. sua ep. cap. 2. v. 9. Hinc facti homines per baptisma lato quodam sensu sacerdotes, per confirmationem in regali illo sacerdotio perficiuntur.

Ad 4. Quamvis dissideant inter se theologi circa manuum impositionem, an scilicet sit nec ne materia essentialis confirmationis, omnes tamen concedunt antiquitus adhibitam fuisse in Ecclesia quemadmodum et nunc adhibetur. Sive autem manuum impositio antecedat sive subsequatur unctionem, ad essentiam sacramenti minime pertinet, norunt quippe omnes ea quae ad ritus et caeremonias spectant progressu temporis fuisse ab Ecclesia determinata. Quod e vestigio subdunt adversarii falsum omnino est, neque enim affirmat Tertullianus eamdem esse ministri baptismi et con-

firmationis rationem. Ait quidem jus ordinarium administrandi baptismum ad episcopum pertinere, atque ex hujus facultate etiam ad presbyteros et diaconos, et in casu necessitatis etiam ad laicos, sed nusquam asseruit id de ministro confirmationis. Ideo autem rem totam de ministro baptismi explicavit, nihil vero affirmavit, enunciavit de ministro confirmationis, quoniam scopus ejus, ut libri titulus fert, erat de baptismo, non de confirmatione disserere. Ut solvatur quod sequitur animadvertendum est, juxta veterem Ecclesiae disciplinam catechumenos propriae vitae rationem reddere debuisse antequam baptismate initiarentur, et si quidem minus probi inveniebantur, differebatur eis gratia baptismi. Benigniores autem nonnulli fideles id aegre ferentes optabant ut omnibus petentibus baptismus promiscue conferretur, citabantque illud evangelii, *Omni petenti te dato*. Solvit hanc objectionem Tertullianus dicens evangelicam illam sententiam pertinere ad eleemosynae largitionem, et alias potius evangelii sententias, *Nolite dare etc. Et manus ne facile imposueris etc.* esse attendendas. Hic est genuinus sensus allati in argumento testimonii, ex quo, si quid video, duo illa quae ab adversariis jactantur, minime consequuntur.

Ad 5. facilis est responsio si dicamus per baptismum descendere Spiritum sanctum regenerantem ac renovantem hominem, per confirmationem vero eumdem descendere ad perficiendum roborandumque christianum hominem in fide. Quod confirmationis loco subdit Dallaeus satis demonstrat non accuratam illum habere ideam christianae religionis. Simplicitas enim, innocentia, mansuetudo arma sunt ad debellandos fidei hostes aptissima, unde Christus discipulos suos misit sicut oves in medio luporum. Quare si Spiritus sanctus per baptismum descendens, juxta adversarios, est spiritus simplicitatis et innocentiae, erit spiritus athleta atque bellator, et econtra si per confirmationem descendit spiritus bellator et athleta, descendit spiritus simplicitatis et innocentiae quae sunt arma militiae spiritualis. Videat ergo Dallaeus ne in re tam seria verborum collusione jocetur.

Obj. 2. Veteres Patres manuum impositionem de qua nos loquimur considerarunt ut sacramenti baptismi caeremoniam. Ergo etc. Prob. ant. I. veteres Patres affirmant confirmationem esse juxta ecclesiasticam regulam vel consuetudinem vel juxta voluntatem majorum, v. g. inquit Cornelius rom. Pont. apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. de Novato: *Sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab episcopo consignatus est*. Porro caeremoniae sacramentorum sunt juxta ecclesiasticam regulam, non sacramenta ipsa, quae sunt juxta institutionem Christi. II. confirmatio dicitur a Patribus id quod deest illis qui privatim et absque solemnitatibus baptizati sunt. Cyprianus puta in ep. ad Jubajanum inquit, Petrum et Joannem dedisse samaritanis jam a Philippo diacono baptizatis quod ipsis deerat, unde existimavit confirmationem aliquod conjunctum cum baptismo, adeoque ritum et simplicem caeremoniam. III. juxta veteres homo baptizatus cui manus adhuc impositae non fuerint, habet quidem

lavacrum, sed imperfectum et non integrum. Legatur canon 38. illiberitanus capite superiori a nobis relatus. Ergo manus impositio confirmatoria pertinet ad integritatem et perfectionem baptismi, atque idcirco erat olim ritus et caeremonia baptismi.

Resp. neg. ant. Nam ex Patrum conciliorumque testimoniis antecedenti capite allatis satis abunde constat confirmationem nostram suam habere materiam suamque formam, et gratiam sanctificantem producere, quae verum novae legis sacramentum ab aliis distinctum constituunt. Ad 1. ergo dico Cornelium aperte distinguere inter caeremonias baptismum comitantes, et obsignationem episcopalem, ait enim: *Sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab episcopo consignatus est*. Deinde defectum gratiae sanctificantis in Novato adscribit Cornelius non omissioni rituum baptismi, sed omissioni episcopalis consignationis, nam sequitur: *Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere*? Ac denique expressio illa, *juxta ecclesiasticam regulam*, cadit supra caeremonias baptismi, non supra obsignationem episcopalem, ut nunc recitata verba legenti patet, quamvis nihil catholicae sententiae officeret etsi verba illa dicta essent de confirmatione, quoniam sacramentorum quidem institutio est a Christo, sed usus illorum pendet a regula ecclesiastica.

Ad 2. respondeo confirmationem a Patribus appellari quandoque perfectionem et complementum baptismi, non quod sit hujus sacramenti ritus et caeremonia, sed quoniam fideles perficit et roborat, quum baptismi munus sit homines facere in christiana religione infantes. Ceterum non inquit Cyprianus aliquid defuisse baptismo samaritanis a Philippo collato, minime, sed affirmat defuisse aliquid samaritanis baptizatis a Philippo. Aliud autem est, aliquid deesse sacramento, et aliud deesse aliquid subjecto sacramenti.

Ad. 3. canonem eliberitanum non uno eodemque modo exponunt eruditi. Ego quidem cl. Albaspinaei subjiciam interpretationem quae ceteris praeferenda videtur, allatique argumenti solvit difficultatem. *Per laicum igitur fidelem* (inquit laudatus episcopus in suis ad hunc canonem observationibus) *qui lavacrum suum integrum habeat, neque bigamus fuerit, intelligit fidelem qui post lavacrum non peccavit, neque poenitentiam ullam subierit, neque bigamus fuerit, quas quidem conditiones in uno laico qui baptizet, requirit ille canon, quod eo modo sit sacerdotis partes acturus; sacerdotes vero neque poenitentiam peragere, neque ea perfecta absolutaque ad id eligi, neque bigami esse poterant*.

Obj. 3. cum Calvino. I. confirmatio de qua veteres Patres, non erat nisi examen quo episcopi a pueris et adolescentibus sciscitabantur res ad fidem pertinentes juxta formam catechismi. II. vel confirmatio erat professio fidei et doctrinae catholicae facta in manu episcopi, teste Chrysostomo qui hom. 9. in cap. 6. ad Hebr. affirmat post baptismum se-

qui doctrinam fidei qua neophiti imbuebantur. III. et revera, subdit Calvinus, nullus est veterum Patrum qui confirmationem appellet sacramentum.

Resp. ad 1. Neque in sacris litteris neque in sanctis Patribus vel minimum occurrit verbum quo conjicere possimus manuum impositionem aut inunctionem chrismatis fuisse examen puerorum in infantia baptizatorum. Imo illius examinis de quo loquitur Calvinus nullum occurrit vestigium in tota antiquitate. Accedit his quod priscis temporibus infantibus qui rationis adhuc compotes non erant, adeoque nec capaces catechismi, statim post baptisma conferebatur confirmatio. Haec ergo esse non poterat examen adolescentum.

Ad 2. Professio fidei in adultis praecedebat baptismum, non manuum impositionem, ut in comperto est apud omnes. Pueris autem statim post baptismum conferebatur confirmatio, unde in illis nec habebat nec habere poterat locum fidei professio. Chrysostomus vero loco in argumento laudato loquitur de doctrina non fidei, sed morum. Neophyti nempe antequam manuum acciperent impositionem, *docebantur quid agere debent, et quid non agere*.

Ad 3. In hoc refutando argumento non opus est tempus inutiliter terere. Nam ex multorum Patrum testimoniis antecedenti capite allatis luculentissime constat omnes fere Ecclesiae Patres agnovisse in confirmatione materiam, formam, et effectum, quae tria essentiam constituunt sacramenti.

Obj. 4. cum Kemnitio. I. doctrina haec de confirmatione quod sit sacramentum, primitus descendit e schola Montani, quum Tertullianus qui illam admisit fuerit montanista. II. Patres commemorant manuum impositionem quae in Ecclesia romana non est amplius in usu. III. veteres baptismo, non confirmationi adscribunt collationem Spiritus sancti, perfectionem in fide, robur ad pugnam etc. quos effectus catholici tribuunt confirmationi.

Resp. ad 1. neg. suppositum. Supponit nempe argumentum primum confirmationis seu sacramenti assertorem inter catholicos fuisse Tertullianum, quum ante illum de confirmatione tamquam de novae legis sacramento loquuti fuerint apertissime Irenaeus et Theophilus antiochenus, subobscure autem alii veteres scriptores ecclesiastici. Relege allegata superiori capite testimonia. Deinde Tertullianus disserit de sacramento confirmationis in libro de baptismo quem proculdubio contra montanistas edidit antequam horum amplecteretur errores. Ac denique jam dictum est montanistas errasse non quod confirmationem admitterent, sed quoniam sacramentum illud turpiter deformabant.

Ad 2. Duplex est circa materiam confirmationis, ut videbimus infra, theologorum sententia. Alii reponunt illam in manuum impositione, alii vero in unctione chrismatis. Qui manuum impositionem dicunt materiam confirmationis, negant illam desiisse in Ecclesia romana. Qui autem alteram tenent opinionem, affirmant ex auctoritate Ecclesiae a Christo re-

cepta successisse impositioni manuum chrismatis unctionem. De qua re inferius.

Ad 3. Utrumque sacramentum baptismus videlicet et confirmatio confert Spiritum sanctum, perficit hominem in fide, dat robur ad pugnam etc. sed diversimode, ut explicabimus ubi agemus de confirmationis effectibus.

Obj. 5. cum Dallaeo. I. materia confirmationis, juxta catholicos romanos, non est simplex ut in ceteris sacramentis, sed composita ex oleo et balsamo, quod commune non est omnibus populis, eademque materia longa precum serie et salutatione consecranda est, quod non accidit in materia reliquorum sacramentorum. II. minister confirmationis apud catholicos romanos est solus episcopus, non simplex presbyter, ac multo minus laicus. III. ejusdem confirmationis forma nullimode in sacris litteris invenitur. IV. hinc non ab omnibus nationibus habetur confirmatio tamquam sacramentum. Testatur enim Guido carmelita armenos, chaldaeos, et christianos Mesopotamiae, Arabiae, Assyriae, Persidis, Aegypti, et apud indos commorantes nec nomen confirmationis agnoscere.

Resp. ad 1. Quoniam ubi igitur de sacramentis tota ratio facti pendet a voluntate institutoris, ideo nonnullorum sacramentorum materia simplex est, aliorum vero composita, quia Christus auctor sacramentorum ita illa instituit. Praeterea catholicorum sententia circa materiam sacramenti confirmationis non una est, ut capite sequenti videbimus. Quare in sententia illorum qui vel solam manuum impositionem vel solum oleum contendunt esse sufficientem hujus sacramenti materiam, Dallaei argumentum nullius ponderis est. Nec repugnat benedici et consecrari chrisma ut sit confirmationis materia, quum non repugnet benedici et consecrari aquam ut sit materia baptismi. Falsum denique est balsamum adeo rarum esse ut fidenter affirmat Dallaeus.

Ad 2. Etiam minister ordinis est solus episcopus. Quid proinde? Nec ordo sacramentum erit? Haec ergo et similia pendent a sola voluntate Christi sacramentorum institutoris qui solis episcopis commisit administrationem confirmationis, sicuti solis presbyteris facultatem fecit conficiendi eucharistiam.

Ad 3. In sacris litteris eodem fere modo invenitur forma confirmationis quo inveniuntur formae baptismi et eucharistiae. De confirmatione enim legitur Actor. cap. 8. *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum*. De baptismo Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris etc.* Et de eucharistia Matth. cap. 26. *Accipite, et comedite, hoc est corpus meum*. Quod si non leguntur in Scripturis haec verba, *signo te signo crucis etc.* neque legitur Christum praecepisse Apostolis ut in conferendo baptismate dicerent, *Ego te baptizo in nomine Patris etc.* aut in eucharistia conficienda haec verba pronunciarent, *Hoc est corpus meum*. Et nihilominus Dallaeus existimat baptismum et eucharistiam duo esse novae legis sacramenta. Quidni ergo admittat tamquam novae legis sacramentum etiam confirmationem? E-

tiamsi in sacris litteris formae baptismi et eucharistiae expresse non legantur, tamen quoniam ope Traditionis constat sic semper confecta fuisse duo illa sacramenta, non decrectant adversarii pro veris sacramentis illa duo habere. Atqui ex Traditione quoque constat sic semper collatam fuisse a Patribus nostris confirmationem, itaque haec etiam in album sacramentorum est referenda.

Ad 4. Omnes in argumento recensitae nationes habentur a protestantibus tamquam haereticae vel schismaticae. Etsi ergo concederemus carere illas modo confirmatione, nihil inde detrimenti sumeret sententia catholicorum. Verum Guido ille carmelita quem citat Dallaeus non multam mihi videtur mereri fidem. Et quantum ad armenos spectat, hi certe sacramentum confirmationis admittunt, ut patet ex ep. Gregorii VII. Rom. Pont. ad synnadensem archiepiscopum data an. 1080. ex unione armenorum cum romanis confirmata sub Eugenio III. Innocentio III. et sub Joanne XXII. ac denique ex responsione Uscani episcopi S. Sergii in magna Armenia cum moraretur Amstelodami an. 1667. Quoad reliquas recensitas christianas gentes, auctor perpetuitatis fidei tom. 3. lib. 8. cap. 19. fuse demonstrat adhaerere illas hac in parte Ecclesiae romanae. Vide continuatorem Witassii qui fusiori stylo recentiores refellit protestantes, et ex quo pauca isthaec quae ad nostrum institutum sufficere videntur, contracta oratione excerpsimus. Sed de existentia sacramenti confirmationis satis.

CAPUT IV.

De materia confirmationis.

Quid de confirmationis nostrae materia sentiant protestantes jam satis in superioribus indicatum est. Lutherani nempe, teste Kemnitio in exam. conc. trid. fidenter pronuntiant materiam confirmationis nullum habere in Scripturis fundamentum. In usu quidem fuisse antiquitus manuum impositionem, sed tamquam meram ecclesiasticam caeremoniam, divinitusque factum esse ut pontificii illam abrogaverint, in ejus locum substituentes chrismationem, ne ex historia contendere possent confirmationem esse novae legis sacramentum. Eadem habet lib. 4. instit. cap. 19. paragr. 6. 7. 8. Calvinus, additque chrismationem esse insignem baptismi contumeliam, oleum diaboli mendacio pollutum, pinguedinem foetore anhelitus inquinatam, et verborum murmure incantatam. Consimilia de chrismate tradunt Antonius de Dominis, et Joannes Dallaeus, quamvis paullo castigatius loquantur. Nec mirum, hi enim omnes ex albo sacramentorum expungunt confirmationem, ut in superioribus diximus.

Catholici omnes juncto foedere haereticorum blasphemias damnant et execrantur, nec mirum, agnoscunt enim confirmationem tamquam novae legis sacramentum, proindeque suam illi tribuunt materiam quemadmodum et reliquis sacramentis. Sed mirum dictu est in quot abierint sententias ubi sermo fit de statuenda hujus sacramenti materia. Omnes

quidem in hoc collimant ut velint consistere illam vel in manuum impositione, vel in unctione chrismatis, vel in utraque simul, sed quis referre valeat quantum inter se discrepent in re hac determinanda? Petrus Aureolus, Isaacus Habert, Sambovius, Sirmondus, Rigaltius, l' Hermenier aliique arbitrantur materiam confirmationis consistere in sola manuum impositione, non exclusa tamen unctione chrismatis quam volunt esse partem integrantem, non essentialem materiam. S. Thomas, Durandus Sotus, de Alliaco, Pontius, Fervacquez, Vanroy, Gavardi, Bellarminus aliique materiam confirmationis in sola unctione chrismatis reponunt, affirmantes tamen olim repositam fuisse in manuum impositione in cujus locum suffecta fuerit unctio. Ruardus Tapperus, et Joannes Morinus autumant materiam confirmationis esse disjunctive unam vel alteram, nempe vel solam manuum impositionem vel solam unctionem chrismatis. Recentiores demum praeclariores theologi utramque conjungunt, atque propugnant et manuum impositionem et sacram unctionem simul esse materiam confirmationis. Nos postremae huic sententiae subscribimus. Unde sit

CONCLUSIO I.

Impositio manus est materia essentialis sacramenti confirmationis.

Prob. I. ex sacris litteris. Actor. cap. 8. legitur: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Et cap. 19. additur: *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant etc.* In ep. ad Hebr. cap. 6. sic loquitur Apostolus: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum*. Ex quibus hoc exsurgit argumentum: Materia essentialis sacramentorum est signum sensibile a Domino institutum, atque adhibitum in confectione sacramentorum ad conferendam gratiam sanctificantem. Hujusmodi est manuum impositio, ut ex recitatis Scripturae testimoniis apparet, nam quod manuum impositio instituta sit a Domino patet ex eo quod illam assidue usurpaverint Apostoli, et quod ex consuetudine universalis Ecclesiae in confirmatione administranda ab initio et deinceps, semper ac perpetuo adhibita fuerit. Quod illa sit signum sensibile, non indiget demonstratione. Quod denique conferatur per illam gratia sanctificans, enuntiant luculentissime laudata mox testimonia, *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Itaque etc.

Respondent protestantes, Spiritum sanctum collatum ab Apostolis per manuum impositionem fuisse virtutem signorum, non gratiam sanctificantem. Sed vide argumentum hoc a nobis solutum in antecedentibus, nempe cap. I. in resolutione argumentorum ad 5.

Respondent nonnulli catholici qui essentialem materiam confirmatio-

nis reponunt in sola chrismatis unctione, manuum illam impositionem, de qua laudata Scripturae testimonia, fuisse meram caeremoniam, non materiam essentialem sacramenti.

Verum qui hoc arbitrantur decipi videntur. Et 1. eodem modo posset quis affirmare aquam in baptismo, et vinum in eucharistia meram esse caeremoniam, non essentialem materiam illorum sacramentorum, nam iisdem fere verbis exprimitur in Scripturis confirmatio quibus baptismus et eucharistia. Hinc nullum ex Scripturis haberemus argumentum ad demonstrandum adversus protestantes confirmationem esse novae legis sacramentum. 2. Jamdiu observatum est a theologis sacram Scripturam, ubi agit de sacramentis, non illorum caeremonias ac ritus, sed partes tantum essentiales commemorare. Quare si ubi agit de confirmatione commemorat impositionem manuum, haec proculdubio ad confirmationis essentiam pertinet, adeoque non caeremonia, sed materia sacramenti est. 3. Tandem ritibus ac caeremoniis accidentalibus numquam sacra Scriptura adscribit collationem Spiritus sancti seu gratiae sanctificantis, ut fit in locis a nobis recitatis.

Prob. 2. thesis ex sanctis Patribus quorum testimonia laudata a nobis vide capite hujusce libri tertio. Nunc confirmationis loco addimus sequentia. Cyprianus in ep. 74. *In Christi nomine*, inquit, *manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum*. Et paullo post: *Per manus impositionem* (fidelis) *Spiritum sanctum jam natus accipit*. Firmilianus in ep. ad Cyprian. ait: *Ad accipiendum Spiritum sanctum manus imponitur etc. Valet manus impositio ad accipiendum Spiritum sanctum*. Auctor anonymus qui scripsit tractatum de baptismo adversus Cyprianum: *Baptisma aquae*, inquit, *quo quis baptizatus est in nomine D. N. J. C. minus est: baptisma vero spiritus, quo quis in Spiritu sancto per manus impositionem episcopi baptizatus est, majus est*. Siricius Rom. Pont. in ep. ad Himerium tarraconensem ita scribit: *Arianos cum novatianis aliisque haereticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conventui sociamus*. Leo Magnus in ep. ad Nicetam aquilejensem sic habet: *Qui baptismum ab haereticis acceperunt, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt*. Theodoretus in cap. 6. ep. ad Hebr. *Qui crediderunt*, inquit, *accedunt ad divinum baptismum, et per manum sacerdotalem Spiritus gratiam accipiunt*. Gennadius constantinopolitanus in eumd. loc. addit: *Baptizati seipsos subjiciunt impositioni manuum sacerdotis ad participationem Spiritus sancti*. Infinitus essem si Patrum singulorum testimonia per omnia secula excurrendo vellem exscribere. Consule continuatorem Witassii, Tournely, l' Hermenier, Berti aliosque recentiores.

Prob. 3. ex Conciliis quorum definitiones in hanc rem dedimus citato capite tertio, quem locum consulas ne eadem bis repetamus. Interim pergamus ad reliqua.

SCHOLION

Duplex occurrit in sacramento confirmationis manus impositio, una quando episcopus elevata manu versus confirmandos invocat Spiritum sanctum, altera vero quando episcopus ut chrismate frontem inungat, eidem fronti manum admovet. Recentiores complurimi existimant materiam essentialem confirmationis esse priorem impositionem seu elevationem manuum. Nos vero adhaeremus illis qui alteram manus impositionem dicunt essentialem hujus sacramenti materiam. Et jure quidem, nam 1. Episcopus priori illa manuum elevatione non tangit confirmandos, sed ostendit dumtaxat se invocare super illos Spiritum sanctum, econtra posteriori manus impositione dum episcopus pollice inuncto chrismate frontem uniuscujusque confirmandi tangit, palmam super caput singulorum extendit. 2. Episcopus post elevatas manus et orationem completam tunc sedet in faldistorio, nomen cujuslibet confirmandi exquirit, et per ordinem genuflexos singulos confirmat. 3. Prior illa manuum impositio aliquando fieri consuevit ab episcopis post peractam jam unctionem, unde Tertullianus lib. de resurr. carnis, cap. 8. inquit: *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur*. 4. Recentiores graeci non habent manuum illam impositionem distinctam ab ea quae fit ab episcopo dum confirmandi frontem sacro chrismate inungit, et nihilominus verum habent sacramentum confirmationis. 5. Denique veteres Patres nostri praeter manuum impositionem a chrismatione diversam, agnoverunt illam quoque quae in ipsa includitur chrismatione. Ven. Beda in cap. 1. Cant. *Fideles omnes*, inquit, *cum impositione manus sacerdotis, qua Spiritus sanctus accipitur, hac unctione signantur*. Carolus Magnus lib. 7. capitular. cap. 18. jubet, *Ne quis a chorepiscopo per manus impositionem consignari vel confirmari usquam velit*. Rabanus lib. 1. de instit. clericor. cap. 28. *Episcopus baptizatum per manuum impositionem cum ipso chrismate consignat*. Amalarius lib. 1. de offic. ecclesiast. cap. 27. *Ut ab episcopis solis ungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est*. Eadem scribit Ratramnus lib. 4. cont. opposita graecorum. Yvo carnutensis in opusculo de convenientia novi et veteris Testam. Rupertus lib. 5. de divinis offic. Hugo Victorinus lib. 11. de sacram. aliique. Haec nos affirmare cogunt materiam essentialem confirmationis non priorem, sed posteriorem manus impositionem esse agnoscendam, salva semper plurium recentiorum opinioni sua probabilitate.

CONCLUSIO II.

Etiam chrismatis unctio est materia essentialis sacramenti confirmationis.

Prob. 1. ex Scriptura. Apostolus in 11. ad Cor. cap. 1. *Qui con-*

firmat, inquit, *nos vobiscum in Christo*, *et qui unxit nos Deus*, *qui et signavit nos*, *dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Hanc Pauli sententiam intelligi de sacramento confirmationis jam demonstravimus capite hujus libri primo.

Prob. 2. ex Patrum nostrorum Traditione, sed sanctorum dicta jam a nobis allata sunt capite secundo quibus nonnulla modo addimus. Origenes in cap. 6. ep. ad Rom. explicans illa verba, *An ignoratis etc.* ita loquitur: *Secundum typum Ecclesiae traditum omnes baptizati sumus in aquis istis visibilibus*, *et in chrismate visibili*, quo in loco verbum *baptizari* usurpat pro ministratione totius officii, nempe utriusque sacramenti baptismi et confirmationis, ut observat Alcuinus. Hom. 9. in Lev. *Omnes enim*, inquit, *quicumque unguento sacri chrismatis delibuti sunt*, *sacerdotes effecti sunt*, *sicut Petrus ad omnem dicit Ecclesiam*: *Vos autem genus electum*, *et regale sacerdotium etc.* Optatus milevitanus lib. 7. cont. donatistas vindicans illam Salomonis sententiam, *Muscae moriturae exterminant olei suavitatem*, a schismaticorum calumniis, affirmat, *Oleum*, de quo loquitur Salomon, esse *illum liquorem qui ex nomine Christi conditur*: *quod chrisma*, *postquam conditum est*, *nominatur*, tum docet valere illud ad sacramenti confectionem quod a donatistis sine immani scelere iterari non poterat. S. Pacianus in serm. de bapt. multa bona ex baptismo profluere tradit, tum addit: *Haec autem compleri alias nequeunt*, *nisi lavacri*, *et chrismatis*, *et antistitis sacramento*; *lavacro enim peccata purgantur*, *chrismate sanctus Spiritus superfunditur etc.* Cyrillus jerosol. catech. 3. quae est de confirmatione, inquit: *Quemadmodum panis eucharistiae post sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis*, *sed corpus Christi*, *sic et sanctum hoc unguentum*, *non amplius est unguentum nudum postquam jam consecratum est*, *sed chrisma Christi*, *quod adventu Spiritus sancti per ipsius divinitatem energiam habet*, *quo frons et alii sensus hic symbolice inunguntur*, *et corpus quidem isto visibili unguento perungitur*, *anima vero sancto ac vivifico Spiritu sanctificatur*. S. Ambrosius de initiandis cap. 6. exponens illud davidicum, *Sicut unguentum in capite*, *quod descendit in barbam*, *barbam Aaron*, inquit: *Unguentum ideo in barbam defluit*, *idest in gratiam juventutis*. *Ideo in barbam Aaron*, *ut fias electum genus*, *sacerdotale*, *pretiosum*: *omnes enim in regnum Dei et in sacerdotium ungimur gratia spiritali*. S. P. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 26. scribit: *Unxit eum* (Christum) *Deus Spiritu sancto*, *non utique oleo visibili*, *sed dono gratiae*, *quod visibili significatur unguento quo baptizatos ungit Ecclesia*. Leo Magnus serm. 4. de nativ. Domini, *Permanete*, inquit, *stabiles in ea fide quam confessi estis coram multis testibus*, *et in qua renati per aquam et Spiritum sanctum accepistis chrisma salutis*, *et signaculum vitae aeternae*. A recitandis reliquorum Patrum sententiis et conciliorum definitionibus, ne brevitatis excedam limites, abstineo, quum jam allata testimonia satis superque sententiam nostram confirment, alia vero legi possint capite saepe laudato.

COROLLARIUM

Ex iis quae duabus hisce conclusionibus statuta sunt, sua sponte sequitur materiam sacramenti confirmationis reponendam esse adaequate in manus impositione simul et in chrismate, nam ex allatis momentis apparet gratiam sanctificantem attribui modo manus impositioni, modo unctioni chrismatis; multique Patres impositionem manuum simul et unctionem commemorant tamquam partes hujus sacramenti essentiales, ut legenti recitata testimonia liquido patet.

Ad argumenta adversariorum responsio.

Obj. 1. cont. 1. concl. I. Joannes Morinus ex euchologio graecorum, ex MS. Simeonis thessalonicensis quod asservatur in bibliotheca vaticana, ex Nicolao Cabasila, Dionysio Areopagita, Cyrillo jerosolymitano, Joanne Damasceno aliisque invicte demonstrat Ecclesiam graecam contulisse semper, et adhuc conferre confirmationem absque impositione manuum, ac sola adhibita chrismatis unctione, sed Ecclesia romana validam semper agnovit confirmationem graecorum, igitur manuum impositio non pertinet ad essentialem hujus sacramenti materiam. II. quamvis latini usurparent olim in hoc administrando sacramento manuum impositionem tamquam essentialem sacramenti materiam, nunc tamen vel nullimode necessaria est et adhibetur velut simplex caeremonia, vel in locum ejus suffectum est chrisma, nam Eugenius IV. in decreto pro armenis, *Secundum*, inquit, *sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma consecratum ex oleo*. Et ne quis in alienum sensum detorqueat verba decreti, impedit quod paullo inferius subjicit, dicens: *Loco autem illius* (nempe manus impositionis) *datur in Ecclesia confirmatio*. Quam sententiam non primus in Ecclesiam invexit Eugenius, sed acceperat illam a praedecessoribus suis, nam Innocentius III. in cap. *cum venisset*, inquit: *Per frontis chrismationem designatur manus impositio Apostolorum*, eamdemque subinde phrasim adhibuit Innocentius IV. ad Ottonem cardinalem cap. 4. Unde concludere possumus manuum impositionem non esse materiam essentialem confirmationis. III. hoc idem definivisse videtur concilium tridentinum quum sess. 7. can. 2. statuerit, quod *Si quis dixerit, injuriosos esse Spiritui sancto eos qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit*. IV. tandem concilium moguntinum celebratum an. 1547. cap. 18. *Hoc sacramentum*, inquit, *ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum, ex eorumdem Traditione adhibita chrismatis unctione coepit conferri*.

Resp. ad 1. ecclesiam graecam non solam chrismatis unctionem, sed et impositionem manuum semper adhibuisse in confirmationis collatione. Patet id ex graecis Patribus quorum aliqui solum chrisma, aliqui solam manuum impositionem, plerique vero utrumque commemorant. Vide illorum Patrum sententias in superioribus capitibus recitatas, et praesertim

Firmiliani, Concilii nicaeni I. Chrysostomi, Theodoreti, Gennadii constantinopolitani, Eulogii alexandrini aliorumque. Dum ergo graeci Patres a Morino laudati chrismatis unctionem ad sacramentum confirmationis pertinere affirmant, non excludunt manus impositionem, sicuti unctionem non excludunt a confirmatione qui solam manus impositionem commemorant. Nec euchologia graecorum Morini caussam juvant, nam tria prae ceteris sunt fide digna utpote reliquis antiquiora, nempe *barberinum*, *cryptae ferratae*, et *bibliothecae regiae*. In his autem ubi describitur modus recipiendi haereticos inducitur sacerdos manus habens super caput haeretici ad catholicam fidem conversi, invocans Spiritus sancti adventum: *Deus salvator noster ... dignare illum sigillo divini unguenti, et adventu Spiritus sancti etc. Post haec ungit eum sacerdos unguento, sicut neophytos, eamdemque formulam super eo recitat etc.* Graeci ergo et manus impositionem et unctionem chrismatis adhibent in conferenda confirmatione, idque ex ipsis graecorum euchologiis accuratius perpensis apparet. Simeon autem thessalonicensis in propriae caussae patrocinium a Joanne Morino allegatus in lib. de templo, *Christus*, inquit, *per manuum impositionem et inspirationem unguenti gratiam* (baptizatis) *impertitur*.

Sed contra hanc responsionem urgent adversarii Gregorii Magni ep. 61. ad Quirinum, ubi sic scribit: *Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero chrismatis ad ingressum sanctae Ecclesiae catholicae Oriens reformat*. Quibus in verbis describens sanctus Pontifex invectam jam consuetudinem suscipiendi haereticos per confirmationem, orientalem chrismatis unctionem opponit occidentali impositioni manuum, atque adeo graeci conferunt confirmationem per solum chrisma cum exclusione impositionis manuum.

Resp. non unam esse ad hoc argumentum eruditorum responsionem, sed nos brevitati studentes, illis praetermissis, dicimus Gregorium Magnum ita opponere chrismationem orientalium impositioni manuum occidentalium ut una alteram non excludat. Et revera dum inquit Gregorius haereticos ab occidentalibus recipi per manuum impositionem, numquid chrismatis unctionem excludit? Minime. Ergo dum affirmat recipi haereticos ab orientalibus per unctionem chrismatis, non excludit manuum impositionem, praesertim cum Concilium nicaenum 1. ubi forma recipiendi in Ecclesiam haereticos statuta est, impositionis manuum expressam mentionem faciat. Si quis autem dicat, cur ergo Gregorius, si in admittendis arianis utriusque Ecclesiae idem ritus erat, utrumque ritum opponit? Responderi potest, apud occidentales manuum impositionem, apud orientales unctionem chrismatis sacramentum confirmationis frequentius fuisse appellatum, eaque de caussa Gregorium antithesim illam instituisse.

Ad 2. Eugenius IV. per illa verba, *loco illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio*, non vult ab hoc sacramento manuum impositionem excludere, sed illam supponit, nam in eodem decreto loquens de sacramento ordinis solius instrumentorum porrectionis mentionem facit. Numquid proinde ab hujus sacramenti materia excludit episcopalem ma-

nuum impositionem quam omnes theologi ad essentiam ordinis pertinere consentiunt? Similiter ergo etc. Sensus itaque laudati decreti est, modo communiter appellari confirmationem sacramentum illud quod apostolicis temporibus dicebatur manuum impositio. Et sane non inquit decretum loco impositionis manus dari *chrismationem*, sed loco impositionis manus dari nunc *confirmationem*. Hoc idem respondendum est ad argumentum ex verbis Innocentii III. et Innocentii IV. deductum. Deinde dici etiam potest cum Bellarmino non omnia quae in Conciliorum vel Pontificum decretis habentur ad fidem pertinere, sed illa dumtaxat quae ex professo definiuntur. Hoc autem de quo disputamus non definitur, sed obiter tantum declaratur.

Ad 3. Calvinus ore blasphemo pronuntiaverat catholicos unctioni chrismatis adscribentes virtutem conferendi Spiritum sanctum, eidem Spiritui sancto injuriosos esse. Concilium ergo ad Calvini retundendam audaciam, allato in argumento canone contrarium definivit. Quid ergo opus erat manuum impositionem eo in canone commemorare?

Ad 4. Concilium moguntinum per allata in argumento verba significare forte voluit sacramentum confirmationis quod modo communiter appellari solet *chrismatio*, antiquitus et Apostolorum aetate appellatum fuisse *impositionem manuum*, nam cap. 17. antecedenti, *Ea vero*, inquit, *ut erant a Christo promissa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, et ab eisdem per manus impositionem in alios transfundi coepta, actus ipsorum satis testantur. Unde Ecclesia catholica Spiritum sanctum per manus episcoporum fidelibus tradendi normam accepit*. Quae cum iis quae cap. 18. traduntur conciliari nequeunt nisi allatam mox responsionem admittamus. Quod si haec responsio non arrideat, Concilii moguntini auctoritatem debita cum reverentia relinquimus.

Obj. 2. cont. 2. concl. I. sacra Scriptura ubi de confirmatione loquitur, ne verbum quidem habet chrismatis unctionis. II. quinimo quum S. Lucas in Actis totam confirmationis essentiam describat, non meminit chrismationis. III. neque ad Ecclesiae Traditionem recurrendum est ut plerique theologi faciunt, nam multi sunt qui negant unctionem esse essentialem materiam sacramenti confirmationis, et nihilominus non habentur ab Ecclesia tamquam haeretici. IV. demum ex quo Traditio affirmet necessariam esse chrismatis unctionem in hoc administrando sacramento, deduci nequit constituere illam materiam essentialem, quemadmodum ex quo Traditio commendet tamquam necessariam aquae admixtionem in sacramento eucharistiae, non sequitur aquam esse hujus sacramenti materiam.

Resp. ad I. 1. Etiamsi allatum argumentum consisteret, nihil proinde ex eo concludi posset quum sit mere negativum. Neque illius generis est quod vim argumenti positivi habere queat, propterea quod Traditio quae ab Apostolis et a Christo descendit docet semper adhibitam fuisse tamquam confirmationis materiam chrismatis unctionem, ut patet ex iis quae inter conclusionis probationes adduximus. 2. Falsum est Scri-

pturam silere chrismationem ubi de confirmatione loquitur, nos enim jam citavimus Apostoli textum ex cap. 1. ep. 11. ad Cor. ad cujus uberiorem illustrationem addimus, testimonium illud de sacramento confirmationis intelligi ab Ambrosio lib. de initiandis cap. 7. a Theodoreto, Primasio, et Anselmo commentariis in hunc locum. Et jure quidem, nam verbum illud, *confirmat*, exprimit sacramentum ad dandum robur; *unxit nos*, significat externam unctionem, vel si internam denotat est per allusionem ad externam quae supponitur; *signavit nos*, denotat vel internam characteris obsignationem vel externum crucis signaculum; illa denique verba, *dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, exprimunt gratiam quae est hujus sacramenti effectus. Quare si nullum aliud peti posset ex Scriptura testimonium ad sententiam nostram corroborandam hoc satis superque sufficeret ad explodendum silentium Scripturae ab adversariis jactatum. Sed et aliae afferri possunt ex divinis litteris petitae sententiae, Joannes enim in ep. 1. cap. 2. *sed vos*, inquit *unctionem habetis a sancto*, quae verba de sacramento confirmationis dicta esse affirmat S. P. Augustinus tract. 3. in 1. Joannis, ubi ita scribit: *Unctio spiritalis ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili*. Idem Joannes ibidem subdit: *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis etc.* Hoc in textu quoque unctionis nomine intelligunt confirmationem Augustinus loco nuper laudato, et Cyrillus hierosolymitanus catech. 3. mystag. Urgeri ergo tam fidenter, ut ab adversariis fit, non potest sacrae Scripturae silentium.

Ad 2. Multi multa respondent, sed Basilii Poncii, ac Bellarmini responsio magis mihi placet, Lucam videlicet per manuum impositionem subintellexisse quoque chrismatis unctionem, quatenus Apostoli utramque adhibuerint materiam, sed Lucas integrum ritum compendio perstrinxerit, solaque impositione manus designaverit. Quod multis suadere conantur argumentis. 1. Quoniam sancti Patres de confirmatione loquentes modo solam manuum impositionem, modo solum chrisma, nunc vero utrumque simul conjungunt. Hoc ipsum ergo Actor. 8. praestitit Lucas, per solam nimirum manus impositionem totum ritum compendiose descripsit, sciens rem esse notissimam quod in confirmatione administranda unctio quoque usurpari soleret. 2. Patres ut demonstrent chrismatis unctionem adhiberi solitam in confirmationis collatione ad solos episcopos pertinere, provocant ad verba Lucae Actor. cap. 8. ubi nihil expressum de chrismate habetur. Supponebant itaque in laudatis Lucae verbis latere etiam unctionem. 3. Consuetudo isthaec plura per unum compendiose describere nova non est in sacra Scriptura, et praesertim apud Lucam in iisdem Actibus Apostolorum. Narrat Lucas Apostolos baptizasse in nomine Christi, et nihilominus certum est contulisse illos baptisma in nomine totius Trinitatis. Describens conversionem eunuchi reginae Candacis, Lucas inquit imbutum fuisse a Philippo in fide Christi. Credendum ne est, de sola fide in Christum, et non in reliqua dogmata locutum fuisse Philippum cum eunucho? Nullibi Lucas dicit Apostolos in suis concionibus de prae-

ceptis moralibus verba fecisse, sed solius fidei in Christum meminit, nec proinde dicendum est praecepta moralia innominata relicta fuisse ab Apostolis in propriis concionibus. Hujus generis bene multa exempla tum ex Actibus Apostolorum tum ex aliis Scripturae voluminibus congeri possent, quae nisi dicamus scriptores hagiographos ex una parte voluisse rem totam compendiose describere, insuperabiles parient difficultates.

Ad 3. Ecclesia non habet tamquam haereticos theologos a nostra sententia dissidentes, quoniam licet negent chrismatis unctionem esse materiam essentialem confirmationis, nihilominus Traditionis auctoritatem venerantes, toto tuentur conatu unctionem essentialem esse sacramento confirmationis tamquam partem integrantem, seu caeremoniam in Ecclesia antiquissimam ac receptissimam.

Ad 4. In hoc refutando argumento non immorabor. Ratio discriminis haec est. Ideo sacrum chrisma existimamus essentialem materiam confirmationis, quoniam sancti Patres docuerunt non solum in sacramenti administratione necessarium esse, sed insuper esse necessarium tamquam materiam. Econtra affirmarunt aquam in calice necessariam esse, sed tamquam caeremoniam et ritum, non tamquam partem sacramentum componentem.

Obj. 3. adv. eamd. 2. concl. I. veteres Patres iis in locis ubi verba faciunt de sacro chrismate loquuti videntur de caeremonia baptismi quod declarat can. 2. Concilii 1. arausicani quo statuitur: *Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate umquam debet progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem qui in baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est: non ut praejudicans quidquam, sed ut ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*. II. antiquis temporibus chrismatis unctioni nulla forma correspondebat, ut ex sacramentario Gregorii Magni apparet. Unctio itaque tamquam mera caeremonia, non tamquam materia habebatur. III. si sacrum chrisma materia esset confirmationis, eodem modo proculdubio a graecis et a latinis confici deberet, sed diversimode praeparari et perfici in utraque Ecclesia omnes norunt.

Resp. ad 1. Sententiae Patrum sparsim a nobis allatae hoc in libro ab initio satis abunde demonstrant aliam esse unctionem quae in baptismo, et aliam quae in confirmatione usurpatur. Illa enim in vertice, et a simplici presbytero vel a diacono, haec autem in fronte, et a solo episcopo adhibita semper fuit. Addo graecos inter baptizandum numquam sacrum chrisma usurpasse nec modo usurpare. Verba Concilii 1. arausicani ideo ambigua sunt et obscura ut plurium eruditorum ingenia exercuerint, celeberrimaeque controversiae inter Sirmondum et Petrum Aurelium, vulgo abbatem sancyranum, occasionem dederint. Quare neutri parti praejudicium afferre possunt. Legatur de hoc argumento doctissimus Witassii continuator.

Ad. 2. Vide quae capite sequenti dicemus de forma confirmationis.

Ad 3. Quamvis uno modo apud graecos, alio apud latinos sacrum perficiatur chrisma, utraque tamen Ecclesia verum in chrismatis confectione usurpat oleum, quod satis est ut dicamus utramque Ecclesiam eamdem agnoscere essentialem materiam confirmationis.

CAPUT V.

De forma sacramenti confirmationis.

Lutherani et calvinistae quum praefracte inficientur confirmationem nostram rationem habere sacramenti, ubi de hujus sacramenti forma loquuntur, ut sibi cohaereant, eam irrident, et veluti rem in sacris litteris peregrinam dicteriis calumniisque proscindunt. Catholici econtra agnoscentes confirmationem ut novae legis sacramentum, sicut illi suam materiam, ita et propriam formam assignant, sicque omnes theologi juncto foedere dimicant adversus protestantes ut catholicam fidem contra illorum conatus strenue defendant. Ast ubi iidem theologi statuere coguntur quaenam praecise verba sint illa quae confirmationis formam constituunt, mirum est in quot abeant sententias. Theologi illi qui tenent materiam essentialem confirmationis esse illam manuum impositionem quae fit ab episcopo dum elevat super confirmandos manus ut invocet Spiritum sanctum, arbitrantur formam hujus sacramenti in illa Spiritus sancti invocatione consistere. Qui vero confirmationis materiam solam esse dicunt chrismatis unctionem, sacramenti formam reponunt in verbis quae eamdem comitantur chrismationem. Ac demum qui pro confirmationis materia et manuum impositionem et sacram unctionem agnoscunt, bifariam dividuntur, nempe qui volunt impositionem manuum essentialem sacri mysterii materiam constituentem esse priorem illam manuum elevationem dum episcopus invocat Spiritum sanctum, affirmant subinde duplicem habere hoc sacramentum formam essentialem, episcopi nimirum illam orationem, et verba quae proferuntur dum pollice sacro chrismate intincto confirmandorum frontes unguntur. Qui autem impositionem manuum ad confirmationis materiam pertinentem statuunt esse illam quae cum sacra unctione conjuncta est, docent confirmationis formam apud latinos consistere in solis illis verbis, *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen*, apud graecos vero, *Signaculum doni Spiritus sancti*.

Non minor est controversia circa formam graecorum, alii enim illam reponunt in verbis quibus consecratur chrisma, alii in oratione quae unctionem immediate praecedit, alii in utraque oratione, alii denique in verbis sacram unctionem comitantibus, *Signaculum doni Spiritus sancti*. Quaenam sit nostra sententia sequentes aperient propositiones.

CONCLUSIO I.

Oratio quae ab episcopo ante unctionem profertur dum super confirmandos manus extendit non videtur essentialis forma confirmationis.

Prob. 1. Ideo praeclarissimi recentiores theologi tenent orationem illam episcopi constituere formam confirmationis, quoniam arbitrantur impositionem seu extensionem manuum cui oratio correspondet esse ejusdem confirmationis essentialem materiam, sed hoc falsum esse pluribus demonstratum est in schol. ad concl. 1. capite superiori, ergo falsum est et illud.

Prob. 2. Verba formam constituentia quum ad essentiam sacramenti pertineant praetermitti non possunt sine sacramenti nullitate, quod idem de materia quoque verificatur, ut agentes de sacramentis in genere observavimus, sed oratio quae unctionem praecedit antiquis temporibus omittebatur, in codice enim monasterii moysacensis ante octingentos annos exarato, et a cl. Martenio edito nulla alia occurrit oratio nisi quae recitari solet post confirmationem completam.

Prob. 3. In illa episcopi oratione de qua loquimur, non alia occurrunt sacra verba quae formae rationem habere valeant nisi haec, *consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus aeternam*, aut his consimilia. Atqui verba haec non videntur formae rationem habere, sed referuntur potius ab subsequentia verba quae ab episcopo recitantur in ipsa chrismatis unctione, *Signo te signo crucis etc.* nam verba illa deprecatoria eodem modo proferri videntur ab episcopo quomodo a sacerdote vel in sacramento poenitentiae verba illa, *Dominus noster Jesus Christus te absolvat etc.* vel in sacramento eucharistiae illa alia, *Quam oblationem tu Deus etc. ut nobis corpus, et sanguis fiat dilectissimi Filii tui.* Ast quemadmodum ejusdemmodi verba non constituunt formam vel poenitentiae vel eucharistiae, sed referuntur ad subsequentia, *Ego te absolvo etc. Hoc est corpus meum etc.* in quibus consistit utriusque sacramenti forma, ita in casu nostro etc.

Prob. 4. Ex antiquis codicibus fide dignissimis, quos consule apud Martenium, apparet orationem illam non raro recitatam fuisse a presbytero post collatum baptisma, et antequam episcopus confirmationem administrare incipiat, nam in laudatis codicibus praefata oratio reperitur in ordine baptismi, non confirmationis, dici ergo nequit forma sacramenti confirmationis.

CONCLUSIO II.

Forma essentialis confirmationis apud latinos consistit in illis verbis, signo crucis etc. *apud graecos vero in illis*, signaculum doni Spiritus sancti.

Prob. prima concl. pars. I. confirmatio quum sit novae legis sac

mentum suam proculdubio habere debet formam. Ast nisi hanc statuamus, nulla erit huic sacramento forma, oratio enim quae ab episcopo dum manus super confirmandos extendit pronunciatur, haberi nequit pro hujus sacramenti forma, ut superiori concl. probavimus. II. Eugenius IV. in celebri instruct. pro armenis absolute inquit: *Forma autem* (confirmationis) *est, signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Et reapse verba ejusmodi significant *robur spirituale quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem*, ut jam observaverat S. Thomas. III. etiam Cathechismus romanus p. 2. cap. 3. pro hujus sacramenti forma laudata verba assignat. IV. observavit doctissimus Martene, in omnibus antiquis ritualibus libris et sacramentariis aliqua verba praescribi conjuncta cum chrismatis unctione. Ejusmodi verba nequeunt esse oratio quae ab episcopo recitatur dum manus super confirmandos extendit, igitur etc. V. Concilium bituricense celebratum an. 1585. et a Sixto V. approbatum nullam aliam agnoscit hujus sacramenti formam nisi eam qua uti consuevit Ecclesia, *Consigno te signo crucis etc.* VI. etiam Adrianus VI. in eadem fuit opinione dicens: *Auctoritate Ecclesiae quae in iis quae sunt fidei nec fallere potest nec falli, et tradit dictam orationem pro forma, credens eam rite perficere sacramentum confirmationis, certum esse hanc formam vivae vocis vocabulo ab Apostolis et eorum successoribus acceptam fuisse: sicut de forma consecrationis sanguinis dicitur*.

Prob. altera pars concl. I. euchologium quo ecclesia graeca utitur non aliam assignat confirmationis formam essentialem nisi verba illa, *signaculum doni Spiritus sancti*, unde sic arguit Goarius ejusdem euchologii editor: *Quae si vera confirmationis forma non est, nulla jam in Oriente superest confirmatio, nullum illius fundamentum, nulla de illa fides: privabuntur apud eos quotquot sunt orthodoxi, sancti Spiritus, ut fidem profiteantur, dono: imo nec illo communiter umquam usos fuisse sanctos Patres necesse est asserere, cum schisma, quo moderni laborant, abolitae sacramenti alicujus formae, aut violati contemptive reos numquam fecerit*. II. veteres Patres ad exprimendam naturam confirmationis ea utuntur phrasi quae in confirmationis forma adhibetur. Asterius episcopus Amaseae apud Photium cod. 271. inquit: *Datur signaculum Spiritus sancti*. Auctor de eccles. hierar. cap. 11. de episcopo confirmante scribit: *Deificante unguento obsignantem*. Cyrillus catech. 18. ait: *Signaculum datum est illi ex communicatione Spiritus sancti*. Alia Patrum testimonia afferuntur ab Arcudio quae certe alludere videntur ad formam qua nunc utuntur graeci. III. sic ex S. Thoma arguit Arcudius: ut vera sit confirmationis forma tria requiruntur. 1. Caussa conferens robur spirituale quae est SS. Trinitas, eaque exprimitur his verbis, *in nomine Patris etc.* 2. Ipsum robur spirituale significatum cum dicitur: *confirmo te chrismate salutis*. 3. Signum quod pugnatori datur, quodque adumbratur his verbis, *consigno te signo crucis*. Haec est doctrina doctoris angelici 3. p. q. 72. art. 4. Verum haec tria exprimun-

tur etiam per formam graecorum. Significatur character per illud vocabulum, *signaculum*. Non siletur gratia cum dicitur, *doni*. Exprimitur quoque characteris et gratiae caussa efficiens cum additur, *Spiritus sancti*, ergo etc. IV. denique Hieremias patriarcha constantinopolitanus in censura quam edidit adversus lutheranos et calvinistas cap. 3. ex Simeone thessalonicensi pro forma confirmationis illam agnoscit quam nos defendimus.

SCHOLION

Ingenue fatendum est formam confirmationis quam usurpant latini non iisdem omnino verbis conceptam inveniri in antiquissimis sacramentariis, aliter enim leguntur in pontificali Egeberti, aliter in gelasiano vel pictaviensi aut moysacensi, et aliter alibi. Verum varietas de qua loquimur ad substantiam minime pertinet, sed est mere accidentalis, unde nullum ex ea desumere possunt adversarii argumentum contra nostram sententiam.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cont. 1. concl. I. sacramentum confirmationis non minus modo quam tempore Apostolorum essentialem habere debuit formam. Porro tempore Apostolorum forma hujus sacramenti non alia esse potuit quam oratio quae priorem manuum impositionem comitatur, nam cap. 8. Act. Apost. legitur: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*. II. forma confirmationis antiquitus erat deprecatoria, ut ex integra patet Traditione. Deprecatio autem non continetur nisi in illa episcopi oratione. III. sancti Patres non obscure insinuant praefatam orationem revera confirmationis formam constituere; Tertullianus enim lib. de bapt. inquit: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, et invitans Spiritum sanctum*. Cyprianus in ep. ad Jubajan. *Qui in Ecclesia*, inquit, *baptizantur, praepositis Ecclesiae offeruntur, et per nostram orationem, ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequuntur*. Eodem modo loquuntur Ambrosius lib. 3. de sacram. cap. 2. Siricius in ep. ad Himerium, Hieronymus adv. lucifer. cap. 4. alii. IV. septem prioribus Ecclesiae seculis, ut patet ex omnibus libris ritualibus, pontificalibus et sacramentariis a Martene collectis, non alia verborum forma adhibebatur in confirmationis administratione praeter episcopi orationem priorem impositionem manuum comitantem. V. prior manuum impositio fieri debet cum aliqua verborum forma quae alia esse nequit nisi praefata oratio.

Resp. ad 1. Actus Apostolorum narrant quidem Apostolos orasse ut samaritani Spiritum sanctum acciperent, quemadmodum praeseferunt verba in argumento laudata, sed non affirmant orationem illam formam fuisse confirmationis. Immo Spiritus sancti illapsus impositioni manuum potius, quam orationi ibidem tribuitur, legitur enim, *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Puto igitur Apostolos in confirmandis fidelibus orasse, imposuisse manus, sacro chrismate

unxisse, aliqua proferendo verba quae sacramenti formam constituerent de qua mentio in Actibus Apostolorum non occurrat, nisi dicere velimus formam ipsam verborum comitantium chrismatis unctionem fuisse orationem de qua Actus Apostolorum; dum enim minister sacramenti formam pronuntiat, nil aliud facit nisi rogare Deum ut gratiam suam subjecto largiatur, juxta illud Augustini lib. 3. de bapt. cap. 16. *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?*

Ad 2. Etiamsi concederem priscis temporibus formam confirmationis fuisse deprecatoriam, non proinde sequeretur esse illam reponendam in oratione manuum elevationem comitante, nam, ut mox observavimus, etiam verba cum chrismatione conjuncta vim habent deprecationis. Deinde affirmari absolute non potest formam confirmationis antiquitus fuisse deprecatoriam.

Ad 3. Sancti Patres manuum impositioni et orationi Spiritum sanctum attribuunt tamquam ritui confirmationis, non tamquam formae. Nam iidem Patres loquentes de eucharistia, corpus Christi consecrari affirmant per orationem et signum crucis, nec tamen sequitur orationem esse formam eucharistiae.

Ad 4. Nihil certi ex ritualibus libris confici potest, in plerisque siquidem habetur contraversa oratio, sed nihil dicitur de manuum impositione, in aliquibus ea oratio omnino desideratur, in aliis autem recensetur in ordine baptismi, non confirmationis. Praeterea etsi probari posset semper usurpatam orationem illam fuisse, non inde inferri tuto posset formam confirmationis constituere, potuisset enim adhiberi tamquam caeremonia ab immemorabili in conferendo sacramento usurpata.

Ad 5. Jam in superioribus diximus manus impositionem materiam confirmationis constituentem esse illam quae fit ab episcopo dum confirmandi frontem inungit, unde verba quae manus impositioni respondent sunt illa, *signo te signo crucis etc.*

Obj. 2. adv. priorem part. 2. concl. I. veteres codices et rituales libri manifeste ostendunt formam illam, *signo te etc.* multoties mutatam fuisse, non potest ergo sacramenti formam constituere. II. formae sacramentorum a Christo et ab Apostolis descendere proculdubio debuerunt, verba illa, *signo te etc.* usurpari non caeperunt ante seculum 8. ut ex sacramentariis patet. III. Gregorius Magnus qui in suo sacramentario omnia quae ad sacramentorum essentiam pertinent, accurate descripsit, ne verbum quidem habet de illa confirmationis forma, sed inquit dumtaxat: *Pontifex tincto pollice in chrismate facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim: quibus expletis jussi incipiunt in Ecclesia litaniam.* IV. Amalarius Fortunatus in lib. de offic. cap. 17. praescribit, sequentia tantum verba chrismatis unctionem comitari, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Pax tibi. Et cum spiritu tuo.*

Resp. ad 1. mutationes quae in ritualibus libris occurrunt relate ad illa verba, *signo te etc.* esse mutationes mere accidentales, ut cum Martenio observavimus cap. antecedenti.

Ad. 2. Aliud enim est praefatam illam formam non haberi in ritualibus libris seculum 8. praecedentibus, et aliud est ante seculum 8. eamdem formam non fuisse usitatam. Imo ex quo in codicibus 8. seculi verba illa tamquam confirmationis forma praescribantur, merito infertur in Ecclesia jam receptam fuisse, codices enim illi ex antiquioribus fuere descripti, modumque administrandi confirmationem apud antiquos delineant.

Ad 3. respondeo 1. Gregorius Magnus in suo sacramentario non meminit forte sacramentalis formae, quoniam haec indicativo modo idem exprimit quod deprecatorio modo continetur in extremis orationis verbis, *consigna eos signo crucis in vitam propitiatus aeternam*. 2. Vel dici etiam potest improbabile non esse tempore Magni Gregorii peractam unctionem fuisse cum episcopus mox laudata verba recitaret, quo in casu ea aetate confirmationis forma consistebat in illis verbis, *consigna eos etc.* progressu autem temporis forma nostra ex illa deprecatoria conflata fuit. Sed haec probabiliter tantum dicta sint. Vide cl. Joannem Laurentium Berti.

Ad 4. Fortunatus Amalarius seculi 9. scriptor vel enarravit vel brevitati studens ea tantum exscripsit in quae commentarios edere cogitaverat, ipse enim citat expresse ordinem romanum in quo proculdubio continetur forma hisce verbis expressa, *confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Obj. 3. cont. alteram concl. part. I. forma quae nunc adhibetur a graecis est manca et imperfecta, ergo etc. II. forma illa exprimit confirmationem esse signaculum, sed etiam alia sacramenta sunt signacula Spiritus sancti, ergo etc. III. Severus patriarcha alexandrinus aliam assignat confirmationis formam penes graecos. IV. Clemens VIII. in instr. de ritib. graecor. jubet ut confirmati a graecis iterum a latinis confirmentur hac forma, *consigno te signo crucis etc.* Non ergo graecorum confirmationem cum ea forma collatam validam habuit.

Resp. ad 1. cum nostris Ferraquez, Poncio, et Vanroy, valorem sacramentorum a Christi voluntate pendere, quare etiamsi graecorum forma orationem contineret imperfectam, si ei Christus vim tribuit confirmationem conficiendi, quin sit vera forma ambigi nequit. Deinde falsum est graecorum formam mancam et imperfectam orationem continere, nam verbum, *est*, quod in illa forma desideratur, subintelligitur. Similes in Scripturis occurrunt orationes quae tamen imperfectae a nemine existimantur. Sic apud Lucam in graeco textu legitur, *Hic calix novum Testamentum in meo sanguine*. Ad Hebr. cap. 9. similiter habetur, *Hic sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus*. In hisce locutionibus verbum, *est*, subintelligitur.

Ad 2. Reliqua sacramenta sunt et ipsa quidem signacula Spiritus sancti, sed non eo modo quo confirmatio quae dicitur *signaculum*, hoc est, sigillum, et peculiare militis signum. Et vox δωρεᾶς, *doni*, non simpliciter gratiam, sed donationem ipsam gratiarum significat.

Ad 3. Severus hic cujus auctoritate abutuntur adversae sententiae patroni, non alexandrinus, sed forte antiochenus patriarcha fuit, neque catholicus, sed eutychiana labe infectus, neque graece pro graecis, sed syriace pro syris ritualem librum composuit, quare nullam meretur ille in nostrae sententiae praejudicium auctoritatem. Vel dici potest, etiam apud graecos ut et apud latinos confirmationis formam aliquam accidentalem mutationem passam interdum fuisse.

Ad 4. respondeo cum Arcudio summum Pontificem instructionem illam direxisse ad episcopos latinos in quorum dioecesibus extabant graeci et albanenses qui cum graeco ritu uterentur, nisi baptizati essent ab episcopis graecis, confirmationem a simplici presbytero accipiebant; nam episcopus penes graecos statim post baptismum confirmationem recenter baptizato administrat. Jubet ergo supremus Pastor *ne presbyteri graeci baptizatos in fronte consignent*. Praecipit subinde ut episcopi latini *consignatos chrismate ab illis presbyteris graecis* confirment forma apud latinos usitata. Et quoniam dubitari poterat an illi qui iterum confirmandi erant baptizati essent ab aliquo graeco episcopo a quo accepissent etiam confirmationem, praecipit summus Pontifex ut confirmatio iteretur sub conditione, videlicet, *si es confirmatus, ego te non confirmo: sed si non es confirmatus, ego te consigno etc.* Ex quibus apparet dubitatum a summo Pontifice tunc fuisse de validitate confirmationis graecorum ratione ministri, non ratione formae.

CAPUT VI.

De ministro sacramenti confirmationis.

Lutherus, Calvinus, horumque sectatores ut de confirmationis essentia ita et de ejusmodi ministro pessime sentiunt, existimant enim ordinarium confirmationis ministrum non solum episcopum, sed quemcumque simplicem presbyterum esse. Errorem hunc hauserunt ipsi a valdensibus, hussitis et wiclefitis damnatis jam a Concilio constantiensi. Sed longe ante hos novatores haereticam doctrinam tradiderat Photius pseudopatriarcha C-P. Quum enim is ad bulgaros recens ad fidem conversos opera Pauli presbyteri romani, misisset presbyteros ut novos neophytos confirmarent, Nicolaus I. tunc summus Pontifex jussit legatis suis ut confirmationem a photianis collatam irritam haberent, ac bulgaros sacro chrismate iterum ungerent. Factum id est a supremo Pastore vel quia sacrum chrisma confectum erat a Photio jam suspenso et excommunicato, vel quia confirmatio illa administrata fuerat a presbyteris et ipsis suspensis excommunicatisque, vel quia photiani et graeci presbyteri sacramentum administraverant, usurpata sibi jurisdictione, in ecclesia a latinis fundata, vel denique quia erant simplices presbyteri non episcopali charactere insigniti. Ut ut sit, Photius furore quodam percitus encyclicam dedit epistolam ad omnes archiepiscopales orientis thronos qua in latinos a-

cerrime debacchatur, quod dicerent, *non licere sacerdotibus*, *eos qui sacro baptismate initiantur*, *unguento sanctificare*, *solis enim pontificibus hoc datum esse*. Atque haec est erroris origo circa ministrum confirmationis. Quare videant protestantes ex quibus fontibus in hortos suos aquas derivaverint, ad reformandam, ut ipsi superbe jactant, Ecclesiam, a photianis nempe, valdensibus, hussitis, et wiclefitis.

Sententia autem catholica est ministrum ordinarium sacramenti confirmationis esse solum episcopum, juxta tridentini Concilii definitionem quae extat sess. 7. can. 3. in haec verba: *Si quis dixerit*, *sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum*, *sed quemvis simplicem sacerdotem*, *anathema sit*. Atque hoc de fide tenendum est adversus haereticos.

Sed et alia occurrit gravissima quaestio de qua salva fide et caritate disputant inter se theologi catholici. An simplex sacerdos tamquam minister extraordinarius sacramentum hoc valide conferre possit? Negantem tenent sententiam Robertus cardinalis Pullus, Hugo a S. Victore, Petrus lombardus, Guillelmus altissiodorensis, Albertus magnus, Durandus, Gabriel Biel, Joannes major, Adrianus VI. Alphonsus a Castro, Estius, Petrus Aurelius, Nicolaus l' Ermenier, aliique non pauci. Affirmanti autem subscribunt Jacobus a Vitriaco, Alexander alensis, et post S. Thomam et Scotum omnes utriusque doctoris sive veteres sive recentiores discipuli. Affirmantis sententiae patroni adhuc subdividuntur, et alii arbitrantur solum summum Pontificem dispensationem confirmandi presbyteris concedere posse; alii vero eam facultatem quemlibet episcopum in sua dioecesi posse simplici sacerdoti impertiri, nec desunt qui affirment posse presbyterum non licite quidem sed tamen valide sine nulla episcopi dispensatione sacramentum illud conferre. Non moror opinionem illorum qui potestatem extraordinariam administrandi hoc sacramentum concesserunt diaconis quoque, imo et subdiaconis et minoribus clericis. Quaenam sit nostra sententia ex dicendis patebit. Interim adversus haereticos sit

CONCLUSIO I.

Ordinarius sacramenti confirmationis minister est solus episcopus.

Prob. 1. ex sacris litteris. In Act. Apost. cap. 8. legitur: *Cum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis*, *quod recepisset Samaria verbum Dei*, *miserunt ad eos Petrum et Joannem* ... *Tunc imponebant manus super illos*, *et accipiebant Spiritum sanctum*. Si diaconus esset confirmationis minister, Philippus qui baptismum samaritanis administraverat conferre illis potuisset etiam confirmationem; quod si potestas haec simplici competeret sacerdoti, necesse non fuisset ut Jerosolyma Samariam venirent Petrus et Joannes apostoli ambo et episcopi. Venerunt tamen, ut ex allata patet sententia. Ergo jus ordinarium administrandi confirmationem ad solos spectat episcopos.

Respondent adversarii 1. Apostolos administrasse samaritanis confirmationem ut presbyteros, non ut episcopos. 2. Apostolos id egisse per extraordinariam, non per ordinariam potestatem. 3. Etiam Ananiam qui episcopus non erat confirmationem contulisse Paulo recens ad Christum converso.

Verum mera verba sunt haec. Atque ad 1. si Petrus et Joannes ut presbyteri, non ut episcopi samaritanos confirmarunt, quid est quod sacra Scriptura quoties de manuum impositione loquitur, semper illam tribuit Apostolis, non presbyteris? Cur universa Traditio munus confirmandi semper adscribit, ut mox videbimus, solis Apostolis eorumque successoribus episcopis?

Ad 2. In ep. ad Hebr. cap. 6. potestas imponendi manus recensetur ab Apostolo inter ordinaria munera quae sunt in Ecclesia in qua ab Apostolorum temporibus ad nostram usque aetatem consuetudo constanter viguit ut episcopi neophytis manus imponerent. Quod ergo fecerunt Petrus et Joannes, non de extraordinario sed de ordinario jure fecerunt.

Ad 3. Nego manuum impositionem per Ananiam factam Paulo fuisse confirmatoriam, praecessit enim ejusdem Pauli baptismum. Vel dici etiam potest Ananiam fuisse episcopum, quod insinuare videtur S. P. Augustinus lib. 2. quaest. evang. cap. 40. ubi scribit: *Paulus ... ad Ananiam missus est, ut illo sacerdotio quod in Ecclesia constitutum est, sacramentum doctrinae fidei perciperet.*

Prob. 2. ex Patribus. Cornelius rom. Pont. in ep. ad Fabianum, *Neque ab episcopo*, inquit, *consignatus est*. Cyprianus ad Jubajanum scribens ait: *Ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur*. Firmilianus in ep. ad Cyprian. *Ubi praesident majores natu, qui et baptizandi, et manum imponendi, et ordinandi possident potestatem*. Auctor anonymus qui contra S. Cyprianum scripsit haec habet: *Per manus impositionem episcopi Spiritum sanctum consuevisse praestari.* Patres illiberitani can. 38. *Ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit*. Chrysostomus in cap. 8. Act. Apost. ait: *Hoc erat in Apostolis singulare, unde et precipuos, et non alios videmus hoc facere*. Isidorus pelusiota in ep. ad Antiochum, *Petrus*, inquit, *et Joannes apostoli ab Jerosolymis ad eos descendentes, Spiritus sancti gratiam eis porrexerunt. Quod si is a quo baptismum acceperant, ex Apostolorum classe ac numero fuisset, Spiritus donandi potestatem profecto habuisset. At vero baptizabat dumtaxat ut discipulus: Apostoli autem gratiam explebant et perficiebant, ut qui hujusmodi muneris tribuendi potestatem atque auctoritatem divino beneficio accepissent.* Hieronymus in dial. adv. luciferianos affirmat Ecclesiae consuetudinem esse *ut in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum*. Innocentius I. in ep. ad Decentium: *Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Spiritum sanctum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum.* Gelasius I. in ep. ad episcopos Lucaniae: *Nec minus etiam presbyteros*

ultra modum suum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendae sibimet arripere facultatem. Et ne singulos recenseam Patres ecclesiasticosque scriptores, S. P. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 26. scribit: *Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia*.

Prob. 3. ex Conciliis. De illiberitano dictum paullo ante. Concilium hispalense 2. cap. 7. vetat simplicibus sacerdotibus ne confirment quia pontificatus apicem non habent. Concilium parisiense habitum an. 829. lib. 1. cap. 27. definit, jus confirmandi solis Apostolis ac Pontificibus Apostolorum successoribus, non autem discipulis eorumque successoribus convenire. Concilium florentinum approbavit Eugenii IV. instructionem pro armenis in qua statuitur, quod *ordinarius minister confirmationis est episcopus, et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre*. Concilii tridentini peremptorium canonem initio capitis recitavimus. Interim ex testimoniis sanctorum Patrum atque ex Conciliorum definitionibus apparet, non solum rem hanc, de qua cum haereticis disceptamus, ad fidei depositum pertinere, sed etiam praxim consuetudinemque Ecclesiae semper fuisse et adhuc perseverare ut sacramentum confirmationis de jure ordinario nonnisi ab episcopis conferatur.

CONCLUSIO II.

Simplex sacerdos esse potest extraordinarius minister confirmationis ex dispensatione.

Prob. 1. auctoritate Eugenii IV. qui in instructione pro armenis a florentino Concilio approbata postquam statuerat solum episcopum ministrum esse ordinarium confirmationis e vestigio subdit: *Legitur tamen aliquando per apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis sacramentum*.

Respondent adversarii. Eugenius IV. in laudata instructione affirmat tantum, legi apud scholasticos quosdam dispensatum cum simplicibus presbyteris fuisse ut confirmationem administrarent.

Ast decipiuntur qui ita respondent, nam in allati decreti proloquio habetur, decretum illud latum fuisse *post non mediocrem testimoniorum inspectionem quae ex sanctis Ecclesiae Patribus et doctoribus deducta sunt, et earum, de quibus agebatur, rerum discussionem*.

Prob. 2. ex sanctis Patribus quorum pauca seligimus. Auctor comment. in ep. Pauli qui sub S. Ambrosii nomine circumferuntur in cap. 7 ep. ad Ephes. *Apud Aegyptum*, inquit, *presbyteri consignant, si praesens non sit episcopus*. Auctor QQ. in vetus et novum testam. ait:

In Alexandria , et per totam Aegyptum , si desit episcopus, consecrat presbyter , quae consecratio pro confirmatione a compluribus accipitur. Gregorius magnus quum an. 593. sardiniensibus presbyteris prohibuisset ne baptizatos infantes signare in fronte chrismate praesumerent , sed eos tangerent in pectore , ut episcopi postmodum ungerent in fronte , cumque anno sequenti accepisset, quosdam scandalizatos fuisse quod presbyteros tangere in fronte eos qui baptizati sunt prohibuisset, respondet: *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus* , *sed si omnino hac de re aliqui contristantur* , *ubi episcopi desunt* , *ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos tangere debeant* , *concedimus* . Summi ergo Pontifices aliquando urgente necessitate potestatem fecere presbyteris ut confirmationem administrarent.

Respondent adversarii 1. Ambrosiastrum loqui de consignatione mere caeremoniali . 2. Auctorem QQ. in V. et N. Testam. verba facere de consecratione ordinandorum . 3. Gregorium vero magnum non confirmandi potestatem , sed caeremonialem quamdam inunctionem concessisse presbyteris sardiniensibus , tum quia de unctione loquitur quae fieri solebat ante baptismum , quum emendatiores codices habeant, *baptizandos* , non *baptizatos* , tum quia facultatem pronunciandi formam presbyteris non concessit.

Ast non sunt haec ad solvendum difficilia . Ad 1. enim consignationis nomine penes antiquos scriptores , non ritus quidam, non caeremonia , sed ipsum confirmationis sacramentum venit , et hoc in loco praesertim ubi dicitur facere presbyteros quod ab absentibus episcopis fieri oportebat . Porro episcopi consignando confirmationis sacramentum administrabant.

Ad 2. Nullum exstat in tota retro antiquitate exemplum ex quo probari possit presbyteros facultatem ab episcopis accepisse sacramentum ordinis conferendi . Imo Chrysostomus, Hieronymus, aliique absolute negant presbyteris ordinationem . Non ergo auctor ille loquitur de consecratione per ordinem , sed loquitur de consecratione per confirmationem .

Ad 3. Falsum est Gregorium loqui de caeremoniali quadam unctione , quum haec communis esset episcopo et presbytero , sed absolute loquitur de potestate conferendi confirmationem , nam in posteriori epistola concedit presbyteris quod in praecedenti illis negaverat . At in praecedenti negaverat illis administrationem confirmationis , ut ex ipsa lectione patet . Nec reponere juvat , in emendatioribus codicibus legi, *baptizandos* , non *baptizatos* , nam vel codices ab adversariis allati non sunt emendatiores , vel S. Pontifex pro eodem habet baptizandos ac baptizatos , propterea quod statim post baptisma infantes confirmabantur . Ideo autem non meminit formae , quoniam phrasis haec , *in fronte tangere* , *vel chrismate ungere baptizatum* , significat integrum confirmationis sacramentum .

Prob. 3. ex praxi tum orientalis tum occidentalis Ecclesiae . Et 1. quidem apud orientales collatam olim fuisse presbyteris confirmandi facultatem comprobatur non solum auctoritate Ambrosiastri et auctoris QQ. V. et N. Testamenti qui de consuetudine quae vigebat apud aegyptios

disserunt ut eorum sententiae paullo ante relatae praeseferunt, sed etiam ex Photio qui in supremum Ecclesiae pastorem rebellavit caussa confirmationis, ut capitis initio monuimus. Is enim in audacissima illa epistola contra Nicolaum I. ad omnes archiepiscopales orientis thronos data ita loquitur: *Illos qui a presbyteris chrismate uncti fuerant, iterum chrismare ipsi non horruerunt, episcopos seipsos jactitantes, et presbyterorum chrisma inutile, et frustra ab illis administrari portentose docentes.* Haec aliaque hujus generis quae in ea prostant epistola satis demonstrant jam ante Photii aetatem consuevisse presbyteros accepta a superioribus facultate confirmationem administrare, neque enim summis orientalis ecclesiae praesulibus imponere potuisset si tum primum confirmatio a simplicibus sacerdotibus conferri caepisset. Deinde Concilii florentini tempore apud graecos simplices presbyteri solebant ut etiam nunc solent conferre neophytis confirmationem. In eo autem Concilio, statuta cum latinis unione, facta graecis fuit facultas ut receptis tribus articulis fidei, in reliquis morem ecclesiae suae servarent. Atque haec pauca sufficiant quoad orientalem ecclesiam. 2. Etiam apud occidentales non raro concessa a summis Pontificibus fuit potestas simplicibus presbyteris administrandi confirmationem illis in locis ubi episcopi copia difficile admodum haberi a fidelibus potest. Wadingus enim, Henriquez, Suarez, Arcudius, Fervaquez, Poncius, aliique laudant diplomata summorum Pontificum Adriani VI. Joannis XXII. Eugenii IV. Nicolai IV. Urbani VI. Leonis X. quibus aut franciscanis aut jesuitis potestas conceditur sacramentum confirmationis administrandi apud indos, basilienses, aliasque barbaras gentes.

Respondent nonnulli ex adversariis. Aut lata diplomata falsa sunt, aut summi Pontifices tale concedentes privilegium fecerunt contra canones.

Verum insimulare mendacii et imposturae tam praeclaros probosque viros qui propriis oculis se conspexisse testantur summorum Pontificum diplomata, nimiae inurbanitatis est, et viro theologo indignum. Accusare autem violationis canonum summos Pontifices, nimiam arguit in accusatore libertatem, ne dicam audaciam et temeritatem.

CONCLUSIO III.

Ut valida sit confirmatio a simplici presbytero collata, necessaria est summi Pontificis delegatio vel saltem ejusdem approbatio.

Prob. ex decreto Eugenii IV. pro armenis in quo enunciatur simplices sacerdotes per apostolicae Sedis dispensationem sacramentum confirmationis administrasse. Etiam Clemens VI. in ep. ad patriarcham armenorum data an. 1351. haec inquit: *Primo de consecratione chrismatis, si credis quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, potest chrisma rite, et debite consecrari. Secundo si credis, quod sacramentum confirmationis per alium quam per episcopum, non potest ex officio or-*

dinarie ministrari. Tertio si credis, quod solum per romanum Pontificem plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti confirmationis presbyteris qui non sunt episcopi, committi. Quarto si credis, quod chrismati per quoscumque sacerdotes qui non sunt episcopi, nec a romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per episcopum vel episcopos sint chrismandi. Praeterea quum ad Benedictum XIV. delatum fuisset graecos in Italia et insulis adjacentibus existentes confirmationem accipere a simplicibus presbyteris juxta consuetudinem graecorum orientalium, summus Pontifex edita constitutione definivit, ut *Episcopi latini infantes seu alios in suis dioecesibus baptizatos a presbyteris graecis absolute chrismate in fronte consignatos confirment*, hac addita caussa, *cum neque per praedecessores nostros neque per nos graecis presbyteris in Italia et in insulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis sacramentum confirmationis conferant, facultas concessa sit aut concedatur*. Quare valida dici nequit confirmatio quae sine summi Pontificis delegatione a simplici presbytero administratur. Et ne quis obtendat nullibi legi a romanis Pontificibus facultatem concessam fuisse orientalibus presbyteris confirmandi, et nihilominus validam esse eorumdem orientalium confirmationem, animadverto romanos Pontifices graecorum consuetudinem optime novisse, et tamen numquam illam damnavisse aut correxisse, unde eam tacito saltem consensu approbarunt, quod satis est ad nostrae sententiae demonstrationem.

SCHOLION

Si quis quaerat quo saeculo summi Pontifices caeperint ex dispensatione potestatem concedere presbyteris latinis confirmandi? responderi poterit primum harum dispensationum vestigium nullibi occurrere in historia ecclesiastica ante Gregorii magni tempora qui primus ejusmodi facultatem presbyteris sardiniensibus concessit, ut supra observavimus. Ante saeculum autem nonum jam mos hic per presbyteros confirmandi apud occidentales undequaque desiit, quod ex facto Photii supra laudato liquido apparet; graeci enim saeculo nono crimini vertebant latinis quod confirmationem a presbyteris collatam improbarent. Ex facto eodem apparet quoque penes graecos consuetudinem per simplices sacerdotes confirmandi invaluisse ante saeculum nonum, nam Photius in ea querela contra Nicolaum I. de hoc more penes suos loquitur tamquam de re communiter in oriente recepta. Nec credas tamen consuetudinem illam praecessisse saeculum quartum vel quintum, nam S. Joannis Chrysostomi aetate jus confirmandi ad solos *praecipuos, et coriphaeos*, hoc est episcopos spectabat, ut ipse hom. in Act. Apost. diserte testatur.

CAPUT VII.

Explicantur simul et solvuntur adversariorum objectamenta.

Obj. 1. cont. 1. concl. I. nulla lex est sive divina sive ecclesiastica

quae solis episcopis jus ordinarium confirmandi tribuat. II. si jure divino solis episcopis competit confirmare, non potuit haec potestas concedi presbyteris. III. catholicorum haec sententia cohaeret cum systemate donatistarum, nam si soli episcopo munus confirmandi convenit, ergo valor sacramentorum pendet a dignitate ministri, quod affirmabant donatistae. IV. potest simplex sacerdos jure sibi proprio administrare baptismum, et eucharistiam conficere, quamvis duo haec sacramenta digniora sint confirmatione. Poterit itaque etiam conferre confirmationem quae minoris efficaciae et dignitatis est. Ita Photius et Calvinus.

Resp. ad 1. neg. ant. argumenta enim a nobis deprompta ex Actibus Apostolorum, ex Traditione, atque ex Conciliis nonne demonstrant lege statutum esse ut soli episcopi sint ordinarii ministri confirmationis?

Ad 2. Jure divino episcopi sunt ministri *ordinarii* confirmationis, presbyteris autem facultas facta est conferendi hoc sacramentum tamquam ministris *extraordinariis*.

Ad 3. Donatistae affirmabant valorem sacramentorum pendere a *sanctitate*, nos autem dicimus pendere a *dignitate* ministri. Ergo toto caelo differt a nostra sententia error donatistarum, alioquin donatistae essent catholici in eo etiam quod affirment solum episcopum esse ministrum ordinarium ordinis.

Ad 4. In iis quae ad sacramenta pertinent tota ratio facti est voluntas institutoris. Christus Dominus auctor sacramentorum voluit ut baptismus propter necessitatem conferri posset etiam a laicis, eucharistia ut conficeretur a solis presbyteris, confirmatio et ordo ut administraretur a solis episcopis.

Obj. 2. adv. eamd. concl. I. Concilium illiberitanum can. 38. haec habet: *Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero, aliquos baptizaverit, hi per benedictionem perficiantur*, hoc est confirmentur. Igitur, inquit Dallaeus, si baptisma collatum fuisset non solum ab episcopo sed etiam a presbytero, confirmatio statim post baptismum ab hoc quoque collata fuisset. II. duo Concilia carthaginensia 2. nempe et 3. definiunt ne chrisma deinceps fiat a presbyteris, ergo ante haec presbyteri chrisma conficiebant. III. Concilium toletanum 1. ita habet: *Statutum est, diaconum non chrismare, sed presbyterum absente episcopo, praesente vero, si ab ipso fuerit praeceptum*. IV. synodus 1. arauxicana can. 1. definit: *Haereticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit episcopus, a presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit*. V. hispalensis 2. synodus affirmat presbyteris vetari confectionem chrismatis et consignationem novellis ecclesiasticis regulis, ergo non de jure divino etc. VI. canon 5. synodi regiensis ita statuit: *Visum est omni presbytero, per familias, per agros, per privatas domos pro desiderio fidelium facultatem benedictionis aperire ... In ecclesia quoque in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum jus habebit*. VII. Concilium 2. barcinonense can. item 2. praescribitur, *Ut cum chrysma presbyteris dioecesanis datur pro*

neophytis confirmandis, nihil pro liquoris pretio accipiatur. Quae lex in multis aliis Conciliis lata est.

Resp. ad 1. Miror Dallaei confidentiam qui suae mentis praejudicia conspicit in monumentis etiam sibi contrariis. Sensus illiberitani Concilii quem ipsa lectio exhibet, est, ut si quis a diacono baptizatus fuerit, ille subinde confirmetur ab episcopo. Genuina verba dedimus in probationibus cap. superiori.

Ad 2. Inobedientia aliquot presbyterorum vel usurpata ab iisdem jurisdictio nequit legem statuere circa ea quae pertinent ad sacramenta. Laudata duo Concilia tandem nihil aliud demonstrant nisi in Africa aliquos fuisse presbyteros qui jus sibi usurpaverunt conficiendi chrismatis, quod vetitum illis ab hisce duobus Conciliis fuit. Imo eadem prohibitio facta presbyteris fuerat etiam antecedentibus temporibus, nam in can. 3. Concilii 2. carthaginensis legitur, Fortunatum episcopum ita loquutum fuisse: *Memini praeterito Concilio fuisse statutum ut chrisma vel reconciliatio poenitentium nec non et puellarum consecratio a presbyteris non fiant.*

Ad 3. Praeter chrismationem frontis quae fit in administratione confirmationis, est et chrismatio verticis quae fit in collatione baptismi, ut saepe monuimus. Haec ante Sylvestri summi Pontificis tempora non fiebat nisi ab episcopo. Sylvester autem illam concessit presbyteris in casu necessitatis, *et absente episcopo.* Tum Innocentius I. an. 416. indulsit illam presbyteris *sive extra episcopum, sive praesente episcopo*, ut constat ex hujus Pontificis ep. ad Decentium. Concilium ergo toletanum declarat, juxta Sylvestri concessionem, ut presbyteri chrismarent in vertice, *absente episcopo; praesente vero, si ab ipso fuerit praeceptum.*

Ad 4. Haeretici ad catholicam Ecclesiam redeuntes si confirmati non erant recipiebantur in Ecclesia ab episcopo per unctionem sacramentalem, hoc est per confirmationem. Quod si confirmati jam erant, et in mortis periculo inveniebantur, absente episcopo recipiebantur a presbyteris adhibita unctione sacra quidem, non autem sacramentali. Itaque de hac chrismatis unctione seu consignatione arauxicani 1. Concilii Patres loquuntur.

Ad 5. Sunt nonnulli qui putant Concilium hispalense per novellas et ecclesiasticas regulas intelligere non recentes ecclesiasticas constitutiones, sed praeceptiones novi Testamenti et Ecclesiae; propterea quod ex tota canonis serie apparet fieri ibi oppositionem inter quaedam veteris ac novi Testamenti placita. Sed admisso etiam sermonem ibi fieri de constitutionibus Ecclesiae, nihil tamen inde adversum nos colligere possunt adversarii, nam novellae et ecclesiasticae regulae sunt recentiores veteresque Ecclesiae constitutiones, quum ibi laudetur veterum auctoritas canonum, et ratio afferatur quae pro antiquo etiam tempore valet; dicitur enim non convenire presbyteris chrismationem, *quia Pontificatus apicem non habent, quem solis deberi episcopis auctoritate canonum praecipitur, ut per hoc et discretio graduum, et dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur.*

Ad 6. Duo sedulo distinguenda sunt jura laudato in argumento canone, jus nimirum impertiendi benedictionem, et jus consecrandi virginem,

confirmandique neophytum. Primum jus seu facultas benedicendi omni conceditur indiscriminatim presbytero. Non sic autem alterum quod ad solum Armentarium restringitur, hic enim ab episcopatu dejectus unius parochiae administrationem ex Patrum consensu suscepit; cumque episcopalem retineret characterem Patres Concilii potestatem ei concesserunt ut absente episcopo virgines consecraret, confirmaretque neophytos.

Ad 7. Non desunt qui allatum in argumento canonem intelligunt de chrismate adhibendo a presbyteris in administratione baptismi in quo conferendo unctio fit verticalis. Ut ut sit, canon jubet tantum ut chrisma gratis distribuatur presbyteris, non ut ab ipsis adhibeatur. Si quis autem quaerat quem usum facerent presbyteri sacri chrismatis, respondetur illud asservasse ut adhiberetur ab episcopo dum dioecesim lustraret.

Obj. 3. cont. eamd. 1. concl. I. Ambrosiaster, et auctor. QQ. novi et veteris Testamenti, de quibus capite praecedenti, affirmant antiquis temporibus simplices presbyteros confirmationem administrasse. II. in libro pontificali Damaso tributo, et in brevi epilogo Concilii romani sub Sylvestro legitur Pontificem hunc primum constituisse ut episcopus baptizatum consignet, uno excepto casu si baptizatum presbyter in mortis periculo esse videat, qua occasione ei concedit ut baptizatum chrismet. Ex quo duo eruuntur, primum, non esse de jure divino ut episcopus minister sit ordinarius confirmationis, alterum, etiam simplices presbyteros in casu necessitatis posse confirmationem administrare. III. S. Hieronymus in dial. adv. lucifer. *Si ad episcopi*, inquit, *tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in remotioribus locis per presbyteros baptizatos ante dormierunt, quam ab episcopis inviserentur*. Paullo ante dixerat, *hanc esse Ecclesiae consuetudinem* ut episcopus baptizatos a presbyteris et diaconis consignet, eamdemque consuetudinem inductam *ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem*. Idem s. doctor in ep. 101. ad Evangelum inquit: *Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod non faciat presbyter?* Ex quibus eruitur 1. In remotioribus locis quo non perveniunt episcopi conferri chrismationem a simplicibus presbyteris. 2. Jus confirmandi ob honorem sacerdotii tributum fuisse episcopis non a Deo, sed ab Ecclesia. 3. Presbyteros ab episcopis differre in jure conferendi ordinem, non administrandi confirmationem. 4. Gregorius magnus in ep. ad Januarium, de qua superiori capite, prohibet presbyteris sardiniensibus baptizatorum consignationem in fronte. In insulis ergo Italiae adjacentibus in more habebant presbyteri confirmationem administrare. S. idem Pontifex ait se vetare presbyteris chrismationem secundum usum Ecclesiae romanae, quare de lege ecclesiastica est, non de jure divino ut soli episcopi sint ordinarii ministri confirmationis. 5. Beda in psal. 26. ita scribit: *Sciendum est, quod illa unctio quae per manus impositionem ab episcopis quasi alia a duabus praedictis, et vulgo confirmatio dicitur, eadem est cum secunda, nempe verticali, propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut et multa alia.* Episcopis ergo non de jure divino, sed propter arrogantiam presbyterorum delatus est honor confirmandi.

Resp. ad 1. Ambrosiastrum, et auctorem QQ. V. et N. Testamenti loqui de confirmatione collata apud aegyptios a presbyteris tamquam ministris extraordinariis.

Ad 2. dico 1. Pontificale Damaso tributum opus supposititium esse, nullaque fere dignum fide, de qua re vide Baronium et Bellarminum. Idem dicendum de Concilio Romae habito sub Sylvestro an. 325. et de ejusdem Concilii brevi epilogo. 2. Admissa etiam illorum scriptorum auctoritate nihil contra catholicam sententiam sequitur; Sylvester enim lege sua statuit quod jam ab apostolica traditione fuerat constitutum, ut nempe solus episcopus confirmationem administret. Nec obstat quod ibidem legatur, *constituit*, et *privilegium dedit episcopis*, nam phrasis isthaec non primam institutionem, sed veteris institutionis confirmationem significat. Quod patet ex subsequentibus, dum narratur Sylvestrum constituisse ut sacrificium altaris in lineo tantum panno celebraretur, ubi verbum *constituit* significat confirmavit, quum sacer ille ritus jam ab Eusebio ejus praedecessore statutus esset. Privilegium autem chrismatis concessum presbyteris in casu necessitatis respicit unctionem dumtaxat verticalem.

Ad 3. Ut Hieronymi mentem assequamur, sciendum est eo loci s. doctorem refellere Helladium luciferianum qui in inter cetera affirmabat, *posse aliquem baptizari, et tamen non habere Spiritum sanctum*, quem baptizato conferre nequit nisi solus episcopus dum confirmationem illi administrat, unde luciferianus sic orthodoxum alloquitur: *An nescis ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, et ita invocetur Spiritus sanctus?* Hieronymus ergo ut illum refellat errorem totus est ut demonstret in baptismate recipere cathecumenos Spiritum sanctum, neophytum autem per manuum impositionem quae fit ab episcopo perfici in fide et in accepta per baptismum justitia. Errorem autem esse non tolerandum, credere baptismum sacramentum Spiritu sancto vacuum, quum illud sit necessarium necessitate salutis, non sit vero confirmatio, quum etiam non consignati salutem consequantur aeternam. His itaque bene perpensis facilis est ad singula responsio. Dum inquit Hieronymus eos qui in remotioribus locis quo non perveniunt episcopi, dormiunt, salutem consequi aeternam, sensus est, consequi illos salutem non per confirmationem, sed per baptismum a presbytero vel diacono acceptum, quoniam falsum est Spiritum sanctum non dari nisi per confirmationem quae administrari ab episcopo debet. Dum vero inquit episcopos confirmare *ex consuetudine*, loquitur non de consuetudine jure humano inducta, sed innixa apostolicae traditioni; postquam enim dixerat orthodoxus, *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiae consuetudinem, ut .... episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat etc.* statim subdit: *Quod si hoc loco quaeras, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit*. Quod ait Hieronymus,

facultatem confirmandi datam fuisse episcopis *ad honorem potius sacerdotii*, *quam ad legis necessitatem*, dictum est ad significandum confirmationem non ejusdem esse necessitatis ac sit sacramentum baptismi; unde hujus, non illius conferendi facultas concedenda erat etiam presbyteris et diaconis; hinc e vestigio subdit: *Alioqui si ad episcopi tantum imprecationem etc.* Superest modo diluendum quod depromptum est ex ejusdem Hieronymi ep. ad Evangelum. Scopus illius in hac epistola est demonstrare, diaconos praeferendos non esse presbyteris, ut nonnulli contendebant: quod ut praestet, presbyterorum dignitatem extollit et amplificat, in multis eos comparando episcopis, ac praesertim in eo quod etiam simplices sacerdotes corpus ac sanguinem Christi, non secus ac episcopi conficiant. Ne autem in ea comparatione instruenda videretur excedere, discrimen aliquod inter episcopum simplicemque presbyterum statuit, illudque in jure ordinandi reponit, nec potestatis confirmandi meminit, quoniam scopus ejus non erat de discrimine quod inter presbyterum et episcopum, sed de discrimine quod inter diaconum et presbyterum intercedit verba facere. Quod autem tacuerat in ep. ad Evangelum fuse persecutus est in dial. adv. luciferianos, ut paullo supra animadvertimus.

Ad 4. Argumentum ex magno Gregorio depromptum demonstrat dumtaxat ea aetate fuisse nonnullos presbyteros qui episcoporum dignitatem sibi arrogabant, quemadmodum plures quoque fuere diaconi qui non solum se aequabant, sed se praeferebant presbyteris. Quod ergo sardinienses nonnulli presbyteri arroganter sibi usurpaverant trahi non potest ad legitimam consuetudinem aliarum ecclesiarum. Usus autem Ecclesiae romanae, quem citat Gregorius, juris est ecclesiastici simul et divini, quoniam utroque jure vetitum est presbyteris confirmationem administrare.

Ad 5. Respondet Aurelius locum Bedae esse corruptum. Et revera primum illius periodi membrum proculdubio imperfectum generat sensum, ut legenti patet. Alterum vero contrarium omnino est Bedae doctrinae alibi traditae, et praesertim in cap. 8. Act. Apost. ubi de Philippo sic loquitur: *Si Apostolus esset, ipse utique manus imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum; hoc enim solis pontificibus debetur, non autem presbyteris: quibus sive extra episcopum, sive praesente episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod fuerit ab episcopo consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo consignare, quod solis debetur episcopis cum tradunt Spiritum sanctum*. Responderi etiam potest unctionem verticalem per Bedam non distingui ab ea quae fit in fronte ab episcopo quantum ad materiam chrismatis, non quantum ad reliqua.

Obj. 4 adv. 2. concl. I. romana Ecclesia sub Nicolao I. summo Pontifice invalidam declaravit confirmationem bulgaris administratam a simplicibus presbyteris in Bulgariam missis per Photium patriarcham C-P. Simplices ergo sacerdotes nequeunt esse hujus sacramenti ministri etiam ex delegatione. II. Innocentius quoque III. cum rescivisset simplices

nonnullos presbyteros constantinopolitanos confirmationem administrare, gravissimam ad Lucium vicarium suum dedit epistolam qua jubet ut presbyteri omnes talia facere non praesumant: *Discretioni tuae*, inquit, *per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus omnibus presbyteris distincte prohibeas ne talia de cetero sua temeritate praesumant.* III. Innocentius IV. in constitutione *sub catholica*, jussit ut in regno Cypri ubi erant episcopi quoque graeci, *soli episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos quia hujus unctio non debet nisi per episcopos exhiberi.* IV. Concilium senonense habitum an. 1528. decreto 38. improbat consuetudinem qua abbates confirmationem administrare contendebant. Multominus igitur poterunt illam administrare simplices presbyteri. Cetera argumenta a scholasticis afferri solita adversus hanc nostram sententiam vide collecta et fuse feliciterque explicata atque soluta apud continuatorem Witassii, neque enim instituti nostri ratio patitur ut singula persequamur.

Resp. ad 1. Multas easque legitimas habuit Nicolaus I. caussas ut confirmationem a presbyteris photianis administratam irritam declararet. 1. Photius ejusque presbyteri hoc detinebantur errore, ut crederent simplices sacerdotes de jure ordinario potestatem habere confirmandi. Vide ejusdem Photii epistolam contra Nicolaum pontificem. 2. Aliqui ex graecis qui bulgaros confirmaverant revera sacerdotes non erant, sed presbyteros se esse jactabant, quod constat ex rescriptis Nicolai I. ad consulta bulgarorum. 3. Presbyteri a Photio in Bulgariam missi erant suspensi et excommunicati, et chrisma adhibebant consecratum a Photio pseudo-patriarcha, adeoque suspenso pariter et excommunicato. 4. Bulgari tunc temporis pluribus titulis subjiciebantur romanae Sedi, ut ex universa ecclesiastica historia patet. His ergo de caussis Nicolaus I. jure meritoque praecepit ut confirmati a photianis presbyteris iterum confirmarentur, quamvis aliunde certum sit posse presbyteros confirmationem administrare ut ministros extraordinarios ex delegatione.

Ad 2. Nonnulli erant Constantinopoli latini presbyteri qui grecorum consuetudinem imitantes sacramentum confirmationis administrabant. Quod quum ad romanum Pontificem delatum fuisset, per Lucium vicarium suum prohibuit ne talia deinceps praesumerent. Unde non pro omnibus presbyteris indiscriminatim, sed pro omnibus latinis lex illa lata est. Quare emendatiores codices habent: *quatenus omnibus presbyteris latinis distincte prohibeas ne talia de cetero sua temeritate praesumant.*

Ad 3. In insula Cypri ubi cum graecis episcopi erant latini dissidia oriri caeperunt circa ritus et sacramenta. Jussit ergo Innocentius IV. ut in sola Cypri insula, non in reliquis orientalibus provinciis, non presbyteri, sed episcopi frontem neophytorum consignarent. Quid aequius quam ut ubi sunt ministri ordinarii sacramentorum, extraordinarii sacramenta non conferant?

Ad 4. Plures abbates in Gallia potestatem sibi arrogaverant confirmandi neophytos. Interrogati ab episcopis quo jure id facerent? ad prae-

scriptam consuetudinem provocabant. Cumque haec consuetudo apud occidentales numquam universaliter invaluerit, merito senonensis Synodi Patres interdixerunt abbatibus praesumptam potestatem confirmandi. Hanc esse mentem laudati Concilii liquido patet ex eo quod si quis inter illos *privilegium* se habere affirmaret, *requisitus a suffraganeis de privilegio fidem facere teneretur*.

CAPUT VIII.

De sacramenti confirmationis effectibus.

Lutherani et calvinistae quum e sacramentorum numero temere confirmationem expungant, ut sibi ipsis cohaereant docent proinde nullum confirmationem producere effectum; virtutemque illam quam catholici confirmationi adscribunt tribuunt ipsi vel eucharistiae, ut Lutherus in lib. de captivitate babylon. vel baptismo, ut Kemnitius in exam. Conc. trid. et Calvinus in instit. lib. 4. et alibi, vel utrique sacramento, ut Joannes Dallaeus lib. 1. de confirm. cap. 2.

Catholici omnes econtra duos a confirmatione produci affirmant supernaturales effectus, characterem videlicet, et gratiam sanctificantem. De charactere nihil hoc in loco dicemus quum de illo satis pro instituti nostri ratione disputatum a nobis sit in lib. de sacramentis in genere. Pertractabimus ergo et quidem breviter de gratia sanctificante dumtaxat. De qua non una est theologorum opinio, nam licet omnes unanimi consensione affirment confirmationem producere in subjecto gratiam sanctificantem, discrepant tamen inter se in illius assignanda natura. Quidam enim apud S. Bonaventuram in 4. dist. 7. art. 2. q. 2. dicebant gratiam sanctificantem baptismi differre a sanctificante gratia confirmationis essentialiter sicut virtutes et dona. Alii post Alexandrum alensem arbitrantur utramque hanc sanctificantem gratiam differre in essentia sicut morbi contra quos ordinantur. SS. Thomas et Bonaventura ambas illas gratias differre tantum existimant secundum magis et minus. Nos postquam catholicam sententiam contra protestantes firmaverimus, mentem nostram aperiemus circa scholasticam controversiam, unde sit

CONCLUSIO I.

Sacramentum confirmationis gratiam confert sanctificantem.

Propositionis hujus veritas manifeste sequitur ex dictis, si enim confirmatio est novae legis sacramentum, ut contra recentiores haeterodoxos demonstravimus, et singula novae legis sacramenta sanctificantem gratiam et quidem *ex opere operato* producunt, ut agentes de sacramentis in genere diximus, jam sua sponte sequitur sacramento hoc gratiam conferri sanctificantem. Nihilominus ad uberiorem veritatis explanationem.

Prob. 1. ex sacris litteris, et quidem ex locis illis in superioribus capitibus allatis, in quibus apertissime et absque ulla ambiguitate verborum narratur Apostolos per manuum impositionem contulisse recentibus fidelibus Spiritum sanctum, non consistentem dumtaxat in gratiis gratis datis, sed in virtute quoque Spiritus supervenientis ex alto, et in corde fidelium inhabitantis; sed Spiritus sanctus inhabitans in corde fidelium est gratia sanctificans, ergo confirmatione confertur gratia sanctificans.

Prob. 2. ex Patribus quorum testimonia in antecedentibus recitavimus, quibus haec pauca addimus. S. Cyrillus jerosol. catech. 3. mystag. *Corpus quidem*, inquit, *visibili unguento illo perungitur, anima vero sancto vivificoque Spiritu sanctificatur*. Theodoretus in Cant. Cantic. ad cap. 1. scribit: *Qui velut sigillum quoddam regium suscipiunt, spiritualis unguenti chrisma, recipiunt gratiam invisibilem sanctissimi Spiritus unguento tamquam in typo*. S. P. Augustinus lib. 2. cont. litter. Petiliani cap. 105. explicans illa psalmi verba, *sicut unguentum in capite etc.* inquit: *Ergo ad eos qui sunt fortes in Ecclesia ejus, et adhaerent ori ejus, ut sine timore praedicent veritatem, ab ipso Christo tamquam a capite sanctum descendit unguentum, idest sanctificatio spiritalis ... et in hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut et ipse baptismus*. Isidorus hispalensis lib. 6. Orig. cap. ult. *Sicut in baptismo*, inquit, *peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur.*

CONCLUSIO II.

Gratia sanctificans quam confirmatio producit est augmentum gratiae tribuens baptizato perfectionem ac robur.

Prob. 1. ex ecclesiasticis definitionibus. Concilium illiberitanum can. 38. definit quod si baptizatus in articulo mortis *supervixerit, ad episcopum eum perducat ut per manus impositionem perfici possit*. Et can. 77. *Episcopus*, inquit, *eos per benedictionem perficere debebit.* Concilium florentinum ait: *Effectus hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen*.

Prob. 2. ex Patribus. Tertullianus in lib. de resurr. carn. cap. 8. *Caro*, inquit, *ungitur ut anima consecretur: caro signatur ut et anima muniatur.* Cyprianus in ep. 73. ait baptizatos praepositis Ecclesiae offerri ut per orationem et manuum impositionem *Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consumentur*. Auctor inter opera Cypriani scribit: *Ex hujus unctionis beneficio, et sapientia nobis, et intellectus divinitus datur; consilium et fortitudo caelitus illabitur; scientia, pietas, et timor supernis inspirationibus infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur.* Cyrillus jerosol. catech. 3. mystagog.. *Ut Salvator*, inquit, *post baptismum, et illum Spiritus sancti*

adventum, egressus in praelium devicit adversarium, sic et vos post sacrum baptisma, et chrisma mysticum induti armis Spiritus sancti, adversus vobis oppositam potestatem consistatis, et praeliemini. Ambrosius lib. 3. de sacramentis cap. 2. *Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* S. Hilarii arelatensis nimis pulchra sententia est quam ut praeteriri possit, etiamsi paullo prolixa sit, perspicue enim rem totam exponit. Is ergo hom. in Pentecoste sic inquit. *Quod nunc in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donavit universis. Sed quia diximus, quod manus impositio, et confirmatio ei qui jam renatus in Christo est conferre aliquid possit, forte cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis, ministerium confirmationis? Aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus. Non ita est, dilectissimi ..... Sic enim exigit militaris ordo, ut cum imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum, ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adjumenta militiae. Numquid prodest, si quisquam parentum magnam parvulo conferat facultatem, nisi providere studeat et tutorem? ..... Ergo Spiritus sanctus qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum praestat ad gratiam. Quia hoc in mundo tota aetate victuris inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo alimur, post baptismum roboramur. Ac sic continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia.* Innumera alia Patrum testimonia brevitati studens consulto praetereo.

COROLLARIUM

Ex dictis collige, merito a sacra parisiensi facultate damnatas fuisse an. 1631. sequentes propositiones. 1. *Catholicos chrismate unctos in baptismo, licet ab episcopo non confirmatos, perfectos esse christianos in sensu Patrum.* 2. *Infero anglos catholicos qui baptizantur ritu catholico, vel qui recipiunt caeremonias catholicas baptismi, licet non fuerint confirmati ab episcopo, fuisse et esse perfecte christianos omni modo.* Tribuunt enim unctioni verticali adhiberi solitae in collatione baptismi effectum confirmationis proprium, ipsumque proinde confirmationis sacramentum evertunt. Exceptae fuerunt allatae propositiones cum aliis triginta duabus ex libro edito a Joanne floydo societatis Jesu sub nomine Danielis a Jesu, cui titulus: *Apologia pro modo procedendi sanctae Sedis apostolicae etc.* in quo demonstrare conatur auctor, urgente persecutione nihil opus esse episcopo.

CONCLUSIO III.

Gratia confirmationis non differt a gratia baptismi nisi connotative, nec illa dici potest perfectior hac absolute, sed tantum comparative.

Prob. prior concl. pars brevissime. Distingui unam gratiam ab alia connotative, est distingui illam non secundum essentiam, sed secundum effectus; ejusmodi est distinctio inter gratiam confirmationis et gratiam baptismi, haec enim delet originale peccatum, et vitam concedit spiritualem, illa vero dat robur et fortitudinem, pusillanimitatemque aufert ab anima. Hinc S. Thomas 3. p. q. 72. art. 3. inquit gratiam sacramentalem addere *super gratiam gratum facientem aliquid effectivum specialis effectus ad quod ordinatur sacramentum*. Et S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 2. q. 2. *In sacramentali gratia*, inquit, *et est gratia gratum faciens, et effectus specialis quem habet virtute sacramenti: et in quantum gratum faciens una est, sed ratione effectuum distinguuntur.*

Prob. altera pars concl. verbis S. Bonaventurae qui laudato nuper loco ita scribit: *Quando ergo fit comparatio gratiarum, potest fieri dupliciter. Uno modo cum praesuppositione: et sic omnino major est gratia confirmationis, quam baptismalis, sicuti bene et perfecte vivere, melius est quam vivere, quia hoc addit ad illud, et complet. Si autem intelligatur praecise, an scilicet haec gratia quae additur, sit major vel minor, dicendum sine dubio, quod non est tantae efficaciae, ut patet, quia vivificare mortuum major gratia est, et potentia, quam jam vivificatum sanare vel fortificare, praecise loquendo. Sed cum praesuppositione majus est esse vivum et sanum, quam vivum tantum.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cont. 1. et 2. concl. I. in sacris litteris nullibi legitur confirmationem aut gratiam sanctificantem conferre, aut perfectionem et robur. Quae autem ad sacramenta spectant ex Scripturis esse petenda nemo non novit. II. imo si Scripturas sedulo consulamus, inveniemus effectus illos quos catholici confirmationi tribuunt adscribendos esse baptismati, ait enim Apostolus ad Gal. cap. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Qui autem Christum induit, omnia illius dona proculdubio recipit.

Resp. ad 1. Jam saepe repetitum est inconcussum illud catholicorum principium, non solam Scripturam videlicet, sed et Traditionem esse regulam fidei; quare etiamsi in sacris litteris expresse non haberetur confirmationem sanctificare neophytum, illique gratiam roboris et perfectionis tribuere, quum id expressissime constet ex Traditione, tamquam fidei dogma est amplectendum. Sed falsum est jactatum illud ab adversariis Scripturae silentium. Relege quae scripsimus inter concl. probationes. Quibus

addo Cypriani sententiam ex ep. 73. ad Jubajanum: *Samaritani a Philippo diacono, quem iidem Apostoli miserant, baptizati erant, et idcirco quia legitimum, et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat id a Joanne et Petro factum est*. Quid autem samaritanis deerat nisi gratia roboris et perfectionis?

Ad 2. Dico 1. argumentum illud nimis probare, si enim Apostoli sententia de omnibus donis intelligenda sit, in eucharistiae sacramento nullum recipimus donum, quod nec ab adversariis admittitur. 2. Qui ergo Christum induunt per baptismum recipiunt quidem omnia dona, sed quae propria illius sunt sacramenti, remissionem videlicet peccatorum, filiorum adoptionem, fraternitatem Christi, jus ad haereditatem etc. Qui vero recipit confirmationem habet dona huic sacramento propria, robur nempe, fortitudinem, perfectionem etc.

Obj. 2. adv. easd. concl. 1. Ut quis perfectus sit christianus, satis est ut sanctificatus sit per baptismum, ait namque Cyprianus in ep. ad Stephanum: *Tunc demum* (homines) *plene sanctificari, et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque* (aqua nimirum et Spiritu sancto) *nascantur*; plenitudo ergo et perfectio effectus est baptismi, non confirmationis. 2. Idem Cyprianus in ep. 54. ad Cornelium eucharistiae, non confirmationi fortitudinem ac robur contra fidei hostes adscribit; ait siquidem: *Idoneus esse non potest ad martyrium qui ab Ecclesia non armatur ad praelium, et mens deficit, quam non recepta eucharistia erigit, et accendit*. 3. Concilium denique milevitanum tamquam fidei dogma definiit omnem plenitudinem gratiae etiam contra futuras tentationes tribui sacramento baptismi; ait enim: *Qui dicit baptismum in remissionem peccatorum dari tantum, et non ad adjutorium futurae gratiae, anathema sit*.

Resp. ad 1. Duplex est plenitudo gratiae, plenitudo sufficientiae, et haec datur in baptismo, et plenitudo ad fortiter resistendum, et haec datur in confirmatione. Ita Guillelmus altissiodorensis lib. 4. tract. 4. cap. 1. Cyprianus ergo adscribit baptismo plenitudinem gratiae christianae sufficientem ad salutem; quae plenitudo tamen perficitur et consummatur per confirmationem, teste eodem Cypriano in ep. ad Jubajanum.

Ad 2. Adversariorum argumentum demonstrat eucharistiam conferre robur fideli sine ullo praejudicio baptismi, eccur ergo baptismali gratiae praejudicium affert gratia confirmationis? Cyprianus ergo laudato in argumento loco verba facit de fidelibus illis qui tempore persecutionis christianae renuntiaverant religioni, atque adeo baptismi et confirmationis gratiae jacturam fecerant. Hortatur itaque illos ut amissam roboris gratiam recuperent per poenitentiam et eucharistiam, neque enim robur ad nova subeunda praelia acquirere poterant per sacramentum confirmationis quod iterari non potest.

Ad 3. Pelagiani dicebant gratiam baptismi ita consistere in sola remissione peccatorum, ut nihil omnino influat in opera supernaturalia quae

fiunt post baptismum, quaeque solis naturae viribus deputabant. Hos ergo milevitana synodus in allato canone perstringit. Quid autem sententia nostra commune habet cum errore illo pelagianorum?

Obj. 3. cont. easd. concl. 1. Ex sententia catholicorum sequitur baptismum inchoare dumtaxat christianos, confirmationem vero illos perficere. Verum hoc est absurdum, ut per se manifestum est. 2. Sequitur etiam Apostolos multosque martyres quos certum est confirmationem non recepisse, perfectos non fuisse christianos, quod ridiculum est. 3. Multorum episcoporum negligentia qui raro dioecesanos suos confirmant satis ostendit non tanti momenti esse jactatum a romanis confirmationis sacramentum, alioquin in propriis dioecesibus passi fuissent tales episcopi multos semi-christianos.

Resp. ad 1. Sacramentum baptismi dici potest inchoare, sensu non malo, christianos, non quod imperfectam vitam eis tribuat, hoc enim impium esset, sed quum sit sacramentum regenerationis, quatenus primordia et infantiam christianismi tribuit, juxta illud Petri 1. ep. cap. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite*. Confirmatio autem perficit christianum, quoniam illi tribuit perfectionem, virtutem, robur, augmentum, consummationem, juxta sanctorum Patrum phrasim.

Ad 2. dico 1. confirmationem non esse sacramentum necessarium ad salutem necessitate medii ut baptismus; hinc Apostoli et martyres vel ex hoc solo capite aeternam sine confirmatione consequi potuissent salutem. 2. Apostoli non fuerunt speciali ritu confirmati, quoniam in die Pentecostes effectus omnes confirmationis a Spiritu sancto sub visibili specie acceperunt. 3. Martyres vel baptizati erant vel catechumeni. Si primum, jam confirmati erant, quoniam statim post baptisma conferebatur antiquitus confirmatio: *Egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione*, ut inquit Tertullianus in lib. de bapt. Si secundum, flagrantissima qua ardebant fides sicut supplebat vices baptismi, ita et confirmationis.

Ad 3. Nescio an umquam fuerint episcopi adeo oscitantes ut confirmare neglexerint suos dioecesanos. Si extiterint aut adhuc extant rei procuIdubio sunt violatae legis. Ceterum fideles non confirmati a nullo Patrum appellati umquam sunt semi-christiani.

CAPUT IX.

De necessitate et caeremoniis sacramenti Confirmationis.

Quoad necessitatem confirmationis non haereticos modo qui illam e sacramentorum albo expungunt, sed et Laymanum, et Bonacinam, et Navarrum, sexcentosque alios laxiores casuistas, imo et societatis Jesu theologos illos qui elapso proxime saeculo editis scriptis persuadere conati sunt, nihil urgente persecutione opus esse episcopo, patimur adversarios; nam communis theologorum opinio cui nos subscribimus tenet confirmationem non esse absolute necessariam necessitate medii ad salutem, esse ta-

men necessariam sive in re sive in voto necessitate praecepti non solum ecclesiastici, sed etiam divini. Quid sit autem diversa illa necessitas norunt omnes, et alibi nos explicavimus.

Ejusdem autem sacramenti caeremoniis non obloquuntur nisi recentiores protestantes qui quadam spiritus levitate ducti omnia etiam in re sacramentaria conati sunt renovare, atque ut sectatoribus suis suaderent, merito se ab Ecclesiae romanae communione recessisse, ex sacris ritibus quoque caeremoniisque occasione arrepta eam superstitionis et violatae veterum christianorum simplicitatis accusare numquam desinunt. Nostrum itaque erit post demonstratam confirmationis necessitatem nonnullos eosque praecipuos hujus sacramenti ritus explicare, quod quum praestiterimus, simul apparebit quam antiquae sint et in universali Ecclesia receptae confirmationis caeremoniae. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Quamvis confirmatio non sit absolute necessaria necessitate medii ad salutem, est tamen necessaria sive in re sive in voto necessitate praecepti tum ecclesiastici tum divini.

Prob. 1. concl. pars. I. Concilium illiberitanum can. 77. ita statuit: *Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit: quod si ante de saeculo recesserit, sub fide qua quis crediderit, poterit esse justus*. II. S. Hieronymus in dial. adv. lucif. *Multis in locis*, inquit, *idem factitatum reperimus ad honorem potius sacerdotii quam ad legis necessitatem; alioqui si ad episcopi tantum deprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in viculis aut in castellis aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati ante dormierunt quam ab episcopis inviserentur*. III. Ecclesiae consuetudo semper fuit ut non tanta angeretur sollicitudine in confirmandis neophytis quam in catechumenis baptizandis. Quod certe non fecisset si confirmationem necessariam existimasset necessitate medii ad salutem. IV. tandem fide tenendum est, nihil damnationis post baptismum in renato remanere, ut definivit Concilium tridentinum. Si ergo statim post baptismum et ante susceptam confirmationem ex hac vita migraverit, nil remorabitur quin in vitam aeternam ingrediatur.

Prob. altera pars concl. confirmationem nempe necessariam esse necessitate praecepti ecclesiastici. I. ex Conciliis, nam illiberitanum can. 38. ait: *Si supervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit*. Laodicenum can. 48. *Oportet eos qui illuminantur, post baptismum inungi supercaelesti chrismate*. Parisiense 6. lib. 1. cap. 33. *Infirmis, et morte periclitantibus sicuti baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus sancti est tradendum*. II. ex sanctis Patribus. Cyprianus ep. 70. scribit: *Ungi quoque necesse est*

eum qui baptizatus est, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. Hieronymus in citato nuper dialogo ait: *Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* S. P. Augustinus de civ. Dei lib. 17. cap. 4. tradit homines non recte vocari christos sive christianos nisi sacro chrismate uncti fuerint. Jonas aurelianensis lib. 1. cap. 7. *Nequaquam a fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, sed potius remoto torpore negligentiae, cum magna animi aviditate et devotione petenda et percipienda, ne sine ipsius doni munere, quis rebus humanis eximatur.* Petrus Damiani serm. 1. in dedic. Ecclesiae: *Decretales paginae, et sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam post baptismum sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor.* III. hoc idem luculentissime tradunt insigniores theologi tum veteres tum recentiores, Hugo nempe Victorinus lib. 11. p. 7. cap. 3. S. Thomas 3. p. q. 72. art. 1. ad 3. S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 3. q. 2. Gerson in compendio theologiae ex veteribus. Ex recentioribus autem vide Natalem Alexandrum, Estium, Juveninum, Habertum, l'Hermenier, Poncium, Wan-Roy, Drouvenium, Fervacquesium, Berti, Witassii continuatorem, innumerosque alios quos merito opponas laxioribus casuistis qui docere non verentur omitti posse confirmationem sine periculo lethalis culpae, dummodo sine sacramenti spretu fiat. Sed quid ausa non est gens illa Scripturarum, canonum, et sanctorum Patrum ignara?

Prob. tertia pars. concl. quoad praeceptum nempe divinum. I. confirmatio sacramentum est novae legis a Christo Domino institutum ad robur perfectionemque tradendam omnibus baptizatis. Eo ipso itaque quod Christus Dominus hoc sacramentum instituit, praecepit ut ab omnibus baptizatis perciperetur. II. praecipit Apostolus in ep. ad Ephes. cap. 6. ut fideles induant armaturam Dei ut possint stare adversus insidias diaboli. Porro armatura illa divina per confirmationis sacramentum habetur, ut patet ex fine institutionis. III. eucharistiae sacramentum necessarium esse necessitate praecepti divini concedunt omnes ea ducti ratione, quoniam alit ac roborat animam uberiori gratia. Ast confirmatio quoque roborat et perficit fidem in baptizatis.

CONCLUSIO II.

Ritus in consecrando chrismate, patrini confirmandorum, forma unctionis, vittae lineae, et alapa impie deridentur ab heterodoxis.

Prob. prima pars concl. Norunt omnes episcopum super ampullam oleum et balsamum continentem initio signum crucis facere, tum super eamdem ampullam ter halare, ac denique ter salutare confectum chrisma

his verbis, *ave sanctum chrisma*, sed ejusmodi ritus laude et christiana devotione, non irrisione et cachinnis, ut haeretici existimant, digni sunt. Et quoad signum crucis, inquit Apostolus in 1. ad Tim. cap. 4. sanctificari omnem creaturam *per verbum Dei, et orationem*. Et pressius S. P. Augustinus tract. 118. in Joan. *Quid est quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum crucis nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquae ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur: nihil horum rite perficitur*. De halitu episcopi super chrisma scribit Amalarius lib. 1. cap. 12. *Halitus ab interioribus, et secretis procedit in publicum, et vocatur spiritus, in naribus ejus est. Pontifex per spiritum suum substantiam Spiritus sancti nuntiat in corpore assumpto a divinitate inhabitare, cujus adventu renovata sunt omnia*. Neque est quod heterodoxi ritum hunc magicum et superstitiosum appellent, nam antiquissimus est, praescribitur in ordine romano, commemoratur tamquam sacra caeremonia a majoribus accepta a Gregorio magno in sacramentario, et institutus videtur ab Ecclesia ad imitationem Christi qui Joan. cap. 20. insufflavit in Apostolos ut acciperent Spiritum sanctum. Salutatio quoque confecti chrismatis antiquissima est, utpote cujus meminit Amalarius et ordo romanus; usurpatur autem in signum gaudii et gratulationis. Neque scandali occasionem delicatuli protestantes inde arripere debent, quasi catholici rebus inanimatis sensum attribuant, nam ad propriam exprimendam exultationem res etiam inanimatas salutare usitatissima res est. Ita Andreas apostolus crucem sibi destinatam a longe prospiciens, *Salve*, inquit, *crux pretiosa*. De cruce Christi sic loquitur Fortunatus: *Sola digna tu fuisti ferre seculi pretium*. Et de sacro paschatis die: *Salva festa dies toto venerabilis aevo*. Mitto alia exempla. Praeterea hujusmodi salutatio et ipsa antiquissima est. Ac denique venerationem non absolutam, sed relativam exprimit, ut norunt omnes.

Prob. altera concl. pars. Consuetudinis adhibendi patrinos seu susceptores in sacramento confirmationis occurrit mentio apud antiquissimos scriptores, ut patet ex capite, *in cateschismo*, tributo Hygino, et seculo septimo a Theodoro in poenitentiali num. 4. laudato, ex capite, *non plures*, deprompto ex Walafrido, ex capite *in baptismate*, vel *in chrismate*, quae omnia collecta sunt a Gratiano de consecratione dist. 4.

Prob. tertia pars. concl. Forma unctionis alia est apud graecos, alia apud latinos. Graeci praeter frontem, oculos confirmandi inungunt, et aures, et nares, et os. Latini autem solam frontem illiniunt, quoniam in fronte pudor residet, ut viri doctissimi observarunt. Neque ritus hic reprehendi a protestantibus potest, nisi reprehendere simul velint antiquos Patres nostros qui frontis unctionem in hoc administrando sacramento adhibebant, ut testis est S. P. Augustinus innumeris in locis, ne alios veteres commemorem.

Prob. quarta pars concl. Frons sacro chrismate uncta lineis vittis seu fasciolis quarum latitudo sit trium digitorum alligari solet. Wiclef-

fus caeremoniam hanc appellat deliramentum. Sed immerito, nam praeterquam quod veteres omnes ritum hunc usurparunt, ut constat ex sanctionibus Conciliorum quae laudantur a Martenio lib. 1. de antiq. Eccl. ritibus cap. 2. art. 3. hujusmodi usus rationabilem habet caussam, ne videlicet sacrum chrisma contemptu exponatur, sed sub linea fasciola exsiccetur.

Prob. quinta concl. pars. Pontifex pronuntiata sacramenti forma levem imprimit alapam in maxillam confirmati. Neque talis ritus superstitionis accusari potest, usurpatur enim ut confirmatus suscepti servet memoriam sacramenti, vel ut meminerit se debere esse paratum tamquam athletam ad omnia propter Christum sustinenda. Sua non caret haec caeremonia vetustate, ut ex codicibus antiquis pontificalibus MSS. colligit noster Berti quem consulere poteris.

Solvuntur nonnullae objectiones.

Obj. 1. cont. 1. concl. 1. Confirmatio necessaria videtur necessitate medii ad salutem, per illam enim perficitur et consummatur in fide christianus. Perfectio autem et consummatio in fide necessaria est necessitate medii. 2. Hoc idem colligitur ex alio confirmationis munere quod est praestare vires ad tentationes vincendas contra fidem. Necessarium est autem necessitate medii ut tentationes quae contra fidem sunt vincantur ad aeternam salutem consequendam.

Resp. ad 1. Christiana perfectio ac consummatio necessaria necessitate medii et absoluta ad salutem consequendam est illa quam recipit homo in sacramento baptismi; alioquin fieret ut parvuli qui statim post receptum baptisma ex hac vita decedunt, partem non habeant in haereditate sanctorum, quod absurdum est. Argumentum ergo demonstrat confirmationem esse quidem necessariam, sed necessitate praecepti, non absoluta.

Ad 2. Necesse quidem est tentationes superare contra fidem ad vitam aeternam capessendam. Sed numquid baptismatis gratia tantam non habet virtutem? Majori certe alacritate confirmatus quam baptizatus triumphum de hostibus reportabit, sed reportabit tamen, unde consequitur baptismum necessarium esse necessitate medii, confirmationem vero necessitate praecepti.

Obj. 2. adv. eamd. 1. concl. 1. Si confirmatio necessaria esset necessitate praecepti divini, Ecclesia sollicita esset ut adulti in vitae periculo constituti confirmarentur, non est autem, ergo etc. 2. Et revera ubinam exstat in Scripturis praeceptum recipiendi confirmationem ut praeceptum habetur de aliis suscipiendis sacramentis?

Resp. ad 1. Ecclesia semper fuit et adhuc est sollicita ut fideles ex hac vita non decedant sine confirmationis sacramento, probe sciens prodesse quam magis illud sacramentum homini in extrema vitae periodo constituto, tum ad pugnandum contra invisibiles hostes, tum ad majorem in altera vita consequendam gloriam. Quod si aliquando fit ut nonnulli sine confirmatione decedant, accidit id vel ex eo quod Ec-

clesia supponat neminem expectare ultimam vitae periodum ad confirmationem percipiendam, vel quia copia episcopi ad sacramentum illud ministrandum non habetur, vel demum ex negligentia aut etiam ex ignorantia.

Ad. 2. Inter concl. probationes attulimus jam rationes quibus demonstratur divinum praeceptum suscipiendi confirmationem. His addimus non deesse theologos qui praeceptum illud repetunt ex cap. 1. et 8. Act. Apost. quibus in locis Christus praecepit Apostolis ne discederent Jerosolymis, *sed expectarent promissionem Patris*, nempe Spiritum sanctum. Interim hic erit finis libri XXXVII.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXXVIII.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO

Non immerito ineffabile sacratissimumque Eucharistiae mysterium tertio loco a theologis aliisque ecclesiasticis tractatoribus in ordine sacramentorum reponi solet. Postquam enim homo spiritualiter per baptismum renatus est, postquam per confirmationem crevit, et robur ac incrementum suscepit, tum denique accedit ad dominicam mensam ut de Christi carne manducando anima ejus enutriatur, et digne bibendo de calice spiritualiter inebrietur. Verum si ad excellentiam ac dignitatem divinissimi hujus sacramenti animum nostrum convertamus, quis ambigere poterit quin excelsiorem imo supremum inter reliqua sacramenta locum obtineat? Per alia namque sacramenta caeleste quidem donum, nempe gratia et sanctificatio, per Eucharistiam vero ipse omnis gratiae fons, et sacramentorum auctor nobis mirabili plane modo communicatur, unde ineffabili illius virtute non spiritualiter modo, sed et corporaliter Christo conjungimur, ita ut et *simus membra corporis ejus, de carne ejus, et ossibus ejus*, ut inquit Apostolus in ep. ad Ephes. cap. 5. In aliis sacramentis exterior ac sensibilis species seu materia nullam in sui natura subit mutationem. In Eucharistia autem materia seu panis et vinum in Corpus et Sanguinem Christi substantialiter commutantur. Vere ergo sacrosanctum hocce mysterium reliquis novae legis sacramentis excellentia praestat et dignitate. Deum ergo enixe precemur ut clementer nobis indulgeat de tanto divinae suae caritatis, tamque praeclaro argumento digne pro rei sublimitate posse disserere.

CAPUT I.

De variis nominibus, figuris, et essentia sacramenti Eucharistiae.



omen hoc *Eucharistia* a verbo graeco εὐχαριστεῖν descendere facile norunt omnes. Εὐχαριστεῖν autem significare et sumi pro gratiarum actione non solum sciunt linguae graecae periti, sed passim docent sancti Patres. Hinc Justinus martyr apol. 2. de hoc augustissimo sacramento verba faciens inquit: *Deinde ei qui fratribus praeest offertur panis, et poculum aquae et vini: quibus ille acceptis, laudem et gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii, et Spiritus sancti offert, et eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus est, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces et gratiarum actionem absolvit, populus qui adest omnis fausta approbatione acclamat, dicens: Amen.* Eadem legas apud Chrysostomum hom. 27. in Matth. et apud S. P. Augustinum lib. 1. cont. adver. leg. et prophet. cap. 18. Et merito quidem divinum hoc sacramentum gratiarum actio appellatur, quando enim immaculata haec hostia immolatur debitas agunt fideles gratias Deo pro innumeris ab eo acceptis beneficiis, atque in primis pro gratia quam illis in hoc sacramento dignatus est impertiri.

Saepe etiam sacramentum hoc dicitur *caeleste Convivium* a Patribus, Ambrosius enim lib. de myster. cap. 8. de fideli plebe inquit, quod *depositis inveterati erroris exuviis, renovata in aquilae juventutem, caeleste illud festinat adire convivium*. Simili modo loquitur Hieronymus in ep. ad Hedibiam quaest. 11. et in ep. 147. ad Damasum. Cujus nominis ratio est, quoniam in altaris sacrificio Christus Jesus immolatur qui conviva est et convivium, ipse comedens et qui comeditur.

Communio quoque est Eucharistiae nomen, tum quia per hujus participationem sacramenti Christo Domino non voluntate solum et affectu, sed vere et realiter communicamus, juxta illud Apostoli in 1. ad Cor. cap. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* tum etiam quia fideles per Eucharistiae communem sumptionem vinculo caritatis ad se invicem conjunguntur, unde subdit Apostolus ibidem: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. Hoc nomine usi sunt saepe Cyprianus ep. 54. Hieronymus lib. 3. dial. cont. pelag. Chrysostomus hom. 24. in 1. ad Cor. et Augustinus qui ep. 54. alias 118. ad Januar. *Alii quotidie*, inquit, *communicant Corpori et Sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt*.

Dicitur praeterea *Eulogia*, hoc est benedictio, et *Eulogia mystica*, nempe sacramentum benedictionis. *Accedimus*, inquit, Cyrillus alexandrinus in ep. ad Nestorium, *ad mysticas Eulogias, et sanctificamur participes facti sacrae Carnis et pretiosi Sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi*. Etiam Tertullianus lib. de pudicitia cap. 14. appellat Eucharistiam *sacramentum benedictionis*. Mutuarunt nomen illud veteres ex Evangelio Matth. cap. 26. ubi legitur: *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: Hoc est Corpus meum*, quoniam iisdem Christi verbis sacerdos benedicit et consecrat panem et vinum.

Sed non tam frequenter vocatur Coena Domini, quum vel ab initio Ecclesiae fideles jejuni accederent ad Eucharistiam. Sed vocatur tamen aliquando, quod Christus sacramentum illud instituerit post coenam. Ita Tertullianus lib. de spectaculis cap. 13. S. P. Augustinus ep. ad Januar. Theodoretus in cap. 11. ep 2. ad Cor.

Dicitur quoque *Mensa Domini, Mensa divina*, praeeunte Apostolo in ep. 1. ad Cor. cap. 10. *Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae doemoniorum*. De hoc sacramento interpretatur illud psalmi 22. *Parasti in conspectu meo mensam*, Cyrillus jerosolymitanus catech. mystag. 4. Gregorius nazianzenus orat. 11. in Julianum, Ambrosius lib. de Elia, et jejunio, De hoc interpretatur illud psalmi 39. *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, S. P. Augustinus lib. 17. de civ. Dei cap. 20. *Quia*, aut ipse ait, *pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur.*

Sed quis omnia numerare potest a sanctis Patribus usurpata hujus sa-

crosancti mysterii nomina? Appellatur enim *panis vitae qui de caelo descendit*, *panis angelorum*, *panis supersubstantialis*. Dicitur *fractio panis*, *sacramentum fidelium*, *Corpus Domini*, *sancta*, *et sanctum Domini*, *spiritualis esca*, *vita*, *pretium nostrum*, et ne singula nomina recenseam, vocatur denique *Viaticum*, tum quia dum in hac vita peregrinamur, eo sacramento reficimur, tum quia nobis ex hac vita migraturis adversus fidei hostes dispensatur; unde sacerdos illud periclitanti infirmo administrans inquit: *Accipe*, *frater*, *viaticum etc.* Et haec dixisse sufficiat de variis Eucharistiae nominibus.

Nunc breviter de figuris quae sacramentum hoc adumbrarunt. Infinitus essem si hujus sacramenti singulas figuras numerare vellem, unde nonnullas easque praecipuas generatim attingemus. Si Eucharistia consideretur prout est gratiarum actio, praesignata illa fuit ab omnibus veteris Testamenti sacrificiis a Deo institutis, quae eucharistica dicebantur quod in gratiarum actionem offerrentur. Si vero eam spectas quatenus est caeleste convivium, coena, vel mensa Domini reficiens animas, praefiguratam illam habes in manna de caelo descendente, in panibus primitiarum, et in agno quem in celebratione Paschatis judaei epulabantur. Si demum sacramentum hoc accipias prout est viaticum, adumbratum fuit illo pane de quo angelus Eliae dixit lib. 3. reg. cap. 19. *Surge*, *comede*: *grandis enim tibi restat via*. *Qui cum surrexisset*, *comedit*, *et bibit*, *et ambulavit in fortitudine cibi illius ... usque ad montem Dei Horeb*.

Praeterea considerari potest Eucharistia secundum id quod est sensibile tantum, nempe secundum panem et vinum, et tunc illius sacramenti figurae praeclarissimae fuerunt panis et vinum oblata a Melchisedecho sacerdote Dei altissimi, panes propositionis servati in altare, nec non panes primitiarum oblati cum agnis anniculis. Sumpta autem Eucharistia prout est corpus Christi reale pro nobis in ara crucis oblatum et immolatum praefigurata proculdubio fuit in omnibus cruentis sacrificiis veteris Testamenti. Quod si contempleris Eucharistiam quatenus gratiam producit reficientem et vivificantem animam, illius luculentissima figura fuit manna habens in se *omnis saporis suavitatem*. Tandem spectare possumus Eucharistiam in quantum est res sensibilis tantum, in quantum est corpus et sanguis Domini, et in quantum effectum producit, et secundum haec omnia illius praecipua figura fuit agnus paschalis veteris Testamenti. Nam 1. Judaei comedebant agnum cum panibus azymis, juxta illud Exodi cap. 12. *Edent carnes ... et azymos panes*. 2. Agnus offerebatur a filiis Israel luna decima quarta in qua Christus qui propter innocentiam agnus dictus est, in Eucharistia contentus, immolatus fuit super aram crucis. 3. Et sicuti sanguis agni paschalis filios Israel ab angelo devastatore protexit ut ex servitute aegyptiaca immunes egrederentur, ita gratia per Eucharistiam nobis communicata a doemonis servitute homines immunes incolumesque reddit. Sunt in sacris paginis aliae admirabilis hujus mysterii praeclarissimae figurae quarum commemorationem, brevitati studens, silentio praetereo.

Nunc aliqua de essentia Eucharistiae dicenda supersunt. Et quoniam cujusvis rei essentia definitione continetur, accuratius quantum fieri potest Eucharistiam definiemus. Definitur ergo ab oculatioribus theologis: *Sacramentum, in quo sub speciebus panis et vini Christi Corpus et Sanguis continetur ad spiritualem animarum nostrarum refectionem*. Dicitur 1. *sacramentum*, quoniam Eucharistia habet sensibilia signa denotantia sanctificantem gratiam, juxta illud Joan. cap. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*, eaque sensibilia signa sunt species panis et vini. Additur 2. *in quo Christi Corpus et Sanguis continetur*, ut intelligamus Eucharistiam non esse merum Corporis et Sanguinis Christi signum vel puram figuram, ut blaterant sacramentarii, sed vere realiter ac substantialiter Corpus et Sanguinem Christi continere, ut catholica fides docet. Dicitur 3. *ad spiritualem animarum nostrarum refectionem*, ad denotandum supernaturalem effectum, quoniam, ut inquit Cyprianus serm. de coena Domini: *Sicut panis communis quem quotidie edimus, vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animae, et sanitas mentis*. Quare recta et accurata est allata definitio.

Hoc in loco inquirere solent theologi quid sit illud quod in Eucharistia veram habet rationem sacramenti, nam plura continet Eucharistia, ut ex ipsa allata definitione constat, *species panis et vini, Corpus et Sanguinem Christi*, intercedere debet *consecratio*, nec superflua est *sumptio*. Antequam mentem nostram aperiamus, aliorum sententiae recensendae sunt. Scotistae tenent constitutivum hujus sacramenti esse solas species panis et vini per consecrationem determinatas. Thomistae arbitrantur Corpus et Sanguinem Christi sub speciebus latitantia habere in Eucharistia rationem sacramenti. Nonnulli alii sacramenti rationem reponunt in sola consecratione. Calvinistae in sola sumptione quum Corporis et Sanguinis Christi realem praesentiam in Eucharistia inficientur. Nostra sententia haec sit: Integrum Eucharistiae sacramentum panis vinique speciebus, et Corpore et Sanguine Domini constat. Quod demonstratur primo aliarum opinionum refutatione, tum argumentis sententiam nostram directe confirmantibus.

Et scotistae quidem non recte sentire videntur, nam divinissimo huic sacramento deberi cultum latriae norunt omnes, et definitum est a tridentina Synodo sess. 13. cap. 5. Nequeunt autem species cultu latriae adorari. Idem Concilium ibidem cap. 3. statuit perfici Eucharistiam verbis consecrationis. Numquid species consecrationis verbis conficiuntur? Denique juxta sanctorum Patrum phrasim habet hoc sacramentum mirabilem spiritualiter enutriendi virtutem quae certe accidentibus convenire non potest. Quare non recte scotistae sacramenti rationem reponunt in vini et panis speciebus etiam per consecrationem determinatis.

Idem sentiendum arbitror de sententia thomistarum autumantium solum Corpus et Sanguinem Christi integrum esse sacramentum; in Eucharistia enim vere et realiter continentur Corpus et Sanguis Christi tamquam in sacramento. Quod si ratio sacramenti constituatur in ipso Chri-

sti Corpore et Sanguine, dicendum foret sacramentum contineri in sacramento, quod absurdum est. Deinde nonne de ratione sacramenti in genere est, ut sit signum quoddam sensibile? Ast Corpus et Sanguis Christi, si in se considerentur praescindendo ab accidentibus, non sunt aliquod sensibile.

Tertia opinio affirmantium Eucharistiae constitutivum esse consecrationem falsa omnino est, et a sana theologia eliminanda, nam sacramentum hoc consistit in re permanente, unde constitui nequit per consecrationem quae transit. Rursus non consecratio, sed res consecrata est signum sensibile, et sacramentum.

Calvinus autem a fide turpiter errat dum sacramenti Eucharistiae rationem reponit in sola sumptione, tunc enim Eucharistia rationem habet perfecti et integri sacramenti quando forma consecrationis prolata est, verumque esset sacramentum etiamsi numquam sumeretur. His accedit, quod Eucharistia sit quidam spiritualis cibus. Cibus autem ante sumptionem naturam suam et integritatem habet. Ac denique ex illa impia sententia colligitur non esse in Eucharistia realem Christi praesentiam; quod blasphemum esse fuse demonstrabimus in subsequentibus.

Ut omnem ergo falsam vel aequivocam ideam a constitutivo sacramenti Eucharistiae removeamus, dicendum erit integrum hoc sacramentum constare aggregato ex speciebus, et Corpore ac Sanguine Domini. Et sane istiusmodi aggregato apprime convenit Eucharistiae definitio a nobis tradita; diximus enim esse illam signum quoddam sensibile spiritualiter nutriens et alens animam. Porro species panis et vini rationem habent signi sensibilis, neque enim Corpus et Sanguis Domini sub sensus cadunt, ut diximus. Anima autem spiritualiter alitur et nutritur non per solas panis et vini species, sed per Corpus et Sanguinem Christi, unde ratio hujus sacramenti reponenda est in aggregato ex speciebus, et Corpore ac Sanguine Domini.

Sed inquiunt scotistae: Theologi, et ipsi tridentini Patres saepe panis ac vini species appellant sacramentum, affirmantque corpus Christi in Eucharistiae sacramento contineri. Imo Innocentius III. cap. *cum Martha,* de celebr. Miss. inquit in Eucharistia species tantum esse sacramentum, Corpus autem et Sanguinem Christi esse rem et sacramentum, gratiam vero esse rem dumtaxat sacramenti. Postremo de essentia cujuslibet sacramenti est ut sit sensibile signum, sensibilitas autem nonnisi speciebus competere potest.

Verum minimi momenti haec sunt, nam theologi ac tridentini Patres ubi panis vinique species appellant sacramentum, et ajunt in sacramento contineri Corpus et Sanguinem Christi, sacramenti nomen usurpant inadaequate, pro ea scilicet parte quae sensibilis est. Idem dicendum de Innocentii III. sententia, summus nimirum Pontifex sacramentum sumit pro eo quod est signum dumtaxat, et nullo modo significatur, atque hoc sensu solae species sunt sacramentum. Ast si sacramentum accipiemus pro signo et re significata, includit etiam Corpus et Sanguinem Domini, qu-

um Eucharistia sit signum sensibile spiritualiter nutriens animam. Denique posita nostra sententia nuper exposita, salvatur utique sensibilitas in sacramento Eucharistiae, quum panis et vini species sint veluti pars constitutivi hujus sacramenti; neque enim necesse est ut singulae sacramenti partes sint per se sensibiles, alioquin contritio v. g. quae sensibilis non est sacramenti poenitentiae pars non esset dicenda.

Argumenta quae a thomistis in propriae opinionis patrocinium afferri possunt, a nobis admittuntur in sensu nostrae sententiae superius expositae. Hoc unum illis addere possunt, quod nempe sancti Patres Eucharistiam passim appellent sacramentum Corporis et Sanguinis Domini, unde in solo Corpore et Sanguine Christi reponenda videtur hujus sacramenti ratio. Sed corruit argumentum, si animadvertatur sanctos Patres loqui per synedochen, sumendo nempe partem pro toto, sicuti passim appellant baptismum ablutionem quae non est nisi sacramenti pars.

Sequentis opinationis patroni hoc utuntur ad illam tuendam frivolo argumento, quod nempe consecratio quum sit forma debeat esse quoque pars intrinseca sacramenti, adeoque illius constitutivum ut in rebus physicis evenit. Ast primo, verba consecrationis nonnisi improprie dicuntur forma Eucharistiae, quatenus nempe illam conficiunt, et ante 12. saeculum nomina isthaec *materiae* et *formae* non erant in usu penes theologos, ut agentes de sacramentis in genere animadvertimus. Deinde non eodem modo de rebus physicis ac moralibus loquendum est, quum non semper in rebus moralibus forma sit pars intrinseca rei. Exemplar v. g. dicitur forma rei, et nihilominus non pertinet ad rei intrinsecam constitutionem.

Calvinus ut suam communiat sententiam inquit sacramenta supponere subjectum et mysticam actionem, puta ablutionem, absolutionem etc. Unde addit, ut Eucharistia sit sacramentum necessaria sunt haec duo, nempe subjectum et sumptio. Hinc in hujus sacramenti institutione dixit Christus Dominus Apostolis: *Accipite, et manducate*. Posset aliquis addere sumptionem Eucharistiae gratiam conferre *ex opere operato*. Quid amplius ergo requiritur quin ipsa sumptio verum sit sacramentum? Haec autem facillime solvuntur. Nam primum argumentum probat dumtaxat, sumptionem aliquando sacramentum appellari, quoniam per sumptionem sacramenti virtus nobis applicatur, et probat etiam Eucharistiam sumendam esse ex Christi praecepto et institutione, non vero in sola sumptione reponendum esse hujus sacramenti constitutivum. Hoc deinde discrimen intercedit inter Eucharistiam et alia sacramenta, quod haec in usu et actione transeunte consistant, illa autem in re permanente, ut optime tridentina Synodus definivit sess. 13. cap. 5. Falsum est autem quod secundo loco opponebatur, nempe sumptionem gratiam producere *ex opere operato*, gratia enim *ex opere operato* producitur in nobis ab Eucharistia quando a nobis sumitur, unde sumptio est conditio quaedam requisita ad percipiendam sacramenti virtutem, non est ejusdem sacramenti constitutivum.

CAPUT II.

De materia Eucharistiae, ac primum de pane.

Christum Dominum Eucharistiae sacramentum instituisse in pane et vino nemo est qui non fateatur, nimis enim aperte id narrant Matthaeus cap. 26. Marcus cap. 14. Lucas cap. 22. et Apostolus in 1. ad Cor. cap. 11. Nemini ergo dubium quin panis et vinum sint materia Eucharistiae. De qua nos disputaturi agemus primo de pane, tum in subsequentibus de vino. Inquiremus autem 1. An panis triticeus sit necessaria hujus sacramenti materia. 2. Quaenam panis quantitas consecrari possit. 3. An Christus panem azymum consecraverit. 4. Quandonam apud latinos azymi, et apud graecos fermentati usus incaeperit. 5. Denique, an valide tam in azymo quam in fermentato conficiatur Eucharistia.

Circa primam quaestionem observandum est Scotum et Paludanum existimare, valide confici Eucharistiam in pane ex spelta et farre confecto, Gabrielem in omni frumenti genere, putat enim frumentum esse omne id quod emittit aristas, Gabrieli subscribit Cajetanus. Estius tandem post S. Thomam arbitratur, valide consecrari etiam panem siligineum. Ast reliqui omnes theologi tenent solum panem triticeum esse materiam Eucharistiae.

Quoad alteram quaestionem, Franciscus Macedo lib. 4. de clavibus Petri post nonnullos antiquiores scholasticos docet sacerdotem consecrare non posse quamcumque panis quantitatem, puta totum panem qui venditur in foro; quam tamen sententiam nonnisi tamquam mere probabilem tradit, nam omnes omnino teologi tenent a sacerdote quamlibet panis quantitatem valide consecrari, licet illam consecrare debeat quam prudenter judicat a fidelibus sumi posse antequam species computrescant.

Ad rite assequendum tertiae propositae quaestionis statum animadvertendum est gravissimam adhuc exardescere graecos schismaticos inter et latinos hac de re controversiam, contendentibus illis in fermentato, his vero in azymo pane Christum Dominum supremam coenam instituisse. Quare graecorum sententia quamvis antiquissima sit, et a Marcione primum inventa, tum a Philopono eutychiano renovata, celebris tamen non evasit nisi saeculo 11. quando Michael Cerularius patriarcha C-P. anno 1053. in epistola dicteriis calumniisque referta ad Joannem tranensem in Apulia episcopum non modo demonstrare conatus est Christum Dominum Eucharistiam in fermentato consecrasse, sed romanam Ecclesiam praeterea ausus est accusare erroris, atque a primaevo instituto defectionis, quod in conficienda Eucharistia utatur azymo pane. Et quamvis insolentissima Cerularii epistola merita confutatione oppugnata fuerit a Leone IX. tunc Rom. Pontifice, nihilominus incalescentibus animis graecorum, non pauci sententiam latinis contrariam propugnarunt.

De tempore quo usus azymi apud latinos, et fermentati apud graecos incaepit, gravis contentio est non solum inter graecos et latinos, sed

inter eruditos quoque catholicos. Graeci schismatici post Cerularium de latinis conquaeruntur quod recentissimis temporibus, nempe saeculo 11. veteri immutata disciplina, azyma in Eucharistiae confectione caeperint usurpare. E contra theologi omnes Ecclesiae latinae scholastici uno ore affirmant, ab ipsis Ecclesiae incunabulis utramque gentem, latinam et graecam azyma in sacrificio adhibuisse. Sed quod velut indubitatum a scholasticis receptum per diutinum tempus fuerat, in dubium revocari caepit an. 1651. a Jacobo Sirmondo qui in opusculo de azymo contendit per octo priora saecula in utraque Ecclesia graeca atque latina usurpatum non fuisse nisi fermentatum. Sirmondo fere in omnibus adhaesit cardinalis Bona lib. 1. cap. 23. Huic Bocquillotius in tract. edito an. 1701. subscripsit, sed omnibus praeiverat Launojus. Nova autem haec opinio multis displicuit, et praesertim cl. viro Joanni Mabillonio qui in praef. ad tom. 3. refutata Sirmondi ac Bonae sententia, multis argumentis demonstrat perpetuum in Ecclesia azymi usum. In eamdem sententiam descendit doctissimus Lupus. Hos postea secuti sunt Macedo, Cabassutius, Ciampinius, aliique plures.

Latini contra graecos schismaticos disputantes quamvis invictissimis semper demonstraverint argumentis Christum in azymo pane eucharisticum sacramentum instituisse, atque adeo Ecclesiae romanae ritum esse convenientiorem, numquam tamen affirmarunt damnandos esse graecos in fermentato consecrantes, sed valide confici affirmant Eucharistiae sacrificium sive in azymo sive in fermentato. Contrarium autem tenuere graeci qui post Michaelem Cerularium imprudentissime effutierunt invalidam esse Eucharistiae consecrationem a latinis in azymo pane factam. Sed temporis progressu propriae caussae injustitiam agnoscentes subscripserunt denique Concilio florentino in quo definitum solemniter fuit valide confici Christi Corpus sive in azymo sive in fermentato. His hoc modo adnotatis redeamus ad priorem propositam quaestionem.

CONCLUSIO I.

Necessaria Eucharistiae materia est panis triticeus.

Prob. ex Scriptura. Matth. cap. 26. ubi suprema Christi coena describitur, haec occurrunt: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite, Hoc est Corpus meum*. Eadem et alii Evangelistae habent. Ex quibus apparet solum triticeum panem materiam esse Eucharistiae necessariam, nam ubi *panis* simpliciter nominatur, semper panis ex tritico confectus intelligitur, quum panis alius a triticeo cum addito proferri soleat, puta panis hordeaceus, panis siligineus etc. Cumque Christus Dominus dixerit, *Hoc facite in meam commemorationem*, consequitur, solum panem et quidem ex tritico materiam esse necessariam Eucharistiae.

Confirmatur ex eo quod sanctissimum hoc sacramentum praefiguratum

fuerit in *panibus propositionis* qui conficiebantur e simila, ex flore scilicet farinae triticeae, in *adipe frumenti*, nempe in medulla purissimi tritici, ut interpretes explicant, et *in frumento electorum*, in tritico nimirum mundissimo.

Prob. 2. ex perpetua consuetudine Ecclesiae quae in usu semper habuit panem mundissimum ex tritico conflatum consecrare, ut constat ex rubricis missalis, ubi §. 3. praecipitur non esse Eucharistiam consecrandam nisi panis sit triticeus.

Prob. 3. ex Concilio florentino in quo definitum fuit tertium Ecclesiae sacramentum esse Eucharistiam *cujus materia est panis triticeus*.

CONCLUSIO II.

Valide consecrari potest quaecumque panis triticei quantitas, dummodo sit moraliter praesens, non autem licite.

Prob. 1. concl. pars. I. Christum Dominum sacramentum eucharisticum in pane instituisse, res in Scripturis apertissima est; atqui major vel minor quantitas panis substantiam non mutat, ergo etc. II. nullibi legitur, a sanctis Patribus nostris determinatam fuisse panis quantitatem in Eucharistia conficienda, ergo etc. III. ex consuetudine Ecclesiae colligitur panes consecrandos modo majoris modo minoris quantitatis, nunc unius nunc alterius figurae fuisse, ergo etc.

Prob. altera pars concl. Ut panis valide consecrari queat, ea praesentia requiritur quae ex prudentum judicio necessaria est ut a sacerdote demonstrari designarique possit per illa verba, *hoc est corpus meum*; si namque panis longe distaret, vel trans parietem vel a sacerdotis tergo positus esset designari per pronomen, *hoc*, non posset. Hujusmodi est praesentia moralis, ergo etc.

Prob. 3. concl. pars. I. qui enormem panis quantitatem consecraret faceret contra finem institutionis Eucharistiae, ad hoc enim divinissimum institutum est sacramentum ut eo fideles spiritualiter reficiantur. Illicitum est facere contra finem institutionis Eucharistiae, ergo etc. II. illicitum quid faceret etiam qui minimam et insensibilem panis consecraret quantitatem, nam faceret contra essentiam sacramenti quod exigit ut materia sit aliquod externum et sensibile. III. standum est consuetudini Ecclesiae quae semper in more habuit eam panis consecrare quantitatem quae a fidelibus antequam species computrescant sumi possit.

CONCLUSIO III.

Christus Dominus in azymo pane sacramentum Corporis sui consecravit.

Prob. 1. Christus Dominus una cum discipulis suis pascha typicum celebravit quando celebrari solebat a judaeis, luna nempe XIV. exeunte

mensis Nisan seu Martii, sed in paschatis celebratione uti non poterant judaei nisi azymo pane, ergo in azymo pane Christus sacramentum Corporis sui consecravit. Prob. maj. Matthaeus cap. 26. ita scribit: *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? At Jesus dixit: Ite in castellum ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis... Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit etc.* Eadem narrant Marcus cap. 14. et Lucas cap. 22. Imo Marcus perspicue notat pascha illud celebratum fuisse quo tempore celebrari solebat a judaeis: *Primo die azymorum, quando pascha immolabant.* Et syriaca versio legit: *Et primo die azymorum, quando sacrificant judaei pascha.* Persica autem: *Quo judaei pascha mactant.* Ex quibus manifestissime constat Christum una cum suis discipulis pascha celebrasse juxta consuetum judaeorum morem, luna nempe 14. mensis primi ad vesperam. Prob. modo minor propositio, judaeos scilicet non potuisse pascha celebrare nisi in azymo pane. Sed propositio haec demonstratione non indiget, nam Levitici cap. 23. legitur: *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperam, phase Domini est: et quintadecima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.* Et Exodi cap. 12 v. 15. *Septem dies azyma comedetis.* Versu autem 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Septem vero hosce dies exordium duxisse ab horis pomeridianis lunae 14. mensis Nisan habetur aperte ex cap. 12. Exodi v. 6. ubi juxta nostram vulgatam legitur: *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Juxta textus vero hebraicum et samaritanum, et juxta versiones syriacam et arabicam: *Immolabitque ec. inter duas vesperas*, hoc est, inter vesperam diei 14. et vesperam unde initium sumit dies 15. scilicet ante mediam noctem decimaequintae diei, ut interpretes omnes judaei et christiani explicant post Fl. Josephum qui lib. 6 de bello judaico cap. 9. inquit: *Paschales victimas mactari solitas a nona quidem hora usque ad undecimam.* Et praeceptum de comedendis septem illis diebus azymis adeo rigide scrupuloseque observabant judaei ut die 14. circa meridiem sedulo diligenterque investigarent, num in aliqua domo lateret fermentatum; cujus antiquissimae consuetudinis testes sunt locupletes non solum thalmudistae, sed et rabbini cordatiores, Maimonides, Salomon, Alphes, aliique. Neque suspicari possumus recessisse Christum a veteri judaeorum consuetudine ex expressa lege promanante, nam *Qui non venerat solvere legem, sed adimplere*, ut optime argumentatur S. Leo Papa IX. contra Michaelem Cerularium, *juxta ipsius legis praeceptum, et azymis, et vino vetus pascha adimplevit, et protinus ex azymis et vino novum, sicut aperte Lucas narrat, discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel, et apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo suo. Quod si in coena Domini Jesu apparuisset,*

aut ipse seu discipuli ejus quoquomodo gustassent, juste sicut praevaricatores legis perirent, nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec opus esset falsos testes ad perdendum eum quaerere, cum hoc solo perderent juste. Habes in prolixa hac sancti Pontificis sententia integrum in epitomem redactum nostrum argumentum ad demostrandum Christum Dominum in azymo pane Corporis sui mysterium consecrasse.

Prob. 2 Quamvis gratis concederetur, quod falsum omnino est, Christum nempe Dominum communem paschatis celebrationem cum discipulis suis praevenisse, nihilominus absolute credendum esset eum qui non venit legem solvere, sed adimplere, in paschatis celebratione ritus omnes a lege praescriptos religiose servasse. Sicut igitur credimus in typica illa coena agnum immolasse et comedisse, ita credendum est azymos adhibuisse panes, adeoque etc.

CONCLUSIO IV.

Aput latinos usus azymi ab Apostolis viguit usque ad hanc nostram aetatem, usus vero fermentati apud graecos obtinuisse videtur ante schisma photianum.

Prob. 1. concl. pars 1. ex adversae sententiae refutatione. Sirmondus quique cum eo faciunt contendunt apud latinos azymi usum incoepisse post saeculum 10; atqui falsum id omnino est, nam Leo IX. et Cardinalis Humbertus qui saeculo 10. nati sunt, et circa dimidium saeculi sequentis de hac controversia scripserunt, fidenter affirmant et repetunt temere prorsus et insolenter graecos Ecclesiam romanam arguere de ritu antiquissimo quem per successivas aetates ab Apostolis accepit. In quo certe falsitatis a grecis revinci non potuerunt. Sic inquit S. Leo ep. 1. cap. 5. *Ecce jam post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere romana Ecclesia, qualiter memoria passionis sit recolenda.* Cardinalis autem Humbertus ait: *Prima scilicet Ecclesia ad haec moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit.* Jam vero si azymorum usus penes latinos tumc primum invaluisset quando Michael Cerularius romanam Ecclesiam accusavit, objicientibus duobus laudatis scriptoribus ritus antiquitatem, nonne reposuissent graeci latinos immo a veterum more recessisse? Non objecerunt tamen, unde azymorum antiquitatem apud latinos agnoverunt, adeoque Sirmondus graecorum fovet pertinaciam. 2. Ante photianum schisma latinos in Eucaristiae confectione azymos panes adhibuisse res magis manifesta est quam ut demonstrari valeat. Alcuinus enim qui obiit initio saeculi 9. adeoque paucis annis ante Photii perduellionem in ep. 569. quae est ad ecclesiam lugdunensem ita scribit: *Panis qui in Corpus Christi consecratur absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus, et vinum absque omni commixtione alterius liquoris nisi aquae, purgatissimum.*

Igitur aqua utrique conveniat. Ex aqua et farina panis fit qui consecratur in Corpus Christi. Rabanus qui e vita migravit anno 856. atque adeo biennio ante Photii intrusionem in sedem C-P. quae accidit, expulso Joanne, anno 858. haec habet lib. 1. inst. cleric. cap. 31. *Panem infermentatum, et vinum aqua mixtum in sacramento Corporis et Sanguinis Christi sanctificari oportet.* 3. Percurramus modo brevissime priora Ecclesiae saecula. S. P. Augustinus qui obiit saeculo 5. serm. 227. et 229. de temp. quorum primus alias 83. de divers. secundus autem nunc primum vulgatus, Gaudentius brixiensis scriptor saeculi 4. in tract. 2. de paschae observatione, et S. Cyprianus qui saeculo 3. florebat in ep. ad Caecilium, describentes Eucharistiae consecrationem, numquam fermentati commemorationem fecerunt, sed farinae tantum et aquae meminerunt. Quod argumentum etsi negativum videatur, vim tamen habet argumenti positivi, nam qui aquae, farinae, massae, conspersionis, et ignis quoque mentionem faciunt, harumque rerum exponunt symbola et significationes, qui fieri potest ut fermentum silentio praetereant si tunc in usu fuisset? 4. Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. loquens de Eucharistiae sumptione ab uxore occulte facienda inquit: *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes; et si sciverit panem, non illum credet esse qui dicitur?* Ubi panis nomine azymum proculdubio significat; si namque maritus uxorem communem panem manducantem vidisset, nil sinistrum fuisset suspicatus. Clarius adhuc Epiphanius haer. 30. de ebionitis inquit: *Mysteria vero perficiunt ex imitatione sanctorum qui sunt in Ecclesia quotannis in azymis: alteram autem mysterii partem in aqua solum.* Nomine mysteriorum intelligere hic Epiphanium tremendum Eucharistiae sacrificium res per se manifestissima est. Ait autem ebionitas imitari catholicos in eo quod partem sacrificii conficiant in azymis, illos vero reprehendit quod alteram partem non in aqua simul et vino, sed in sola aqua perficiant. Quid clarius ad rem nostram? Unde certum videtur in Ecclesia viguisse a primis temporibus consuetudinem azymorum. Hinc Innocentius III. vir in rebus ecclesiasticis versatissimus lib. 4. de myster. Missae cap. 2. *Ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro et Paulo, quos et vivos habuit, et defunctos custodit, hunc sacrificii ritum* (consecrandi nimirum in azymo) *accepit romana Ecclesia, quem hactenus inviolabili cultu servavit.*

Prob. altera pars concl. 1. Si tempore photiani schismatis usus panis fermentati in Eucharistiae consecratione apud graecos inolevisset, Leo Papa IX. et Cardinalis Humbertus silentio id non praeteriissent; quum enim graeci opponerent latinis judaismum et ab apostolicis institutis defectionem, satis eis obvium fuisset respondere, graecos potius novatores esse quod a tempore Photii coeperint fermentum usurpare; hoc autem non praestiterunt, quinimmo Cardinalis Humbertus in refutatione Nicetae Pectorati non diffitetur graecos alium a latinis panem in Missae sacrificio adhibuisse vel a tempore 6. Concilii generalis; narrat enim Joannem Portuensem, damnatis monothelitis, C-P. in templo S. Sophiae Missam romano

ritu in azymis celebrasse, non reprehendentibus sed maximopere latinum commendantibus ritum imperatore Heraclio, Georgio C-P. praesule, cunctisque graecis. 2. Joannes Philoponus euthychiana infectus scabie contendebat, ut initio capitis animadvertimus, Christum Dominum sacramentum Corporis sui in fermentato pane instituisse. Ad id vero demostrandum non alio utebatur argumento quam illo deducto ex consuetudine quae in ecclesia C-P. sua aetate vigebat, nempe saec. 6. ajebat enim: *Neque azymum panem antitypum proprii Corporis discipulis suis dedit Christus; fieret enim id etiam nunc*. Cumque Philoponus alexandrinus esset, et viveret Constantinopoli, consequitur in ecclesiis saltem alexandrina et C-P. illa aetate ritum viguisse fermentati.

CONCLUSIO V.

Valet consecratio sive in azymo sive in fermentato pane fiat.

Prob. 1. Ut valida sit eucharistici sacramenti confectio necesse est ut pro materia panem habeat triticeum quemadmodum concl. 1. demostravimus, sed triticeus panis est sive azymus sive fermentatus; ut cetera enim mittam, Theodoretus expos. in Daniel. inquit: *Panis dicitur fermentatus et azymus*, atque idipsum naturali patet ratione, ergo etc.

Prob. 2. Validum esse sacramentum in azymo pane consecratum patet ex dictis in superioribus conclusionibus, et ex quo nullus graecorum neque pestilentissimus Photius cui omnia romanae Ecclesiae displicebant, usque ad undecimum saeculum contra vetustissimum latinorum ritum ausus sit mussitare; unde Leo IX. in ep. ad Michaelem Cerularium fidenter inquit: *Illud autem quis non stupescat, quod post tot sanctos et orthodoxos Patres per mille et viginti a passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiae latinae emersisti, publicam persecutionem excitans, et anathematizans omnes quicumque participes erunt sacramentorum ex azymis?* Quod vero valeat etiam in fermentato utraque ecclesia consentit, graeca de qua nullum est dubium, et latina quae consuetudinem illam numquam improbavit. Hinc Leo IX. et Cardinalis Humbertus quamvis omnem in repellendis graecorum calumniis conatum impendant, nullibi tamen graecorum damnant ritum. Hinc Gregorius VII. ep. 1. lib. 8. *Nos azymum nostrum*, inquit, *inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentum non reprobamus*. Hinc Concilium florentinum cui et graeci subscripserunt, in litteris union. ait: *Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo Christi Corpus veraciter confici*. Hinc denique complures romani Pontifices usque ad Benedictum XIV. editis constitutionibus prohibuerunt presbyteris graecis ritu latino, et presbyteris latinis ritu graeco Eucharistiae conficere sacramentum, sed conficiendum esse ab unoquoque Domini Corpus juxta suae ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem, ut legitur in professione fidei edita jussu Gregorii XIII. et a Benedicto XIV. confirmata anno 1742.

Confirmatur argumentum ex eo quod fermentato impune utatur, ut diximus, ecclesia graeca, azymo autem praeter Ecclesiam romanam multae orientales ecclesiae, nempe jerosolymitana, ut post Humbertum Lupus noster demostrat, et marinitica, ut apud Morinum demostrat Abraham exellensis, usae fuerint antiquis temporibus. Quod armeni usurpent azymum non diffitentur graeci. De gothis in Hispania degentibus qui mozorabes dicuntur idipsum probat eruditissimus Mabilionius. Ex his omnibus conficitur validam esse Christi Corporis consecrationem sive in azymo sive in fermentato fiat, quod erat demonstrandum.

CAPUT III.

Quae adversus statutas superiori capite propositiones possunt objici solvuntur.

Obj. 1. cont. 1. concl. In panibus a Christo multiplicatis in deserto ad alendas turbas Joan cap. 6. praefiguratum fuit eucharisticum sacramentum, sed panes illi erant hordeacei, ut habetur ibidem, ergo valet Eucharistia in pane hordeaceo confecta. 2. Valide conficitur Eucharistia in vino sive rubro sive albo, ergo a pari valet Eucharistia in quovis panis specie consecretur. 3. S. P. Augustinus lib. 16. de civ. Dei cap. 37. valere tradit sacramentum in pane ex frumento confectum. Non omne frumentum est triticum. Valide ergo fit sacramentum in pane sive ex spelta, sive ex farre, sive ex avena etc. 4. S. Thomas absque ulla ambiguitate verborum docet panem siligineum sufficientem esse Eucharistiae materiam.

Resp. ad singula. Atque ad 1. *Quinque panes intelliguntur quinque libri Moysis, ait S. P. Augustinus exposit in Joan. tract.* 24. *in hunc locum, merito non triticei, sed hordeacei, quia ad vetus Testamentum pertinet. Nostis autem hordeum ita creatum, ut ad medullam ejus vix perveniatur: vestitur enim eadem medulla tegmine paleae, et ipsa palea tenax et inhaerens, ut cum labore exuatur ... venit aliquando qui per medullam hordei ostendebatur, per paleam vero hordei occultabatur ... et aperiuntur quae clausa portabantur etc.* Panis ergo ille praesignabat panem vivum qui de caelo descendit, hoc est, indigitabat verbum humana carne velatum. Aut si mavis Eucharistiam praesignasse, in eo tantummodo praesignabat quod sicut ille panis carnaliter, hic spiritualiter satiat quicumque ex eo comedere habent in deliciis, vel quemadmodum hordei medulla legitur, ut dictum est, adhaerente illi palea, ita vivus panis Christus legitur in Eucharistia visibilibus speciebus, ut locum habeat fides. In hoc sistit figura, non in alio.

Ad 2. neg. cons. et parit. Disparitatis ratio in eo est, quod vinum sive album sit sive rubrum, verum et proprie dictum est vinum. Ast panis qui non sit ex tritico compositus, non est verus proprieque dictus panis.

Ad 3. S. P. Augustinus frumenti nomine laudato in argumento loco

intelligit triticum; sumit enim frumentum pro nobiliori principaliorique hujus generis specie, imitatus Psalmistam qui dum inquit psal. 80. *Cibavit eos ex adipe frumenti*, frumenti nomine intelligit panem ex farina conflatum purissimi tritici, ut explicant omnes interpretes.

Ad 4. si siligo specie a tritico non differret, sufficiens esset proculdubio Eucharistiae materia, ut arbitratus est S. Thomas. Sed quum non satis constet siliginem esse speciem tritici, panis ex illa confectus materia esset dubia et incerta. Ex definitione autem Innocentii XI. licitum non est in sacramentis conficiendis materiam usurpare dubiam et tantum probabilem.

Obi 2. adv. 2. concl. Eucharistia instituta est a Christo in usum fidelium; ast in usum fidelium non est enormis quantitas panis, puta quae adinvenitur in foro. 2. Massa panis cruda quoniam non est in usum fidelium, consecrari non potest, ergo ingens panis quantitas quae non est in usum fidelium, valide non consecratur. 3. Potestas consecrandi a Christo collata sacerdotibus data est in usum, non in abusum. Sed qui magnam panis consecraret quantitatem potestate a Christo accepta uteretur in abusum.

Resp. omnia haec argumenta et similia demonstrare dumtaxat sacerdotem qui enormem panis quantitatem consecraret, graviter peccare, non autem invalidam esse consecrationem; atque adeo licitam non esse cujuscumque quantitatis consecrationem, non vero invalidam. Nunc ad singula. Atque ad 1. et 3. haec sit brevis responsio cum S. Thoma 3. p. q. 72. art. 2. *Materia igitur hujus sacramenti* (Eucharistiae) *determinatur per comparationem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici quod quantitas materiae hujus sacramenti sit determinata*. Si materia est indeterminata, quaevis panis quantitas consecrari valide poterit dummodo sit moraliter praesens, et sacerdos illam consecrare intendat. *Potestas enim ministrorum*, prosequitur S. Thomas, *ad duo ordinatur. Primo quidem ad effectum proprium, secundo ad finem effectus. Unde si sacerdos intendat consecrare Corpus Christi propter aliquem malum finem* (ut faceret qui totum panem in foro venalem consecraret) *propter intentionem mali finis peccat*; *nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum*.

Ad 2. Ideo non valet massae panis crudi consecratio, quia massa illa panis proprie non est. E contra quaevis quantitas panis quae a sacerdote consecrari posset verus ac proprie dictus panis est, ideoque idonea Eucharistiae materia.

Obj. 3. cont. 3. concl. Si Christus Dominus azymum panem in suprema coena adhibuit ex eo quod luna 14. exeunte pascha comederit, dicendum erit Christum ipso paschatis die cruci affixum fuisse; at hoc falsum est, nam judaei timentes illos qui visa resurrectione Lazari crediderunt, dicebant Matth. cap. 26. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*. Quare Christus Dominus pascha celebravit potius luna 13. cum adhuc vescerentur judaei pane fermentato. 2. Id apertissime affirmat Joannes cap. 13. v. 1. dicens: *Ante diem festum paschae sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat etc. Et coena facta ... surgit a coena ... et ... coepit la-*

vare pedes discipulorum ec. 3. Neque confugere juvat ad distinctionem inter diem naturalem et legalem, quasi Joannes dixerit, *ante diem naturalem paschae*, nam idem Joannes narrat quod audientes Apostoli illa Christi verba: *Quod facis, fac citius ... putabant ... quod dixisset ei* (proditori) *Jesus: Eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum*, sed in festis diebus licitum non erat aliquid emere, non ergo dies legalis paschatis adhuc incoeperat.

Resp. 1. Etiamsi concederemus Christum supremum celebrasse pascha luna 13. ante reliquos judaeos, quod tamen falsissimum est, non proinde consequeretur usum fuisse fermentato; eo enim in casu qui non venit legem solvere sed adimplere, integrum judaicum ritum excepta temporis circumstantia religiose observasset; adeoque usus fuisset azymo.

Resp. 2. solvendo singulas in argumento allatas difficultates. Atque ad 1. Quamvis judaei exclamaverint non in die festo damnandum esse Christum, nihilominus furore adversus illum perciti in proposito non steterunt. Ita Chrysostomus hom. 80. in Matth. *Ira tamen inflammati posteaquam proditorem invenerunt, commutati expectare non potuerunt, sed in ipsa solemnitate ipsum occiderunt.*

Ad 2. Alius penes judaeos erat dies festus legalis, alius vero naturalis seu usualis. Prior incipiebat a vespera, et in vesperam sequentis diei desinebat, juxta illud Levitici cap. 23. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*. Alter vero incipiebat a media nocte, et in sequentem mediam noctem protrahebatur. Matthaeus, Marcus, et Lucas dicentes Christum pascha comedisse primo die azymorum, loquuntur de die legali, atque significare volunt, luna 14. exeunte ad primas paschatis vesperas solemnem celebrasse more judaico coenam. Joannes autem cum dixit: *Ante die festum paschae*, locutus est de die naturali, ac respectum habuit ad diei celebritatem quae incipiebat a media nocte. Neque novam aliquam et inusitatam phrasim adhibuit Evangelista, nam etiam Levitici cap. 23. ubi Deus praeceptum tulit de paschatis celebratione, legitur: *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperam, phase Domini est. Et quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.* Hic quintadecima dies mensis pro solemnitate azymorum assignatur, et tamen eamdem solemnitatem incoepisse dicitur die quartadecima ad vesperas.

Ad 3. haec sit brevis responsio. Quamvis vetitum esset judaeis in festo die jam inchoato emere vel vendere quae necessaria erant ad victum, unde festum quodlibet *parasceven*, videlicet *praeparationem ciborum* habebat, ejusmodi tamen praeceptum paschatis solemnitatem non comprehendebat; quod patet ex lib. Exodi cap. 12. v. 16. *Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quae ad vescendum pertinent*. Ex quo itaque Apostoli crediderint debuisse Judam emere quae necessaria erant ad victum, non colligitur non habitam a Christo fuisse supremam coenam ante legalem diem azymorum.

Instabis: Atqui loquitur Joannes de die legali, non naturali, nam judaei quando damnatus jam Christus erat ad necem nondum celebraverant pascha; ait enim de illis Evangelista cap. 18. v. 28. *Et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*. 2. Nec regerere juvat non manducasse judaeos alias victimas de ovibus et de bobus septem illis diebus immolari solitas, juxta divinum praeceptum, 1. quoniam *manducare pascha* absolute prolatum significat in Scripturis esum agni paschalis qui prima azymorum die fiebat. 2. quia in praecepto de paschate quod prostat Deuter. cap. 16. v. 2. victima agni paschalis aperte distinguitur ab aliis hostiis; praeceptum enim habet: *Immolabis phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus*.

Resp. neg. ant. Atque ad 1. judaei debebant juxta praeceptum Domini ad pascha celebrandum non solum agnum primo die azymorum, sed et *hagigam*, hoc est victimas ovium, juvencorum, et boum in die proxime sequenti immolare, quarum victimarum partem et ipsi laici, si immundi non erant, edebant. Patet id ex Deut. cap. 16. in argumento laudato: *Immolabisque phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus*. Et ex 2. lib. Paral. cap. 35. v. 9. *Dederunt ceteris levitis ad celebrandum phase quinque millia pecorum, et boves quingentos*. Narrans ergo Joannes noluisse judaeos ingredi praetorium ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha, nomine paschatis intelligit victimas *hagigas* a judaeis nuncupatas, non agnum paschalem.

Ad 2. falsum omnino est phrasim hanc, *manducare pascha*, significare tantummodo esum agni paschalis, nam clarum est divinum praeceptum, *immolabisque phase de ovibus et de bobus*; ubi phase seu paschatis nomen sub se non agnum solum, sed et alias victimas comprehendit. Quare manducare pascha promiscue significat tum agni tum aliarum victimarum esum. Judaei ergo adhuc non comederant pascha, juxta Evangelium Joannis, hoc est alias ab agno victimas in die solemni comedi solitas.

Ad 3. neque verum est in illo Domini praecepto, *immolabisque phase etc.* distingui agnum ab ovibus, bobus ec. nam neque in nostra latina vulgata neque in hebraico textu neque in aliis versionibus habetur nota conjunctionis; unde oves ac boves referuntur ad phase sub quo tamquam sub genere oves et boves continentur, non enim legitur, *immolabisque phase Domino Deo tuo, et de ovibus et de bobus*, sed, *immolabisque phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus*.

Insistes adhuc: Atqui judaei quando Christus ingressus est in praetorium non manducaverant pascha, hoc est, agnum typicum, non alias ab agno victimas, ergo etc. Prob. 1. Idem Joannes cap. 19. affirmat diem qua Christus Dominus obiit fuisse parasceve paschae: *Erat autem parasceve paschae*: parasceve paschae erat praeparatio ad pascha, ergo etc. 2. Ibidem v. 31. legitur voluisse judaeos e cruce tollere corpora ne die sabbato remanerent, *erat enim magnus dies ille sabbati*. Quare magnus nisi quia dies erat primus azymorum simul et sabbati? 3. Quae facta a judaeis narrantur in Evangeliis ad conquirendam exequendamque Christi

mortem, repugnat ut facta dicantur primo die azymorum, neque enim tam celebri inchoata solemnitate licitum erat aut arma gestare aut consilium ad reorum statuendam mortem inire aut exequi supremum supplicium, ut factum est in Christi morte.

Resp. neg. ass. Atque ad 1. dico parasceven paschae laudato in argumento loco significare feriam sextam quae inter paschales dies incidebat, non praeparationem ciborum ad primum diem azymorum. Hinc Marcus cap. 15. v. 42. inquit: *Erat parasceve, quod est ante sabbatum*. Quamvis enim parasceves nomen proprie significet praeparationem ciborum, apud judaeos tamen mos invaluit omnem sextam feriam ex consuetudine parandorum ciborum pro sequenti die festo sabbati appellare parasceven. Et revera primus azymorum dies parasceven proprie dictum, hoc est praeparationem ciborum non habebat, ut superius animadvertimus. Dicens ergo Joannes, *erat parasceve paschae*, idem est ac si dixisset, erat feria sexta quae inter solemnes paschatis dies incidit.

Ad 2. Ratio cur sabbati dies eo anno quo Dominus obiit magnus ab Evangelista appellatur, non est quod esset primus dies azymorum, sed quoniam erat sabbatum simul et secundus azymorum dies qui ceteris celebrior habebatur, quoniam eo die offerebat populus manipulum spicarum, et apparebat in templo cum victimis pacificis. Dies autem in quibus offerebat populus victimas et holocausta magni a judaeis dicebantur, ut colligitur ex ejusdem Joan. Evang. cap. 7.

Ad 3. Distinguenda sunt quae ab impiis judaeis Christi inimicis, ab iis quae a piis hominibus Christi Domini discipulis facta fuerunt. Quod judaei consilium inierint ad perdendum Jesum, tribunalia adierint, arma gestaverint, aliaque hujus generis fecerint, quid mirum? Quum essent scelestissimi, et Christi inimici, derelicti a Deo in manu proprii consilii, transgressi sunt legem de diebus festis colendis. Nonne in adversariorum quoque sententia die sabbati summo mane principes sacerdotum consilium inierunt ut a Pilato peterent milites ad custodiendum sepulchrum? Nonne pluries quaesierunt Christum ad necem in solemnioribus festivitatibus encoeniorum, tabernaculorum, et sabbati, ut narrat idem Joannes? Quod ergo multa facta sint legi contraria in Christi morte non demonstrat accidisse illam ante primum diem azymorum. Deinde ea fuit sacerdotum hypocrisis, ut ne viderentur tam turpiter transgredi legem, ministerio gentilium multa perfecerint, ut legitur in evangelica historia. Quae vero a piis hominibus Christi amicis facta fuerunt non erant illicita. Illicitum quippe non fuisse judaeis in festis diebus emere ac vendere quae ad curandum mortui cadaver requirebantur, testantur doctiores Rabbini. Summae pietatis fuisse mortuorum cadavera in festivitatibus sepelire, habemus ex lib. Tobiae cap. 11. v. 4. 5. Nil ergo afferri potest ab adversariis quod sententiam nostram quatere valeat.

Obj. 4. adv. 4. concl. I. mos erat antiquitus ut qui ad missas celebrandas conveniebant, panem vinumque ad altare offerrent, ex quibus conficiebatur sacrificium; unde auctor incertus serm. 215. nunc 265. de

temp. inter suppositos augustinianos, *Oblationes*, inquit, *quae in altario consecrentur offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit*. Sed panes qui offerebantur erant fermentati et usuales, ut Ambrosius inquit lib. 4. de sacram. cap. 4. *Tu forte dicis: meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*. Ergo azymi usus perpetuus non fuit in Ecclesia ab Apostolis ad haec usque tempora. II. Photius C-P. sedis invasor et ab eo seducti graeci reprehenderunt in latinis, ut aliquam nefandi schismatis praetexerent caussam, ritus omnes ac consuetudines in quibus ab illis discrepabant, nec tamen ullam azymorum fecere mentionem, ergo etc. III. saeculis 4. et 5. mittebatur a romanis Pontificibus ad titulos et ecclesias Eucharistia, ut patet ex vita Melchiadis et Siricii, atque ex ep. Innocentii I. ad Decentium, aliisque ex monumentis, idque fiebat praesertim ad manichaeos detegendos qui latitabant in urbe, sed Eucharistia quae ad titulos et ecclesias mittebatur appellabatur *fermentum*, ut legere est laudatis in locis, ergo etc.

Resp. ad 1. Jacobus Sirmondus qui tantam rerum ecclesiasticarum eruditionem ostentat non animadvertit duas antiquitus fieri consuevisse ad altare oblationes, unam ante evangelium, alteram vero post recitatum evangelium. In priori offerebantur panis, vinum, et quodcumque aliud in alimentum sacerdotum et egenorum, adeoque panis ille ante evangelium oblatus utique erat fermentatus. Sed oblatio quae post lectum evangelium fiebat erat ex solo pane ac vino ad consecrationem, illeque panis proculdubio azymus erat. Quod patet tum ex eo quod secundae hujus oblationis quidquid post consecrationem supererat ab archidiacono pro privatis aliorum dierum sacrificiis servabatur, quod minime factum fuisset si panis ille fuisset communis et usitatus, tum ex antiquissima missa ambrosiana; unde etiam hisce temporibus, juxta ambrosianum ritum, solent viri ac matronae post evangelium panem ac vinum ad consecrandum offerre, qui panis azymus utique est, ut omnes norunt. Hac posita oblationum distinctione, facile explicantur quae a Sirmondo adversus nostram sententiam ex laudato in argumento sermone, ex can. 4. concilii 2. matisconensis, ex Cypriano, aliisque antiquitatis monumentis afferuntur. Nam quod ad Ambrosium spectat, vocat is materiam Eucharistiae panem usitatum per oppositionem non ad panem azymum, sed ad panem consecratum, exprimit enim ibi S. Doctor admirationem neophiti primo sacra mysteria aspicientis.

Ad 2. Photius ideo in latinis usum azymi non reprehendit, quoniam quum vir summe doctus esset optime noverat Christum in azymo pane Eucharistiam instituisse. Objecit id primitus Michael Cerularius, quoniam licet schismatis studio et audacia par esset Photio, ingenio tamen et doctrina longe illo inferior erat. Falsum est praeterea Photium redarguisse latinos de omnibus ac singulis ritibus in quibus a graecis discrepabant. Nonne silentio praeteriit tonsuram capitis, unicam infusionem in conferendo baptismate, ritum, ac dilationem confirmationis, aliaque plurima in quibus

graeci differunt a latinis? Argumentum ergo ex Photii silentio deductum frivolum est.

Ad 3. Quamvis Baronius aliique plures fermenti nomine quod a romanis Pontificibus ad titulos et ecclesias dirigebatur non consecratum panem, sed eulogias intelligant, nos tamen non diffitebimur fermentum illud fuisse Eucharistiam. Cur ergo fermentum dicebatur? Non per oppositionem ad azymum, quid enim opus erat nominari fermentum, si oblatio illa fuisset ex pane communi et fermentato? Sed ad significandum vinculum communionis et unionis ecclesiarum, sicuti fermentum farinae commixtum totam conglutinat massam. Hinc oblatio illa non fermentatum, sed fermentum dicebatur. Consentientem habemus hac in re etiam Sirmondum.

Obj. 5. cont. 5. concl. 1. Qui Eucharistiam conficiunt in azymo cum judaeis facere videntur, nova enim lex quae circumcisionem abstulit et victimas et sabbata, aliasque solemnitates et caeremonias, abstulisse quoque censetur azyma quae in usu erant penes judaeos. 2. Ut verus habeatur panis necesse est ut sit elevatus, id autem fit per fermentum, ergo etc. Hinc graece verus panis dicitur ἄρτος hoc est, sursum levatus. 3. Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hic autem obtulit panem fermentatum 4. In trullana Synodo can. 11. haec edita fuit definitio: *Nemo eorum qui in sacerdotali ordine numeratur, vel laicus judaeorum azyma comedat.* 5. In sacris Scripturis azyma significare solent tristitiam et moerorem, quum e contra Eucharistia gaudium afferat ac laetitiam. 6. Demum quum Christus in Evangeliis regnum caelorum asssimilet fermento, graeci concludunt panem fermentatum esse necessariam materiam Eucharistiae. Plura hujus generis alia insulsa et ridicula afferunt graeci schismatici quae ne lectores fastidio afficiam consulto praetereo.

Resp. ad 1. cum Humberto Cardinali 1. Quum judaei non azymos solum, sed et fermentatos panes deberent offerre juxta mosaicum praeceptum Levit. cap. 7. si latini judaizant quod azymum consecrent, graeci quoque judaeos imitantur fermentatum panem pro materia Eucharistiae usurpando. 2. Sic schismaticos alloquitur Humbertus: *Unde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cortinae, sanctum chrisma, et thymiama, aspersionis aqua, thuribulum, et cetera sancti ministerii vasa seu ornamenta, aut vestimenta sacerdotalia? Unde vobis encaenia, pentecostes, et pascha? Unde vobis pontifices, sacerdotes, levitae?* 3. Christus abrogando legem multa prudenter retinuit quamvis in diversum penitus finem. Hinc optime Anselmus in rescripto ad Walerannum: *Cum facimus*, inquit, *aliquid quod judaei, ut judaismum servarent, faciebant, non judaizamus, quia non propter judaismum, sed propter aliam causam hoc facimus*.

Ad 2. A graecis omnia panum genera ἄρτοι nomine insigniri solent. Hoc nomine *paximatia* monachorum appellantur ab Athanasio, Cassiano, Palladio, et paximatia panes erant azymi ἄρτους. Appellat Scriptura subcinericias placentas quas Abraham ad comedendum dedit angelis sub humana specie peregrinantibus. Ἄρτον dicit sacer textus etiam manna quod de caelo pluit:

Panem caeli dedit eis. Deinde etiam hebraei quorum linguam loquebatur Christus quamlibet panis speciem appellant *lechem.* Et Moyses Deut. cap. 16. v. 3. panem azymum juxta hebraicum testum vocavit, *lechem honi*, juxta septuaginta interpretes, ἄρτον ταπεινώσεως, juxta vulgatum interpretem, *panem afflictionis.* Sive ergo panis fermentatus sit sive azymus semper verus est panis, adeoque etc.

Ad 3. In hoc consistit similitudo inter Melchisedechum et Christum, quod sicut ille verum obtulit panem, ita et Christus Dominus, nam etiam panis azymus verus est panis, ut mox observavimus. Praeterea quis graecis revelavit quamnam panis speciem Melchisedech obtulerit? Ac denique inter figuram et figuratum non omnimoda intercedere debet similitudo.

Ad 4. Canon 11. trullanae Synodi ne verbum quidem habet de materia Eucharistiae, sed prohibet dumtaxat nimiam christianorum sive clericorum sive laicorum cum judaeis familiaritatem, solebant enim aliquibus in locis christiani cibum sumere cum judaeis deque illorum azymis participare; unde subversionis periculum imminere poterat; atque pravam hanc consuetudinem vetare voluit ille canon quomodo jam antea factum fuerat per canonem 70. inter apostolicos.

Ad 5. Azyma a judaeis olim adhibita afflictionem significabant et laetitiam, afflictionem quatenus diras aegyptiacae captivitatis aerumnas, felicitatem prout liberationem a tantis malis significabant. Etiam azymus panis in quo Eucharistia conficitur utrumque significat, tristitiam nempe quia per Eucharistiam passionis mortisque Christi fit commemoratio, gaudium vero atque laetitiam quia spem ingerit vivam aeternae vitae comparandae.

Ad 6. Si schismaticorum consisteret argumentum, pani eucharistico admiscenda essent grana sinapis, et palmites, frustulum sagenae, aut etiam auri, quia hisce omnibus rebus aliisque similibus regnum caelorum assimilatur in Evangeliis. Quid ineptius? 2. Nonne legitur in Scripturis Matth. cap. 16. *Cavete a fermento pharisaeorum?* Nonne inquit Paulus, *expurgate vetus fermentum, et epulemur non in fermento malitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis?* Ubi agitur ergo de sacramentis Christi institutio attendenda est. Institutionem autem Christi dignoscimus a consuetudine Ecclesiae. Cumque Ecclesiae consuetudo agnoverit semper Eucharistiae validitatem sive in azymo sive in fermentato consecretur, fit consequens valide confici sacramentum in azymo et in fermentato.

CAPUT IV.

De altera Eucharistiae materia, nimirum de vino.

Alteram Eucharistiae materiam seu materiam consecrationis calicis esse vinum docent catholici omnes quorum de hac re systema est, 1. vinum naturale, hoc est ex vite, esse materiam Eucharistiae. 2. Vino admiscendum esse modicum aquae, idque necessario necessitate praecepti ecclesiastici, non divini.

Adversus istud Ecclesiae dogma plures sive veteres sive recentiores insurrexerunt haeretici, primique fuerunt aquarii seu *hydroparastatae*, sic nuncupati quod existimarent valide confici posse Eucharistiam in sola aqua. Fuerunt hi ebionaei, encratitae, ac manichaei, quoniam vel a vino superstitiose abstinebant, vel vinum creaturam a Deo malo conditam esse blasphemabant. In eumdem errorem inciderunt etiam nonnulli africani presbyteri et episcopi, sed alia ex caussa, ne videlicet ex vini odore post sacrificium ab ethnicis tamquam christiani detegerentur. Redarguit hos graviter S. Cyprianus ep. 63. ad Caecilium. Ita veteres illi haeretici. Recentiores autem, nimirum protestantes neque dogma hoc intactum reliquerunt, etsi enim nobiscum damnent aquarios, existimant tamen valide consecrari posse quidquid loco vini bibi solet iis in regionibus ubi vini ex vite usus non est. Hinc Theodorus Beza, et Philippus Melancthon concesserunt ruthenis ob vini inopiam pro calicis materia aquam mellitam.

In appositum scopulum impegerunt armeni, docentes materiam calicis ita esse vinum ut invalida sit consecratio si modicum aquae, ut in catholica Ecclesia fieri solet, ei admisceatur. Constat id apertissime ex Synodis trullana et florentina, atque ex Theophilacto in cap. 19. Joan. Adscripserunt eumdem errorem graecis Magister sententiarum, Scotus, et Durandus, sed injuria, ut ex florentino Concilio colligitur. Videamus nunc quid protestantes senserint, nihil enim fere est in quo catholicis non contradicant. Fatentur hi Christum probabiliter adhibuisse vinum aqua mixtum in Eucharistiae institutione. Agnoscunt Ecclesiam antiquitus tantillum aquae consuevisse admiscere vino in consecratione. Non diffitentur denique mixtionem illam a Patribus allegorice explicatam fuisse in eorum scriptis. Sed his non obstantibus, contendunt non modo quaestionem hanc esse adiaphoram, sed prudentius se gerere illum qui solum vinum sine aqua in sacrificio usurpat, ecclesiasticumque praeceptum a catholicis decantatum *humanum esse figmentum*, ut inquit Luterus adv. Henricum VIII. Pro catholica itaque sententia pugnandum est.

CONCLUSIO I.

Altera Eucharistiae materia est vinum de vite, non alius liquor, licet communiter deserviat ad potum, multoque minus aqua.

Prob. 1. concl. pars. 1. In Evangeliis legitur Christum Dominum in suprema coena, quando Eucharistiam instituit, prius consecrasse panem, subinde calicem, sed in calice vinum erat de vite; ait enim apud Marcum cap. 14. *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei*, ergo etc. 2. S. Cyprianus in ep. 63. ad Caecilium: *Nec potest videri sanguis ejus*, inquit, *quo redempti et vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici.* S. P. Augustinus lib. 4. de doctr. chr. cap. 21. de citata Cypriani epistola loquens ait: *Solvitur quippe ibi quaestio in qua*

quaeritur, utrum calix dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere. Plures Sanctorum sententias vide concl. sequenti. 3. Consuetudo Ecclesiae et quidem constans et perpetua semper fuit ut in calicis consecratione vinum adhiberetur, contrariumque sentientes habuit tamquam haereticos. Hinc Concilium 3. carthaginense can. 24. statuit, *ut in sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum.*

Prob. altera pars. concl. ex dictis. Si enim ex institutione Christi, ex sanctis Ecclesiae Patribus, ex perpetua Ecclesiae consuetudine constat materiam Eucharistiae esse vinum, ergo cerivisia, vinum nempe vel ex frumento vel ex cerasis aut pomis aliisve extractum fructibus non est sufficiens calicis materia, neque enim ejusmodi liquores sunt vinum, quod non exprimantur ex uva. Idem dicendum de aceto, vini enim naturalis exuit substantiam, de omphacio, liquore nimirum ex uvis agrestibus seu immaturis elicito, deque aliis hujus generis, quoniam vini proprie dicti naturam non habent. Multo magis ergo execranda erit opinio Bezae et Melancthonis quum mel aquae admixtum nec nomen vini retineat.

Prob. 3. pars. concl. Praeter allata, ad rem hanc faciunt sequentia. 1. De aquariis scribit Clemens alexandrinus lib. 1. strom. *Eos relinquere Ecclesiam, et versari in haeresibus qui sola aqua utuntur in Eucharistia.* Irenaeus lib. 5. adv. haer. cap. 2. ebionitas damnat quod vino non uterentur in mysteriis. Epiphanius haer. 30. *Encratitarum mysteria*, inquit, *quae aqua solummodo constant, mysteria non sunt, sed ficta atque fallacia.* S. P. Augustinus lib. de haer. haeresi 64. damnat aquarios, *quod aquam offerunt in poculo sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia.* 2. Ecclesia semper habuit aquarios cujuscumque fuerint sectae tamquam haereticos hoc solo titulo quod aqua tantum in Eucharistia uterentur.

CONCLUSIO II.

Vino consecrando modicum naturalis aquae est admiscendum, idque ex praecepto ecclesiastico.

Prob. prior concl. pars. 1. ex traditione Patrum. S. enim martyr Justinus in apol. 2. inquit: *Deinde ei qui fratribus praeest offertur panis, et poculum aquae et vini.* S. Irenaeus lib. 11. adv. haer. cap. 57. scribit: *Accipiens Dominus panem, suum esse corpus confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* S. Cyprianus in citata saepius ep. ad Caecilium ait: *Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit.* Et rursus: *Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.* S. Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 4. *Ergo didicisti*, inquit, *quod ex pane corpus fit Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi caelestis.* S. Hieronymus in cap. 14. Marci: *Format Christus sanguinem suum in calice, vino et aqua mixtis.* S. P. Augustinus tract. 70. in Joan. loquens de aqua

quae ex latere Christi fluxit inquit: *Aqua illa salutare temperat poculum*. Ab aliorum Patrum recitandis sententiis, ut brevitati consulam, abstineo. 2. Ex ritualibus libris in usum universalis Ecclesiae. In liturgia S. Jacobi praescribitur mixtio aquae cum vino in sacrificio conficiendo. Citat hanc liturgiam auctor constit. apostol. Synodus trullana can. 32. aliique veteres, ex quibus momentis atque ex communi graecorum consensione colligitur illam genuinam esse, non apocrypham ut nonnulli contendunt, et quamvis apocrypha esset, valeret tamen ob venerandam sui antiquitatem ad auctoritatem faciendam. Hoc idem dicendum est de liturgia Marco evangelistae attributa in qua similiter mixtio aquae praecipitur. De liturgiis sanctorum Basilii et Joannis Chrysostomi non opus est verba facere, quum vel ipsi adversarii nostri fateantur praecipi in illis expressam vini et aquae commixtionem. Ritus idem habetur ab antiquis temporibus in liturgia cophtorum jacobitarum et in ea qua communiter adhuc utuntur graeci. De latinis nemini dubium. Unde consequitur Ecclesiam universalem in Missae sacrificio celebrando semper consuevisse aquae modicum vino admiscere. Undenam ergo superbia isthaec protestantium ut velint universalem Ecclesiam reprehendere? 3. Ex definitionibus Conciliorum. Concilium carthaginense 3. sacrum hunc commixtionis ritum tamquam necessarium praescribit can. 24. Vide canonis verba in super. concl. citata. Insuper Synodus bracarensis 4. celebrata anno 675. ita statuit: *Calix dominicus vino et aqua permixtus debet offerri*. Synodus trullana can. 32. *Si quis ergo*, inquit, *episcopus vel presbyter non secundum ordinem ab Apostolis traditum facit, et aquam vino miscens, sic immaculatum offert sacrificium, deponatur ut imperfecte mysterium enuntians, et quae tradita sunt innovans*. Concilium florentinum in instr. pro armenis, *Tertium*, ait, *est Eucharistiae sacramentum, cujus materia ėst panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*. Tridentinum denique sess. 22. cap. 7. ait: *Monet deinde sancta Synodus praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miscerent*.

Prob. altera pars concl. I. ex sanctis Ecclesiae Patribus. Cyprianus in laudata ep. ad Caecilium, *Si vinum tantum*, inquit, *quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo*. Quo in loco quamvis demonstrandum sibi proponat aquam in sacrificio esse vino admiscendam, concedit tamen vinum solum consecratum esse Sanguinem Christi, quod non admitteret certe si ritus mixtionis esset de praecepto divino. Chrysostomus pariter refellens aquarios hom. 83. in Matth. inquit: *Cujus rei gratia non aquam, sed vinum? Perniciosam quamdam haeresim radicitus evellere voluit eorum qui aqua in mysteriis utuntur*. Ubi consecrationem in vino sine aquae admixtione validam esse tradit. Quod de Cypriano et Chrysostomo diximus, de compluribus aliis intelligi potest Patribus qui saepe solius vini mentionem faciunt. II. Ecclesia damnans armenos quod aquam vino non admiscerent, numquam declaravit carere illos vero sacrificio. III. nullibi

in sacris litteris legitur Christum Apostolis discipulisque suis praecepisse ut aqua vino admisceretur; e contra ejusmodi praeceptum extare, jam supra demonstratum est, praeceptum ergo est ecclesiasticum. IV. si sacerdos post consecrationem advertat se vino aquam non miscuisse, non tenetur ex rubrica missalis romani calici aquam infundere. Teneretur autem si commixtionis ritus esset de praecepto divino.

Quaedam in contrarium argumenta dissolvuntur.

Obj. 1. cont. 1. concl. In Evang. Joan. cap. 7. habetur: *Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*, ergo materia Eucharistiae potest esse aqua.

Resp. argumentum esse prorsus extra rem omnem, nam verba illa accipienda sunt non de incruento sacrificio, sed de gratia novi Testamenti aquae comparata etiam apud Isaiam cap. 44. Ezechielem cap. 36. et Joelem cap. 2. et patet ex loco in argumento citato, statim enim subdit: *Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Quod si ad aliquod sacramentum, ad baptismum potius cujus materia est aqua, verba illa referenda essent, ut observat Cyprianus in ep. ad Caecilium.

Obj. 2. adv. primam 2. concl. partem. 1. Chrysostomus hom. 83. in Matth. damnat aquae usum in sacrificio, ait enim: *Cujus rei gratia non aquam, sed vinum?* 2. Fideles liberi esse debent ea libertate qua Christus nos donavit. Repugnat autem christianae libertati coarctare fideles ad ritum commixtionis in sacrificio. 3. Ecclesiae romanae ritus damnatus expresse fuit a Concilio 4. aurelianensi his verbis: *Ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod fructu vinae speratur, et hoc sine aqua mixtum offerre praesumat.*

Resp. ad 1. Chrysostomum in laudata sententia damnare non illos qui aquam vino in consecratione miscent, sed illos qui solam aquam consecrare solebant, agit enim expresse adversus aquarios quorum multi sua aetate vigebant, unde prosequitur: *Perniciosam quamdam haeresim radicitus evellere voluit eorum qui aqua in mysteriis utuntur.* Hoc sensu S. Doctoris verba acceperunt Concilii quinisexti seu trullani Patres can. 32.

Ad 2. Si fideles liberi esse debent, cur protestantes adigere illos volunt ut mysteriis solum vinum sine aquae commixtione adhibeant? Deinde sub libertatis obtentu nullum erit excogitabile monstrum quod in religionem invehi non possit. Ac denique libertas a Christo nobis donata consistit in eo quod eruti a servitute mosaicae legis, vocati sumus ad evangelium in quo, opitulante gratia, praecepta nobis levia redduntur quomodo filiis qui parentes diligunt ardua quaeque facilia videntur.

Ad 3. In antiquis codicibus, teste Joanne Gerardo Vossio canon ille ita legitur: *Ut nullus in oblationibus sacri calicis, nisi quod fructu vineae speratur, et hoc nisi aqua mixtum offerre praesumat.* Atque nunc etiam ita legitur in emendatioribus editionibus, eaque lectio sensui cohaeret, si namque vinum per aurelianense Concilium debet esse mixtum, sane esse nequit sine aqua.

Obj. 3. cont. alteram partem 2. concl. 1. Ritus admiscendi vino aquam necessarius videtur necessitate sacramenti, adeoque necessitate praecepti divini, non ecclesiastici tantum. Et revera S. Cyprianus in ep. ad Caecilium in qua hoc argumentum ex professo versat, ita scribit: *Quando utrumque miscetur, et adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spiritale et caeleste perficitur*. Quare sacramenti perfectio a commixtione necessario dependet. 2. Ibidem S. Doctor expresse tradit ritum hunc a Christo fuisse paeceptum, nam ex una parte inquit: *Invenimus, calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit*, ex alia parte affirmat ibidem, praecepisse Apostolis ut idem in sui commemorationem facerent. 3. Quid plura? Fieri non posse docet oblationem et sacrificium sine illa admixtione, ait siquidem: *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest.* 4. Quod adeo ipsi persuasum fuit ut hanc afferat rationem quae peremptoria est: *Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur: quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque copulatum fuerit et adunatum.* Ast sine aqua nullus esse potest panis. 5. Denique affirmat mixtionem illam significare unionem populi cum capite suo Christo, quae unio et adunatio proculdubio est absolute necessaria: *Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.* Et infra: *Nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis*.

Resp. ad singula, atque ad 1. Per Cyprianum mixtio aquae cum vino perficit sacramentum unionis fidelium cum Christo, non perficit sacramentum Corporis et Sanguinis Domini. In Eucharistia multiplex continetur mystica significatio, aliud enim est mysterium significans sacramentum, aliud mysterium denotans sacrificium, aliud denique mysterium innuens effectum. Species panis et vini signum sunt sacramenti, nempe Corporis et Sanguinis Domini. Divisio utriusque speciei est signum sacrificii cruenti a Christo perfecti. Permixtio aquae et vini est signum seu symbolum unionis fidelium cum Christo. Cyprianus ergo dum inquit perfici a permixtione sacramentum, idem est ac si dicat permixtionem illam repraesentare unionem fidelium cum Christo.

Ad 2. attendendus est Cypriani scopus qui erat refellere illos qui sola aqua calicem consecrabant, neque enim agebat contra illos qui vino aquam non admiscebant quum tales haeretici adhuc non existerent. Ad suum autem obtinendum finem optime urget exemplum institutoris qui non in sola aqua, sed in vino aqua commixto sacramentum istud instituit. Optime urget ejusdem Christi praeceptum, *hoc facite in meam commemorationem*, quoniam voluit Christus invalidam esse consecrationem calicis in quo vinum non esset. Nec aliud certe eo argumento intendere poterat Cyprianus qui probe noverat non omnia quae Christus fecit fieri a nobis quoque debere vi praecepti divini; alioquin quum Christus consecraverit in azymo, divinum praeceptum transgrederentur graeci qui consecrant fermentatum. Alia quippe sunt quae spectant ad sacramenti vel sa-

crificii substantiam, ut panis triticeus, vinum de vite, verborum prolatio; et alia sunt accidentalia, ut locus vel tempus in quo instituta est Eucharistia etc. Commixtio aquae cum vino secundi, non primi generis est. Nihilominus est omnino servanda, quoniam Ecclesia animadvertens Christum in Eucharistiae institutione illam usurpasse, voluit atque praecepit ut a nobis quoque servaretur.

Ad 3. Recte ait S. martyr nec solam aquam nec vinum solum offerri posse, sed diverso sensu, nimirum offerri non potest aqua sola quia validum non esset sacramentum. Offerri nequit solum vinum quia alioquin non haberetur significatio conjunctionis fidelium cum Christo. Mystica autem haec significatio non est de essentia sacramenti, ut paullo ante animadvertimus. Hanc esse Cypriani mentem patet ex ratione quam affert. *Nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis, si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque copulatur, tunc sacramentum spirituale, et caeleste conficitur*, nempe sacramentum habens Corpus et Sanguinem Domini, et repraesentans unionem fidelium cum Christo.

Ad 4. Comparatio a Cypriano instituta inter panem et vinum non est in sensu adversariorum accipienda, alioquin sequeretur quod quemadmodum vinum sine aqua semper verum est vinum, ita et farina sine aqua semper verus sit panis, quod est absurdum. In hoc ergo Cypriani comparatio consistit, quod quemadmodum si quis farinam solam consecraret sine aqua, Corpus Domini nullo modo conficeret, ita qui solum vinum sine aqua consecrat non exprimit symbolum unionis fidelium cum Christo: satis ibidem mentem suam aperit sanctus Doctor inquiens: *In hoc ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta et commixta panem unum faciunt, sic in Christo qui est panis caelestis unum sciamus esse corpus cui conjunctus sit noster numerus et adunatus.*

Ad 5. dico mixtionem aquae cum vino in sacramento Eucharistiae per Cyprianum esse necessariam non ad essentiam sacramenti, quum ipse laudata in epistola apertissime doceat per solius vini consecrationem haberi Sanguinem Christi: *Si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis*, sed ad exprimendam unionem fidelium cum Christo, ut saepe animadvertimus.

CAPUT V.

De forma sacramenti Eucharistiae.

Formae nomine verba illa intelligimus quibus Eucharistia consecratur, seu quae caussa sunt efficiens ut panis et vinum in Corpus et Sanguinem Christi convertantur. In his assegnandis verbis non conveniunt homines inter se, atque alia est haereticorum, alia graecorum, aliaque scholasticorum sententia. Imo nec haeretici inter se, nec inter se graeci, neque

vero ad se invicem catholici conveniunt. Loquamur primo de haereticis. Bucerus docet posse consecrari Eucharistiam absque ulla prolatione verborum. Calvinus admittit quidem verba, sed negat esse illa consecratoria, aitque recitanda esse hystorice et narrative ad fidem dumtaxat excitandam. Incostanter more suo hac in re se gessit Lutherus, aliquando enim sententiam sequutus Buceri, aliquando vero affirmavit verba vim quamdam habere consecrationis, sed non verba tantum quae Christus protulisse creditur, sed alia etiam quae illa praecedunt et subsequuntur in liturgia. Chamerius, Albertinus, Dallaeus calvinistae in incerto fluctuant, nihilque definite pronuntiant. Ita novatores.

Graeci autem complures sententiam tuentur communem inter catholicos latinos, de qua postea. Sed nonnulli arbitrantur panem et vinum in Corpus et Sanguinem Christi non converti per sola verba quae Christus idem protulit, sed requiri praeterea precationes quae a latinis praemittuntur, ab ipsis graecis postponuntur Christi Domini verbis, suntque sequentia: *Fac panem hunc, pretiosum Corpus Christi, et quod est in calice isto, pretiosum Sanguinem Christi tui.* Sed non conveniunt inter se, alii enim putant Christi verba historice et concionatorie a sacerdote proferri, alii autem eadem verba cum sequentibus precibus censent esse consecratoria. Graecorum sententia saepius refutata postremis temporibus instaurata fuit a Petro Le Brun congregationis oratorianae presbytero.

Nec minor hac in caussa dissensio est inter nostros theologos. Innocentius 3. in lib. 4. de myster. Missae tradit Christum absque ullis verbis, sed infinita potentia sua Eucharistiam consecrasse. Odo cameracensis docuit panis et vini conversionem in Corpus et Sanguinem factam fuisse non vi verborum consecrationis, sed per benedictionem a Christo, juxta evangelicam narrationem, adhibitam. Opinionem cameracensis adsciverunt postea Ambrosius Catharinus, et Christophorus a Capite Fontium. Hi autem omnes affirmant consecrationis verba esse adhibenda, quia Christus ut adhiberentur praecepit. S. Thomas 3. p. q. 78. art. 3. docere videtur formam consecrationis calicis consistere in his verbis, *hic est calix Sanguinis mei etc.* cum iis quae sequuntur. Scotus praeter haec verba, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, addenda esse putat ad validam habendam consecrationem antecedentia quae narrationem exhibent eorum quae Christus gessit in Eucharistiae institutione, alioquin sacerdos, inquit, in persona Christi non loqueretur. Communis autem theologorum sententia est 1. Christum in Eucharistia instituenda usum utique fuisse verbis. 2. Verbis dominicis, non praecedentibus aut subsequentibus precibus confici sacramentum. 3. Verba autem dominica quae necessario requiruntur ad validam Eucharistiae consecrationem esse sequentia: *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* Nos communiori tamquam veriori sententiae subscribimus. Hinc sit

CONCLUSIO I.

Christus Dominus in institutione Eucharistiae usus est verbis.

Prob. 1. sanctorum Patrum traditione. Tertullianus lib. 4. cont. Mar-

cion. cap. 40. inquit: *Accepit panem, et distributum discipulis Corpus illum suum fecit dicendo: hoc est meum Corpus.* Ambrosius de mysteriis cap. 9. scribit: *Quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?* Et subinde verba recensens subdit: *Ipse clamat Dominus Jesus: hoc est Corpus meum. Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur, post consecrationem Corpus significatur.* Joannes Chrysostomus hom. 11. in alteram ep. ad Timoth. *Quemadmodum enim,* inquit, *verba quae protulit Christus eadem sunt quae sacerdos nunc quoque pronuntiat, ita et oblatio eadem est etc.* Joannes Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. ait: *Sicut Deus dicendo, fiat lux, fecit lumen, ita dicendo, hoc est Corpus meum, et hic est Sanguis meus, perfecit hoc sacramentum.*

Prob. 2. ex tridentino Concilio quod sess. 13. cap. 1. ita disserit: *Hoc admirabile sacramentum in ultima coena instituit, cum post panis vinique benedictionem, se suum Corpus praebere ac suum Sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est: quae verba a sanctis Evangelistis commemorata, a divo Paulo postea repetita sunt.* Distinguit Concilium benedictionem a consecratione, unde etc. Idem jam antea declaraverat florentina Synodus dicens formam Eucharistiae esse verba Salvatoris.

Prob. 3. theologica ratione. Narrant Evangelistae Christum alloquentem Apostolos revera dixisse, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* Patres et Concilia tradunt per illa verba perfectam fuisse consecrationem, quare licet potuerit Christus omnipotenti sua virtute panem ac vinum in Corpus et Sanguinem ejus convertere, constat tamen id non praestitisse.

CONCLUSIO II.

Verba quae protulit Christus, non precationes sive praecedentes sive subsequentes illa verba, sunt forma Eucharistiae.

Prob. 1. Praeter allata superius Patrum testimonia, haec alia urgeri possunt. Irenaeus lib. 5. adv. haer. cap. 2. *Quando panis,* inquit, *percipit verbum Dei, fit Eucharistia Corpus et Sanguis Domini.* Ast preces quae antecedunt et consequuntur illa verba, *hoc est etc.* non sunt vere verbum Dei. Gregorius nyssenus orat. catech. cap. 37. *Nam nunc Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi Corpus credimus immutari ... statim per verbum Corpus immutatur, ut dictum est a verbo, hoc est Corpus meum.* Alter Gregorius, nempe nazianzenus orat. 2. de pasch. scribit: *Prolatis verbis, hoc est Corpus meum, a sacerdote, qui non credit esse verum Corpus Christi, sine dubio fidem denegat.* Chrysostomus hom. de proditione Judae ait: *Hoc est Corpus meum, inquit sacerdos; hoc verbo proposita consecrantur.* Ambrosius sive quisquis alius sub S. Ambrosii nomine, in lib. 4. de sacram. cap. 5. inquit: *Consecratio autem quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quae dicuntur in superioribus, a sacerdotibus dicuntur, laudes*

Deo deferuntur, oratio praemittitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. S. P. Augustinus serm. 227. de temp. alias 83. de divers. *Panis ille*, inquit, *quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi: calix ille, immo quod habet calix sanctificatum per verbum Dei, Sanguis est Christi.* Constans itaque Patrum sententia semper fuit verba quae Christus protulit non antecedentes et subsequentes precationes quae ab Ecclesia institutae sunt, formam esse sacramenti Eucharistiae.

Prob. 2. ex ipsis graecorum, quos patimur adversarios, liturgiis. Receptissimae enim apud illos liturgiae Basilii, Chrysostomi, et reliquae communes praescribunt ut postquam sacerdos verba a Christo adhibita pronuntiavit, universus populus respondeat, *amen*. Quid autem ea responsione profitetur populus, nisi vera esse quae sacerdos dixit? Sacerdos autem dixit, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*. Jam ergo tunc perfectum est Eucharistiae sacramentum, ac proinde dum sacerdos orationem illam, *fac panem hunc, pretiosum Corpus Christi etc.* recitat, Corpus et Sanguis Christi sunt in Eucharistia. Ita contra populares suos argumentatur Cardinalis Bessarion adv. Marcum ephesium. Illudque argumentum confirmat ex eo quod diaconus, juxta ritum orientalis ecclesiae, statim ac sacerdos illa verba, *hoc est Corpus etc.* pronuntiavit, adstanti populo panem et calicem ostendit, significans panem illum Christi esse Corpus et quod in calice continetur esse Sanguinem, ut sacerdos asseruit.

Prob. 3. ipsorum graecorum confessione. In florentino enim Concilio sess. 25. loquentes de verbis illis, *hoc est Corpus meum*, haec protulerunt: *Fateri nos diximus per haec verba transubstantiari sacrum panem, et fieri Corpus Christi: sed postea, quemadmodum et ipsi dicitis, jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus sanctus descendat super nos, et efficiat in nobis panem hunc, pretiosum Corpus Christi tui, et quod in calice isto est, pretiosum Sanguinem Christi tui, transmutetque ipsa Spiritu sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animae, in remissionem peccatorum, et non fiant in judicium et condemnationem nostram.* Errant nunc ergo graeci etc.

CONCLUSIO III.

Forma essentialis Eucharistiae consistit in his verbis tantum: hoc est Corpus meum, hic est calix Sanguinis mei, *vel* hic est Sanguis meus. *Reliqua autem ad licite consecrandum recitari debent.*

Prob. prima concl. pars. 1. ex iis quae in superioribus conclusionibus tradidimus ex Patrum et Conciliorum sententiis in quibus apertissime enunciantur verba quae ex ore Christi prodierunt virtutem habere consecrandi panem et vinum. Verba autem a Christo prolata sunt, *hoc est Corpus*

meum, hic est calix etc. Dictis autem haec addi possunt. Justinus martyr in apol. 2. ad Antonin. imp. *Apostoli*, inquit, *in commentariis suis quae Evangelia dicuntur, ita sibi Jesum praecepisse dicunt, eum accepto pane, cum gratias egisset, dixisse, hoc facite in memoriam mei: hoc est Corpus meum. Dixisse etiam accepto poculo: Hic est Sanguis meus, ipsisque solis dedisse.* Auctor serm. de coena Domini apud Cyprianum ita scribit: *Ex quo a Domino dictum est, haec est Caro mea, et, hic est Sanguis meus, quotiescumque his verbis, et hac fide actum est, panis iste supersubstantialis et calix benedictione sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit.* S. Gaudentius tract. 2. in Exod. ait: *Cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus. Credamus cui credidimus: nescit mendacium Veritas, non infringamus illud os solidissimum, hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* 2. Illa tantum verba essentialem Eucharistiae formam constituunt per quae realis Corporis et Sanguinis Domini praesentia in sacramento exprimitur ac designatur, formae enim sacramentorum id significant quod operantur. Jam vero sola illa verba, *hoc est Corpus etc. hic est Sanguis etc.* realem Corporis et Sanguinis Domini praesentiam exprimunt ac designant, ut verba ipsa sonant. Nam alia verba quae praecedunt et subsequuntur realem Christi praesentiam minime denotant. 1. enim illa verba, *qui pridie quam pateretur, accepit panem, benedixit, ac fregit etc.* praeterquam quod non sunt verba Christi, sed Evangelistarum, nihil aliud designant nisi quod Christus gessit ante Eucharistiae institutionem. 2. Illa alia, *accipite, comedite, bibite*, non sacramenti essentiam, sed illius usum dumtaxat demonstrant. 3. Reliqua vero quae utrique formae adjecta sunt, vel Domini crucifixionem ac redemptionem, vel nexum orationis, vel institutae Eucharistiae finem, non realem Christi praesentiam respiciunt.

Prob. altera concl. pars. 1. Qui contra perpetuam Ecclesiae consuetudinem et praxim audacter facit et majorum violat instituta, gravissimi sceleris reus est, ast omittere aliquod verbum ex iis quae in panis et vini consecratione usurpari solent, est facere contra perpetuam consuetudinem Ecclesiae et contra instituta majorum. 2. Singula praescripta verba suam habent et quidem magni ponderis significationem, nam verba illa, *qui pridie quam pateretur etc.* significant sacerdotem loqui in persona Christi, particula, *enim*, ostendit nexum orationis, reliqua autem in memoriam nobis revocant mortem Christi, nostram redemptionem, aeternamque salutem, unde sine piaculo praetermitti non possunt.

Praecipua adversariorum argumenta examinantur ac refelluntur.

Obj. 1. cont. 1. concl. 1. Innocentius III. lib. 4. de myster. altar. cap. 6. ita scribit: *Sane dici potest quod Christus virtute divina confecit, et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent, ipse namque per se virtute propria benedixit; nos autem ex illa virtute quam indidit*

verbis. Ex quibus apparet Christum sine ullis verbis Eucharistiam consecrasse. 2. Quando Christus illa verba protulit, *hoc est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*, jam panis ac vinum consecrata erant. Unde transubstantiatio facta fuit a Christo per benedictionem quae verba praecessit, adeoque sine ullis verbis. Quod patet ex Matth. cap. 26. *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est Corpus meum etc.* 3. Tridentina Synodus sess. 13. aperte testatur Eucharistiam Redemptorem instituisse cum post panis vinique benedictionem se suum Corpus ac suum Sanguinem illis praebere disertis verbis testatus est.

Resp. ad 1. Innocentium III. in ea versatum fuisse opinione, quod nihil veritati sententiae nostrae derogat; quum libros de mysterio altaris scripserit antequam ad summi Pontificis dignitatem eveheretur.

Ad 2. Benedictio enim et gratiarum actio de quibus Evangelistae, fuerunt meri ritus a Christo Domino consecrationi praemissi, tum quia mos erat apud judaeos (quorum ritus omnes in postrema coena servavit Christus) cum benedictione et gratiarum actione frangere, tum etiam quia Christus Dominus antequam magnum aliquod patraret, oculos ad caelum attollere et gratias agere Patri solebat, tum denique quoniam in graeco textu habentur aoristicae voces praeteriti temporis ευπογμ'δας ευχαριδτμ'δας *cum benedixisset, cum gratias egisset*.

Ad 3. Concilii tridentini mens est Christum Dominum peracta benedictione praebuisse discipulis Corpus et Sanguinem, quatenus panis ac vinum in Corpus et Sanguinem ejus conversa sunt per illa verba, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*.

Obj. 2. adv. 2. concl. 1. Sancti Patres Eucharistiae consecrationem passim adscribunt orationibus sacerdotum, Justinus enim in apol. 2. *Per precem*, inquit, *Eucharistiam factum cibum sumimus*. Cyrillus jerosol. catech. 3. myst. tribuit transubstantiationem invocationi Spiritus sancti. Gregorius nyssenus orat. catech. ait sanctificari panem per orationem. Idipsum affirmant Hieronymus in ep. ad Evangelum, et S. P. Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 4. et de lib. 5. de bapt. cap. 20. Preces ergo sacerdotis sunt essentialis forma Eucharistiae. 2. Modus consecrandi graecorum approbatus utique ab Ecclesia latina aperte demonstrat formam consecrationis consistere in precibus quae post evangelica verba a sacerdote recitantur, in missa enim Chrysostomi postquam sacerdos protulit evangelica verba, subdit: *Deposcimus ut mittas Spiritum sanctum tuum super nos, et super haec apposita munera. Et fac panem istum quidem, pretiosum Corpus Christi tui, et quod est in calice isto, pretiosum Sanguinem Christi tui.* Consimilia occurrunt in aliis graecorum liturgiis, Clementis nempe, Jacobi, Basilii. 3. Quinimmo in missa Basilii aliquid additur quod nostrae quidem officit sententiae, nam post prolata verba, *hoc est Corpus etc. hic est Sanguis etc.* sacra dona appellantur adhuc *antitypa*, *et symbola praesignantia sanctum Corpus et Sanguinem Christi*. *Antitypa* autem, juxta Basilii phrasim, sunt panis et vinum ante consecrationem. Joannes enim

Damascenus lib. 4. de fide orthod. *Si autem*, inquit, *aliqui antitypa Corporis et Sanguinis Domini panem vinumque appellaverunt, quemadmodum deifer inquit Basilius, non post consecrationem, sed antequam consecraretur oblatio, appellarunt ita.*

Resp. ad 1. graecos Patres per εὐχὴν et κλῆσιν *orationem* et *invocationem* intelligere ipsa evangelica verba, *hoc est corpus etc.* quae licet oratio ac deprecatio non sint, implicite tamen invocationem divinae potentiae continent, quam implorare censetur sacerdos ut panis ac vinum in Christi Corpus et Sanguinem convertantur. Ita S. P. Augustinus appellat quidem lib. 5. de bapt. cap. 20. hic supra obiecto formas sacramentorum precationes dicens: *Quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi vel super oleum vel super Eucharistiam vel super capita eorum quibus manus imponitur?* Ast initio capitis jam affirmaverat: *Si Deus adest sacramentis et verbis suis...administrentur etc.* quod est idem ac dicat, verbis evangelicis. Ita Justinus expressius ad rem post laudata in argumento verba, declarans quid sit illa oratio, subdit ferme e vestigio, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* Cyrillus autem jerosolymitanus non inquit per invocationem fieri panis et vini conversionem, sed *invocatione peracta, panis fit corpus Christi*, neque enim absque precibus conficitur Eucharistia. Clarius adhuc responsionem nostram confirmat Gregorius nyssenus qui loco in argumento citato, *Statim*, inquit, per *verbum in corpus mutatur, ut dictum est a verbo, hoc est Corpus meum.* Hieronymus denique in ep. ad Evangelum demonstrandum sibi proponit, sacerdotum dignitatem diaconatus honori esse anteponendam, quod ostendit ex quo sublimius sit sacerdotis quam diaconi ministerium; unde non loquitur ibi de forma consecrationis.

Ad 2. In liturgiis graecorum sacerdos per illa verba, *fac quidem panem hunc etc.* non deprecatur Deum ut transubstantiatio fiat, quae facta supponitur per antecedentia, *hoc est corpus meum*, sed ut Eucharistia spiritualem fructum producat in fidelibus. Et revera, non inquit absolute sacerdos, juxta Chrysostomi liturgiam, ut panis fiat corpus Christi sed, *ut fiat suscipientibus.* Et in liturgia Basilii haec subsequuntur: *Nos autem omnes qui de uno pane et de uno calice participamus, junge ad invicem in unius Spiritus sancti communionem: et fac ut nemo nostrum ad judicium vel condemnationem sit particeps sancti Corporis et Sanguinis Christi tui*, quae similia sunt iis quae occurrunt in liturgia Chrysostomi: *Ut fiat accipientibus in sobrietatem animae ad remissionem peccatorum etc.* et in liturgia latina: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus omni benedictione caelesti, et gratia repleamur.*

Ad 3. Bene inquit Damascenus, *antitypa*, juxta Basilium, esse panem, et vinum ante consecrationem, nec proinde quidquam contra sententiam nostram sequitur, nam graeca verba Basilii ita habent καὶ προθέντες τὰ ἀντίτυπα etc. προθέντες autem aoristus est praeteriti temporis. Quare sic ea verba latine redduntur ab Allatio: *Et cum proposuerimus antitypa sancti Corporis etc.*

ex qua explicatione apparet Basilium vocare panem et vinum antitypa comparate ad id quod erant ante consecrationem.

Obj. 3. cont. 3. concl. 1. Ut sacerdos panem consecret necesse est ut loquatur in Christi persona, ast sacerdos dicens, *hoc est corpus meum*, non demonstrat se loqui in Christi persona, poterit enim quis suspicare loqui illum de corpore proprio, unde opus est ad valide consecrandum ut praemittat illa verba, *Qui pridie quam pateretur*, quae sacerdotem determinant ad loquendum in Christi persona. 2. Quoad formam vero vino applicandam illa consistere videtur in singulis verbis quae in nostra liturgia leguntur, nam S. Thomas sententiam hanc apertissime tradit. Et merito quidem, alioquin enim frustra ab Ecclesia instituta ac determinata fuissent.

Resp. ad 1. Sacerdos determinatur ad loquendum in persona Christi per intentionem quam tenetur habere faciendi quod facit Ecclesia, quemadmodum accidit in aliis conficiendis sacramentis, unde verba illa, *Qui pridie quam pateretur etc.* non pertinent ad formae substantiam. Hinc merito Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 4. *Per reliqua omnia*, inquit, *quae dicuntur, laus Deo defertur, oratio praemittitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed loquitur sermonibus Christi: ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.*

Ad 2. Praeclariores S. Thomae discipuli negant Angelicum praeceptorem tenuisse sententiam a nostra diversam, multaque illius testimonia quae in contrarium afferri solent explicant de *substantia* seu *essentia* formae sumptae secundum totam illius explicationem, non secundum illius praecise substantiam, afferuntque S. Doctoris verba ex qu. 78. art. 3. deprompta, ubi sic loquitur: *Omnia praedicta verba sunt de substantia formae; sed per prima verba cum dicitur, Hic est calix Sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in Sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur virtus Sanguinis effusi in passione.* Alii autem thomistae a preceptoris sui opinione hac in causa recedunt. Nec frustra Ecclesia omnia illa verba in forma consecrationis vini recitanda praecepit, per illa enim reminiscuntur fideles se non sola assumptione Corporis et Sanguinis a Christo facta fuisse redemptos, sed Sanguine effuso, morte per crucem redemptos a Christo fuisse.

CAPUT VI.

De ministro Sacramenti Eucharistiae.

Quum sub duplici respectu Eucharistia considerari possit, et quatenus nempe sacramentum est, et quatenus est sacrificium, etiam minister spectari potest et quatenus Eucharistiam fidelibus dispensat, et quatenus Eucharistiam consecrat et conficit. Non loquimur hic de Eucharistiae ministro prout illam conficit, sed quatenus illam dispensat et administrat. Et quoniam alius est ordinarius, alius vero extraordinarius sacramenti minister,

ut saepe in superioribus animadvertimus, de utroque Eucharistiae dispensandae ministro hoc in loco disserere constituimus.

Circa rem autem hanc duplex est systema, catholicorum unum, alterum haereticorum. Catholici omnes unanimi consensione tenent 1. solos episcopos et sacerdotes esse ordinarios ministros Eucharistiae dispensandae. 2. Diaconos, clericos minores, et laicos priscis Ecclesiae temporibus passim fuisse Eucharistiae ministros extraordinarios. 3. Secundum autem praesentem Ecclesiae disciplinam, eosdem diaconos necessitatis casu posse Eucharistiam dispensare. 4. Minores denique clericos, imo etiam laicos necessitate urgente posse administrare sibi ipsis Eucharistiam ex sola dispensatione summi Pontificis. Hoc est systema catholicorum.

Haeretici autem in contrariam ab initio abiere sententiam; et 1. quidem gnostici, pepuziani, collyridiani, marcionitae, aliaequae pestes, non clericis modo, sed et laicis, imo et foeminis ordinariam concessere potestatem administrandae Eucharistiae; nec mirum; dabant enim laicis et foeminis facultatem conficiendae quoque Eucharistiae. 2. Idem veterum haereticorum systema, quoad laicos dummodo probi sint, adoptarunt subinde valdenses, teste Rainero qui cum valdensibus aliquandiu vixit. 3. Lutherus et post illum Zuinglius docuerunt ad christianos omnes indiscriminatim jus sacerdotii spectare, non esse tamen omnibus ministerium concedendum ad avertendas confusiones. Hanc Lutheri et Zuinglii opinionem tamquam falsam rejecerunt Kemnicius et Calvinus. Sed eam adsciscere non dubitavit Grotius vir ceteroquin eruditus in lib. de coena Domini, ubi laicis jus tribuit conficiendi et administrandi Eucharistiam in casu necessitatis. His praenotatis sit.

CONCLUSIO I.

Ad solos episcopos et sacerdotes spectat jus ordinarium Eucharistiam administrandi.

Prob. 1. ex Scriptura. Potestas dispensandae Eucharistiae Christus Dominus tribuit hominibus quando in suprema coena dixit, *hoc facite in meam commemorationem;* ea enim verba dixisse Christum narrant Evangelistae quando accepto pane eoque consecrato dedit discipulis suis, et ait, *accipite, et comedite*, ac similiter de calice. Atqui verba illa, *hoc facite*, ad solos Apostolos eorumque in sacerdotio successores direxit, ergo etc.

Respondent adversarii Apostolos non solos sacerdotes, sed Christi fideles omnes repraesentasse, adeoque etc.

Verum non qua parte fideles omnes, sed qua episcopos et sacerdotes repraesentabant Apostoli potestatem, a Christo acceperunt dispensandae Eucharistiae; alioquin sequeretur fideles omnes laicos tum viros tum mulieres et parvos et magnos non modo posse, sed et debere Eucharistiam conficere et dispensare, quod lutherani negant, quoniam Christus per illa

verba Eucharistiae confectionem administrationemque non permisit tantum, sed praecepit.

Prob. 2. ex ecclesiasticis definitionibus. Ecclesia enim semper tamquam haereticos habuit gnosticos, pepuzianos, marcionitas, valdenses, lutheranos hoc etiam titulo quod sacrorum et praesertim Eucharistiae ministerium concederent laicis. Imo Concilium nicaenum 1. etiam diaconos redarguit, quod ordinariam potestatem dispensandi presbyteris Eucharistiam sibi audacter arrogarent: *Pervenit ad synodum*, inquit can. 18. *quod in nonnullis locis ac civitatibus diaconi dent presbyteris Eucharistiam, quod nec canon nec consuetudo tradit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent Corpus Christi.* Consimilia habent Concilium lateran. 4. can. 1. Instructio Eugenii IV. lecta in florentino Concilio, et Synodus tridentina.

Prob. 3. ex Patribus. Tertullianus lib. de cor. cap. 3. affirmat Eucharistiam *non sumi de aliorum manibus quam praesidentium*, episcoporum videlicet et presbyterorum. Epiphanius in ep. ad Joannem jerosol. testatur se in monasterio S. Hieronymi ad presbyteratus ordinem promovisse diaconum ne multitudo *sanctorum fratrum ibi degentium sacris privarentur mysteriis, cum non haberent qui sibi sacra conficerent.* Legantur Basilius lib. 11. de bapt. cap. 8. Hieronymus in dialogo adv. lucif. et ne longior sim, S. P. Augustinus ad Honoratum coepiscopum. ep. 180. nunc 228.

CONCLUSIO II.

Antiquis Ecclesiae saeculis diaconi, minores clerici, et laici fuerunt extraordinarii ministri Eucharistiae dispensandae.

Prob. 1. de diaconis. Juxta veterem disciplinam dum sacrum solemniter celebraretur in ecclesia orientali solebant diaconi fidelibus communicantibus Eucharistiam sub utraque specie administrare; Justinus enim martyr in apol. 11. *Qui apud nos*, inquit, *diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt, panem, vinum, et aquam.* In ecclesia vero occidentali Eucaristiam conferebant sub specie vini tantum post sacerdotem qui panis species distribuebat; unde Cyprianus in lib. de lapsis, *Ubi vero*, scribit, *solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre praesentibus caepit etc.* Id vero diaconi non audebant nisi facultate accepta ab episcopo vel presbytero, dicente Concilio 1. arelatensi can. 15. *Corpus Christi praesente presbytero tradere* (diaconus) *non praesumat.* Itaque faciebant id diaconi tamquam ministri extraordinarii.

Prob. 2. de clericis minoribus. Saeviente contra christianos tyrannorum persecutione, fidelibus in cryptis vel desertis locis latitantibus mittebant episcopi vel presbyteri sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ut reficerentur, per acolytos, aliosque minores clericos si diaconi copia non erat. Patet id ex innumeris ecclesiasticae historiae monumentis et ex martyro-

logio praesertim Adonis in quo de Tharsicio acolyto narratur quod quum sub tunica Eucharistiam ad absentes fideles deferret, inventus a paganis occisus fuerit quod noluerit sacra prodere, et sanctum tradere canibus. Quare minores clerici solebant de extraordinaria potestate administrare aliquando Eucharistiam.

Prob. 3. de laicis. Tempore enim persecutionum laici in desertis locis vel catacumbis commorantes Eucharistiam a presbytero vel episcopo acceptam sibi invicem dispensabant. Deinde consuetudo invaluerat ut laici viri et mulieres, etiam non saevientibus persecutionibus, Eucharistiam in ecclesia de manu sacerdotum susciperent, eamque domi servatam sibi ipsis administrarent. De qua re vide Tertullianum lib. de orat. et ad uxorem, Clementem alex. in 1. strom, Cyprianum lib. de laps. aliosque. Monachi in eremis degentes qui priscis temporibus laici erant Eucharistiam e proximioribus civitatibus ad eos missam sub specie panis diu penes se servabant, illamque dispensabant alterutrum.

CONCLUSIO III.

Secundum praesentem Ecclesiae disciplinam diaconi in solo necessitatis casu sunt extraordinarii Eucharistiae ministri, clerici vero minores et laici cum dispensatione summi Pontificis possunt in casu necessitatis sibi ipsis Eucharistiam administrare.

Prob. 1. concl. pars. Ecclesia antiquis canonibus innixa jamdiu hanc admisit consuetudinem ut diaconi, nonnisi necessitate urgente, Eucharistiam fidelibus administrarent. Antiqui autem canones sunt, ille Concilii 4. carthaginensis num. 38. quo definitur, *ut diaconus praesente presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*; et ille Concilii arelatensis num. 15. quo praescribitur diacono ut *Corpus Christi presaente presbytero tradere non praesumat*. Cap. autem *pervenit*, de consecr. dist. 2. num. 29. habetur: *Omnimodis presbyter per seipsum infirmum communicet: quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subjacebit.* Et Alcuini aetate disciplina isthaec jam communis in Ecclesia erat, in lib. enim de divinis officiis scribit: *Si necessitas evenerit, et presbyter non fuerit praesens, diaconus suscipiat poenitentem, et det sanctam communionem.*

Prob. 2. concl. pars. Pius Papa V. scotorum reginae Mariae Stuart quae ab Elisabetha regina Angliae et catholicis summopere infensa in vinculis detinebatur facultatem fecit Eucharistiam in carcere retinendi, sibique administrandi. Eamdem potestatem ab aliis summis Pontificibus alii laici viri ac mulieres receperunt. Nec romani Pontifices in ea concedenda dispensatione excesserunt, nam, ut superius diximus, saeviente persecutione, laici viri ac mulieres facultatem administrandi sibi communionem accipiebant ab episcopis vel a presbyteris.

Obj. 1. adv. 1 concl. Petrus in ep. 1. cap. 2. de omnibus in Christum credentibus inquit: *Vos genus electum, regale sacerdotium.* Joannes in Apoc. cap. 1. *Fecit nos*, inquit, *regnum, et sacerdotes Deo, et Patri.* Itaque omnes promiscue christi fideles jus habent ordinarium conficiendi et dispensandi Eucharistiam.

Resp. In novo Testamento christiani omnes dicuntur sacerdotes lato quodam sensu et improprie, quatenus videlicet interna Spiritus sancti gratia inuncti sacrificium laudis offerunt Deo, illumque adorant in spiritu et veritate, preces et orationes in odorem suavitatis fundendo. Quod demonstratur tum ex eo quod eodem modo christiani dicantur sacerdotes quo reges appellantur. Insigniuntur autem hoc praeclaro nomine improprie et lato sensu, tum ex quo Petrus in eadem ep. eodemque capite mentem suam aperiat dicens: *Ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

Instabis. Tertullianus exponens verba ex Apocalypsi nuper citata in lib. de castitate ita scribit: *Vani erimus si putaverimus, quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est, regnum quoque nos, et sacerdotes Deo, et Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas.* Scribebat autem haec Tertullianus ut monogamiae etiam in laicis ostenderet necessitatem, quare subdit ibidem: *Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse est habere jus sacerdotis. Digamus tinguis, digamus offers? Quanto magis laico digamo, capitale est agere pro sacerdote, cum ipsi sacerdoti digamo facto auferatur agere sacerdotem.* Ex quibus Tertulliani verbis colligitur 1. laicos omnes vere sacerdotes esse; 2. discrimen sacerdotem inter et laicum manare non ex divina, sed ex ecclesiastica adeoque humana auctoritate; 3. negandas esse laicis secundas nuptias propter sacerdotium quomodo negatur sacerdotii exercitium bigamis iis qui sacerdotes ex Ecclesiae auctoritate dicuntur, ergo etc.

Resp. ad 1. Tertullianum sacerdotii nomine intelligere sacerdotium metaphorico latoque, non stricto sensu acceptum. Is enim in hoc versabatur errore ut crederet christianis omnibus vetitas esse secundas nuptias. Et quoniam bigamiam interdictam sacerdotibus noverant omnes in Ecclesia, ex eo argumentum desumit ad demonstrandum illicitam esse quoque laicis omnibus, nam laici etiam, ajebat, sacerdotes sunt quamvis latiori sensu, et Deo sacrificant preces ipsi, et gratiarum actiones fundendo; et praeterea omnis laicus jus habet in se ad sacerdotium stricto sensu acceptum ascendendi cui per bigamiam non debet obicem ponere. Rem ita se habere patet primo ex eo quod Tertullianus ibidem affirmet jus sacerdotii laicorum fundamentum habere in fide ac baptismo: *Unusquisque enim*, ait, *de sua fide vivit*, et e contra nunquam credidit Tertullianus baptismum et fidem po-

testatem tribuere veri sacerdotii, alioquin non potuisset denegare foeminis facultatem consecrandi quemadmodum expresse fecit in lib. de veland. virgin. cap. 9. et alibi. Deinde Tertullianus passim in suis operibus de sacerdotio metaphorico loquitur; in lib. enim ad scapulam cap. 11. *Sacrificamus* inquit, *pro salute imperatoris, sed Deo nostro, et ipsius, sed quomodo praecepit Deus, pura prece.* Et apol. cap. 30. *Offer opimam et majorem hostiam Deo, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Et lib. 4. adv. Marc. *In omni loco sacrificium nomini meo offertur, scilicet simplex oratio de conscientia pura.* Sicuti ergo hostia, oblatio, et sacrificium sumuntur a Tertulliano improprie, ita et sacerdotium.

Ad 2. dum inquit Tertullianus differentiam inter laicos ac sacerdotes ab Ecclesiae manare auctoritate, non intelligendus est eo sensu quasi verum sacerdotium non sit a Deo institutum, sed quatenus ad Ecclesiam cognoscere spectat quinam inter laicos digni sint ut ad sacerdotium evehantur; seligebantur quippe illis temporibus ab Ecclesia sumpta pro populis, qui erant ad sacerdotium promovendi; tum suscipiebant hi per manum episcopi ordinem, sicque a Deo potestas in ordinato per episcopum descendebat. Idque exprimit laudato in argumento loco Tertullianus, unde immediate subdit: *Et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo.* Vide Albaspinaeum lib. 11. de Euchar. cap. 8.

Ad 3. posito Tertulliani errore circa bigamiam, non incongrue argumentatur. Postquam enim probaverat illicita esse laicis secunda connubia, quomodo lege ecclesiastica illicita erant sacerdotibus, ex eo quod etiam laici sint aliquo sensu sacerdotes, aliud instituit argumentum ad propositum suum confirmandum deductum ex eo quod ab adductorum laicorum coetu non raro viri deligebantur ad sacerdotii ordinem suscipiendum. Electio autem illa inanis fuisset si laicus inventus esset bigamus; non convolet itaque, concludebat, laicus ad secundas nuptias, neque enim debet is impedimentum ad obeunda veri sacerdotii munera contrahere, quoniam *omnes nos Deus vult ita dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus.*

Obj. 2. cont. eamd. 1. concl. Factum Frumentii qui cum apud indos in aula principis versaretur et laicus christianus esset, hortatus est nonnullos romanos mercatores ibi inventos ut romano more liturgiam facerent, et revera fecerunt. Hi autem mercatores laici proculdubio erant. Historiam hanc narrant Theodoretus lib. 11. hist. cap. 23.

Resp. Frumentium, juxta Theodoretum, romanos mercatores hortatum fuisse ut romano more conventicula facerent, et orationes ac preces funderent Deo, non ut sacerdotio fungerentur. Et sane, Rufinus aquilejensis ex quo Theodoretus illam excripsit historiam affirmat, Frumentium persuasisse *ut conventicula per loca singula facerent, ad quae ritu romano orationis caussa confluerent.* Et Socrates qui eamdem refert historiam lib. 1. cap. 10. inquit: *Hortabatur ut propria quaedam occuparent loca ut in illis christianas preces obirent.* Theodoretus ergo liturgiam sumit

lato quodam sensu, pro eo quod analogiam quamdam cum sacrificio habet. Hinc idem Theodoretus narrat ibidem. Frumentium post sufficientem Evangelii in illis partibus promulgationem, Alexandriam patriam suam rediisse ut sacerdotes ab Athanasio postularet, atque Athanasium ipsi Frumentio sacerdotalem contulisse gratiam. Quare nec Frumentius nec Athanasius existimarunt viros laicos sacerdotii munera obire potuisse.

Obj. 3. adv. eamdem. concl. 1. Sophronius jerosol. in prato spirituali cap. 25. Honorius augustodunensis in gemma aurea, aliique consimiles scriptores tradunt laicos aliquando Eucharistiam consecrasse, atque id fecisse valide signis caelestibus fuisse confirmatum. 2. In martyrologio ad diem pridie Kal. Junii de S. Petronilla Apostoli Petri filia legitur quod *cum eam Flaccus comes suo vellet sociare conjugio, tridui inducias postulans et cum S. Felicilla collactanea sua continuis jejuniis et orationibus vacans, tertio celebratis dominicae oblationis mysteriis, mox ut Christi sacramenta accepit, reclinans se in lectulo emisit spiritum.*

Resp. ad 1. sunt nonnulli qui argumentum solvunt dicentes ea quae extraordinaria virtute Dei eveniunt, ut sunt quae in argumento allata sunt, trahenda non esse in exemplum. Sed verior responsio est aliquos scriptores nimium credulos fuisse, et nullo praemisso examine fabulas pro veris historiis adoptasse, illaquae bona fide vendidisse aliis.

Ad 2. solvitur argumentum verba recitando ex vita SS. Petronillae, et Feliculae, seu Felicillae inter acta SS. MM. Nerei et Achillei, ex quibus actibus exscripta videntur verba martyrologii. Sic autem ibi legitur: *Factum est autem, ut trium dierum acceptum spatium virgo sanctis jejuniis et orationibus occuparet, habens secum sanctam virginem Feliculam collactaneam suam in Dei timore perfectam. Tertio itaque die veniens ad eam sanctus Nicomedes presbyter, celebravit mysteria Christi. Virgo autem sanctissima, mox ut Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectum emisit spiritum.*

Obj. 4. adv. eamd. 1. concl. Diaconi primis Ecclesiae saeculis videntur habuisse ministerium Eucharistiae conficiendae, nec nisi quarto saeculo fuisse illis ablatum, nam 1. Concilium arelatense 1. can. 15. *De diaconibus*, inquit, *quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.* Quid est autem offerre nisi conficere Eucharistiam? 2. Synodus ancyrana can. 11. statuit, *ut diaconi qui immolaverunt, honorem quidem habeant, cessare vero ab omni sacro ministerio, sive a pane sive a calice offerendo, vel praedicando.* 3. S. Laurentius diaconus et martyr apud Ambrosium lib. 1. de offic. cap. 41. ita Xystum alloquitur: *Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici Sanguinis consecrationem*, non quomodo in breviario romano, *dominici Sanguinis dispensationem.* Tribus itaque prioribus Ecclesiae saeculis diaconi facultatem habebant etiam consecrandi.

Resp. ad 1. et 2. verbum *offerre* in laudatis canonibus idem valere ac *exhibere* sacerdoti panem et vinum ad ea consecranda, vel exhibere fidelibus calicem ad communicandum. Quare Concilium arelatense prohibuit

diaconis administrare Eucharistiam, Concilium vero ancyranum a diaconis in idololatriam lapsis abstulit munus inserviendi ad altare sacerdoti solemniter celebranti.

Ad 3. S. Laurentius dispensavit, non consecravit Sanguinem Christi, et recte legitur in breviario romano, *dominici Sanguinis dispensationem*; nam praeterquam quod lectio isthaec cohaeret cum antiquissimis codicibus MM. SS. correspondet iis quae de S. Laurentio scribit S. P. Augustinus. serm. 37. de divers. nunc 304. de Sanctis ubi tradit: *Quam gloriosa enim, et quanta virtutum quasi florum varietate distincta Laurentii sit corona, universa testis est Roma: ubi diaconi gerebat officium. Ibi sacrum Christi Sanguinem ministravit.*

Obj. 5. cont. 2. concl. Si minores clerici et viri laici aliquando Eucharistiam administrarunt, sequitur nullum in hac parte fuisse discrimen inter illos et diaconos, quod absurdum est.

Resp. latissimum fuisse discrimen, tum quia diaconi non in solo necessitatis casu ut clerici minores et laici, sed etiam extra necessitatem Eucharistiam administrabant, tum etiam quoniam diaconi publice et solemniter in templis dispensabant Eucharistiam, quod clericis minoribus ac laicis nusquam concessum legitur. Hic obiter animadverto, consulto allatas ac solutas fuisse difficultates quae ab haeterodoxis afferri solent ad suadendum, jus conficiendae Eucharistiae pertinere quoque ad inferiores clericos et laicos, de qua re pertractabimus ubi de Eucharistia prout est sacrificium, quoniam nimiam habent cum praesenti quaestione connexionem. Sed de hac controversia satis, nunc ad majora progrediamur.

CAPUT VII.

De reali Corporis ac Sanguinis Domini existentia in sacramento Eucharistiae.

Acrem nunc aggredimur disputationem de praesentia Corporis ac Sanguinis Christi in sacramento Eucharistiae, et status quaestionis est an in sacramento Eucharistiae Corpus, Sanguis, Anima, ac Divinitas Christi vere et realiter existant, an vero sint tantum panis et vinum quae sensibilia signa sint, figura aut symbolum repraesentativum Corporis et Sanguinis Domini. Priorem sententiam tamquam Fidei capitale dogma tenent omnes catholici, alteram vero amplectuntur complures haeretici, zuingliani praesertim et calvinistae qui hac de caussa sacramentarii appellantur. Quoniam vero Albertinus, Dallaeus, aliique inter calvinistas doctiores propriae sententiae fulcrum in antiquitate se invenisse jactant, non abs re erit in hujus pessimi erroris originem breviter inquirere.

In duas veluti classes dividi possunt haeretici qui male de Eucharistia dogmatizarunt. Alii sunt qui veritatem Incarnationis negabant, effutientes Christi Corpus fuisse phantasticum et umbratile, ut marcionitae, gnostici, manichaei, aliaeque pestes, phantasiastae propterea nuncupati, qui ut sibi

cohaererent, debuerunt in Eucharistia Christi Corpus phantasticum et umbratile admittere. Alii vero sunt qui Incarnationis veritatem cum catholicis agnoscentes, verum ac reale Corpus in Eucharistia existere impie omnino negarunt. De prioris generis haereticis non loquimur, nam hi si Christo reale Corpus adscripsissent, in Eucharistiae sacramento verum Corpus existere nusquam denegassent. Loquimur ergo de haereticis alterius classis.

Primus itaque illorum qui admissa Incarnationis veritate realem Christi praesentiam in Eucharistia inficiati sunt fuit proculdubio Joannes Scotus, seu Erigena satis notus ex errorum portentis editis in caussa Gothescalchi monachi orbacensis. Scripsit is saeculo 9. et fatis cessit in Anglia habitus ab Ecclesia tamquam haereticus. Librum edidit *de Corpore et Sanguine Domini,* in quo sacramentariorum systema praeformavit. Sed non contigit illi sectae nomen dare. Reservatum id fuit Berengario qui a lectione libri Joannis Scoti deceptus, saeculo 11. errores suos in andegavensi dioecesi cujus cathedralis archidiaconus erat, spargere caepit. Saepe erroris convictus, et in pluribus damnatus Conciliis, saepe haeresim ejuravit, bis et tertio ad vomitum rediit, donec poenitentia tandem exacta, in pace obivit Ecclesiae, sed una cum ipso ejus non obiit error. Nam saeculo insequenti albigenses qui et petrobusiani et henriciani dicti sunt eumdem adsciverunt errorem, damnati proinde in tolosana Synodo habita an. 1119. tum in lateranensi 2. celebrata an. 1139. Ab eo tamen errore immunes fuerunt, quidquid Dallaeus et Albertinus effutiant, ejusdem saeculi haeretici valdenses a quodam Petro Valdo mercatore lugdunensi sic nuncupati; auctores enim ecclesiastici qui valdensium errores numerarunt ut merita confutatione refellerent, de hoc ne verbum quidem habent. Imo Reinerius qui aliquandiu cum valdensibus vixit asserit quidem errasse illos circa Eucharistiam, tum quod a viris laicis confici posse docerent, tum quod non in manu impii ministri, sed in ore digne suscipientis conversio fiat, sed numquam affirmat adhaesisse in hoc dogmate Berengario. Ecclesiam subinde pravis ejus dogmatibus vexavit Wiclefus qui inconstantem tradidit de Christi praesentia in Eucharistia doctrinam, sed tamquam berengarianus notatus a Concilio constantiensi sess. 8. ubi hanc damnarunt Patres illius propositionem, *Christus non est in eodem sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali*, et ab hac non absimilem suggillarunt sess. 15. Non idem tamen ferendum est judicium de Joanne Hus qui licet multos evomuerit in Ecclesiam errores, Christi tamen realem praesentiam in Eucharistia fassus semper est in singulis scriptis suis, ac praesertim in opusculo *de Corpore et Sanguine Domini.* Tandem Carlostadius Lutheri discipulus ut magistro suo cupienti Papatum incommodare etiam circa Eucharistiae sacramentum gratificaretur, librum edidit anno 1524, in quo profligatum jam damnatumque Berengarii errorem ab inferis revocare conatus est, quod tamen ipsi ex Lutheri parte male cessit, quum impiissimus hic novator negaverit quidem transubstantiationem, sed realem Christi praesentiam, nescio an zelo veritatis an potius animo contradicendi suis, constantissime semper retinuerit. Adhaeserunt statim Carlostadio qui in Helvetia

secessionem a catholica Ecclesia fecerant, Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, ac denique etiam Joannes Calvinus qui omnes etiam hoc titulo proscripti sunt ab Ecclesia in tridentino Concilio congregata. Contra hos itaque accitis undique argumentis demonstrandum est in Eucharistia esse veram ac realem Christi Domini praesentiam.

Sed ne rerum multitudine tyronum animos terreamus, ex tribus praesertim locis momenta pro catholica tuenda sententia cum reliquis theologis hauriemus, nempe ex verbis quibus Christus Dominus Eucharistiam se daturum promisit Joan. cap. 6. item ex verbis quibus idem piissimus Dominus Eucharistiae sacramentum instituit Matth. cap. 26. Marci 14. et Lucae cap. 22. Et ex constanti, antiqua, perpetuaque Patrum nostrorum traditione.

Verum circa singula loca haec aliquid methodi caussa adnotandum erit. Et 1. quidem non omnia quae in cap. 6. Joannis leguntur, de Eucharistia dicta fuisse credendum est, nam integrum illud caput in tres veluti partes distribui commode potest; a versiculo nempe primo ad vigesimum quintum describit Evangelista celebre a Christo patratum miraculum dum panes ac pisces multiplicavit; a versu vigesimo quinto ad quinquagesimum primum sermo fit de fide in Messiam per legem promissum, a manducatione scilicet corporali occasionem nanciscitur Christus judaeos manuducendi ad manducationem spiritualem per fidem in Messiam; a versu denique quinquagesimo primo usque ad capitis calcem loquitur Dominus de corporali manducatione Corporis et potu Sanguinis sui, quoniam nolentibus judaeis credere iis quae hactenus de Fide dicta erant, signumque petentibus illi consimile quod Deus tempore Moysis patraverat quando manna de caelo pluit, voluit polliceri Christus aliquod majus, conversionem videlicet panis et vini in Corpus et Sanguinem suum quae in sacramento Eucharistiae perpetuis temporibus in Ecclesia manerent. Argumenta itaque nostra ex hac postrema dumtaxat capitis parte deducemus. 2. Quoad institutionis verba, quum totius cardo quaestionis nos inter ac sacramentarios in hoc denique recidat, an verba illa, *hoc est Corpus meum* etc. in sensu litterali et proprio, an potius in sensu figurato et metaphorico sint accipienda, hoc tantum animadvertisse sufficiat, ita homines esse a natura comparatos ut locutiones quas audiunt in proprio semper intelligant sensu, et numquam in metaphorico et translatitio, nisi aut phrasis jam secundum diutinam loquendi consuetudinem tamquam vera habeatur metaphora, aut ille qui loquitur auditores admoneat se velle parabolice et figurate intelligi, praesertim si adhibeantur in sermone arbitraria signa, aut nisi demum ex adjunctis ac circumstantiis percipiatur figuratam esse locutionem. Hoc semel jacto ac probe assecuto principio invictum certe erit argumentum ex verbis institutionis deductum. 3. Nil sollemne magis sacramentariis quam Ecclesiae traditionem contemnere et aspernari. Ast ubi verbum aliquod ambiguum aut ex Conciliis aut ex Patribus eruere se posse confidunt quod catholico alicui dogmati obesse videatur, illud avide arripiunt, et contra ejurata ab ipsis sacratissima dogmata insolentissime intorquent. Non abs re itaque erit si per priora Ecclesiae

saecula post celeberrimum auctorem perpetuitatis Fidei decurrentes, ex ecclesiasticis monumentis catholicam veritatem invicte demonstremus. Dixi satis esse si percurrantur priora saecula, quoniam adversae sententiae patroni jactare ac fabulari non desinunt, post quartum Ecclesiae saeculum apostolicam doctrinam corruptam omnino ac deturpatam fuisse. Ad rem itaque.

CONCLUSIO

In sacramento Eucharistiae vere et proprie Corpus et Sanguis Christi existunt.

MOMENTUM I.

Ex verbis quibus Christus Dominus Eucharistiam se daturum promisit.

Joannis cap. 6. v. 52. sic Christus alloquitur judaeos: *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo judaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen amen dico vobis: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo .... et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum .... Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus* (dixerant enim, durus est hic sermo) *dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam; verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt .... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitae aeternæ habes.* Ex his luculentissime colligitur Christum spopondisse nobis realem sui praesentiam in Eucharistiae sacramento, non enim magis perspicua verba adhibere potuisset si exponere voluisset se daturum proprium Corpus et Sanguinem in Eucharistia. Et re quidem vera. 1. inquit Dominus, *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Hisce in verbis vel loquitur Christus de spirituali manducatione per Fidem, ut autumat Albertinus, vel de corporali carnis suae manducatione, ut catholici tenent. Non primum, quia dicere debuisset, *dedi*, non *dabo* in futuro, quum multi jam in eum credidissent. 2. Additur, *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.* Si supposuisset Christus se futurum in sacramento per figuram

et non realiter, cur tam accurate inter Carnem et Sanguinem distinxisset? Cur distinxisset tam diligenter inter actum manducandi atque bibendi? Nam Fides uno eodemque actu suscipitur. 3. Legitur ibi, *Litigabant ergo judaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum?* Si non de praesentia reali Carnis Christus loquutus fuisset, sed de spirituali manducatione per Fidem, judaei certe ad invicem non litigassent. 4. Audito a Christo Domino dubio judaeorum ait: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Fingamus Christum ab initio voluisse inculcare judaeis Fidem, et non Corporis ac Sanguinis sui realem sumptionem, fefellisset proculdubio hac responsione auditores; ubi enim leges conduntur, figuratae loquutiones, ambagesque verborum procul abesse debent nisi legislator velit impune infringi legem a subditis. 5. Quum aliqui ex discipulis dixissent, *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Christus respondit, *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius etc.* Duo hic animadvertere juvat. Primo, si Christus Dominus non loquebatur de Corporis sui reali comestione, quid est quod discipulis durus visus est Magistri sermo? Durum non est a praeceptore audire necessariam esse Fidem. Secundo, si non de vera et materiali Corporis et Sanguinis sui sumptione loquebatur Dominus, nimis asperam quam usurpaverat debuisset emollire loquutionem. Ast ipse contra fecit, miraculum quod spondebat, majori a se patrando prodigio nempe futura sua in caelum ascensione, adhuc confirmat. 6. Habetur ibidem: *Ex hoc multi discipulorum abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire?* Nec discipuli sane abiissent si de Fide loquutus fuisset Christus, neque ipse ut abirent permisisset; unde verbis illis aperte declarat non esse veros suos discipulos qui promissum mysterium ad litteram non intelligunt. 7. *Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*. Ac si dixisset, duodecim discipulos qui jam in Christi divinitatem crediderant, pro certo habere potuisse illorum praeceptorem tam ingens patrare miraculum, nec potuisse illos decipere. 8. Quum vel ipsis fatentibus adversariis Eucharistia instituta sit ad vitam aeternam consequendam, conveniens proculdubio erat ut res tanti momenti alicubi in Scripturis praeciperetur. Ast si in cap. 6. Joan. praeceptum illud non extat, nullibi certe invenitur; verba enim institutionis praeterquam quod ad solos praesentes directa videntur, nullum per se sonant praeceptum. 9. Quoties Christus singulare aliquod facturus erat, illud semper antecedenter praenuntiabat. Sic antequam baptismum institueret, illum praedixit Joan. cap. 3. futuram suam passionem praenuntiavit Matth. cap. 20. Hoc idem dicendum de admirabili sua resurrectione, de ascensione in caelum, de Spiritus Sancti descensu, deque aliis bene multis; quare Joan. cap. 14. sic Apostolos alloquitur: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.* Jam vero si cap. 6. Joan. non promisit Christus realem sui praesentiam in Eucharistia, nullibi certe rem tantam praenuntiavit. 10. Sancti Patres tam graeci quam

latini laudatum Joan. cap. 6. non modo intellexerunt de Eucharistia, sed ex illo realem in eo sacramento Christi praesentiam demonstrarunt. Ita Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Cyrillus jerosol. Chrysostomus, Cyrillus alexandrinus, Leo Magnus, Augustinus, Gregorius, Bernardus, aliique. Patrum loca exscripta vide apud Bellarminum, Witasse, Tournelyum, sed praecipue apud auctorem perpetuitatis Fidei.

MOMENTUM II.

Ex verbis quibus Christus Eucharistiam instituit.

Matthaei cap. 26. v. 26. et sequentibus ita Eucharistiae institutio describitur: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes; Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti.* Eadem totidem fere verbis occurrunt Marci cap. 14. v. 22. et Lucae cap. 22. v. 19. Paulus quoque in 1. ad Cor. cap. 11. v. 23. et sequentibus inquit: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, et manducate: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur ... Similiter et Calicem postquam coenavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine.* Solus Joannes inter Evangelistas hujus sacramenti institutionem non narrat, quoniam fuse jam recitaverat quae Christus dixit dum illud hominibus promisit. Porro haec adeo clare realem Christi in Eucharistia praesentiam commendant ut vis menti inferenda sit ad figuratum sensum in illis expiscandum. Hinc Lutherus quamvis ad incommodandum Papatui, ut ipse inquit, sensum figuratum maxime perciperet, a sensu tamen litterali recedere non potuit. Zuinglio quoque durum per aliquot annos visum est tribuere institutionis verbis sensum metaphoricum, quem forte non adoptasset nisi in nocturnum spiritum incidisset a quo suaderetur. Et quamvis Calvinus figurae mordicus adhaeserit, non potuit tamen non fateri, saepe a praejudicata sua sententia avocatum fuisse a verbis institutionis, ut ex lib. 4. institutionum cap. 17. colligitur. Hinc denique permulti sacramentarii ubi concordiam cum lutheranis ficto animo inire decreverunt, rebus bene perpensis a sensu figurato sincere resilierunt. Tanta est vis veritatis si Christi Domini laudata verba etiam minus attente in se perpendantur. Multo magis autem figuram omnem excludunt si illa interpretari et accipere velimus ut revera interpretari et accipi debent juxta unanimem Patrum nostrorum sententiam. Sed quoniam haeterodoxi superbientes ad solam Scripturam tamquam ad unicam Fidei regulam nos provocare non desinunt, ut eis morem geramus invicte demonstrabimus verba ipsa institutionis, prout sonant, apertissime significare realem Corporis et Sanguinis Christi praesentiam in sacramento Eucharistiae. Et 1. quidem, volunt haeretici quibuscum rem habemus ut si aliquis Scripturae locus obscurus litigantibus appareat, Scriptura eadem

in locis clarioribus consulatur. Regula haec licet falsa in eo quod non alium admittat modum intelligendi obscuram Scripturam nisi Scripturam ipsam, in se tamen vera est, et traditur a S. P. Augustino in lib. 11. de doctr. christ. Ast si huic standum sit regulae, jam caussa ceciderunt adversarii, nam quod ait Matthaeus illud idem totidem verbis repetitur ab aliis Evangelistis Luca et Marco, immo et ab ipso Joanne ubi de promissione a Christo facta pertractat, et ab Apostolo Paulo corinthios recens ad Fidem conversos docente. Si Pauli textus ex cap. 11. decerptus et paullo supra relatus adhuc implexus tibi videtur, consulas caput praecedens ubi v. 16. inquit: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Consulas ejusdem capitis 11. versiculum 27. ubi de indigne communicante ait: *Reus erit Corporis et Sanguinis Domini ... non dijudicans Corpus Domini*. Nullum hisce in locis invenio tropum, nullam figuram, sed ubique semper legitur Corpus et Sanguis, et si figurate verba sumere velim, vim inferam et menti et verbis Scripturae. 2. In sacrarum intelligentia Scripturarum hanc aliam sequendam esse dicunt adversarii regulam, ut a nuda littera non discedamus ubi grammaticalis sensus perspicuus est. Suam habet regula haec utilitatem, praesertim si teneamus quod S. P. Augustinus in lib. 3. de doctr. christ. cap. 10. tradit, sensum nempe litteralem tenendum esse si interpretatio nihil contineat quod aut morum honestati aut Fidei veritati non repugnet. Age nunc, et videamus an in hisce verbis, *Hoc est Corpus meum, Hic est calix Sanguinis mei*, grammaticalis sensus perspicuus sit, aut aliqnid contra Fidem et mores contineat. Nullum quidem translatitii sensus vestigium in laudatis verbis reperitur, sed tam clara est haec propositio, *Hoc est Corpus meum,* quam clarae ac perspicuae sunt propositiones sequentes, *Verbum caro factum est, Christus est Filius Dei vivi etc.* Quod si adjuncta spectemus, nonne magis litteralem sensum statuunt atque confirmant? Nam post illa verba, *Hoc est Corpus meum*, prosequitur Paulus in 1. ad Cor. *quod pro vobis tradetur.* Et recitatis aliis, *Hic est calix Sanguinis mei*, addit Matthaeus, *qui pro multis effundetur.* Hi autem duo characteres vero Corpori veroque Sanguini conveniunt. Sed neque aliquid contra Fidei dogma aut regulam morum sequitur si duae illae propositiones in sensu litterali accipiantur. Imo divinam omnipotentiam commendant, et immensae Dei erga homines caritatis exhibent argumentum. Admissis itaque etiam adversariorum principiis, verba institutionis mirifice demonstrant realem Christi praesentiam in Eucharistia. 3. Litteralem sensum inculcat res ipsa quam Christus Dominus gerebat. Eucharistiam enim instituendo dabat hominibus sacramentum, condebat legem, sanciebat foedus, statuebat maximum Fidei dogma. Haec autem omnia utique exigebant litteralem sensum, qui facilis est et obvius. Proferant adversarii, si valent, Scripturae locum in quo de sacramento, de lege, de foedere, de dogmate sermo fiat, et tradantur haec sensu obscuro et involuto qualis est sensus figuratus. 4. Idipsum demonstrant circumstatiae quae rem tam mirabilem comitabantur, nam quando Christus

in ultima coena Eucharistiam instituit, sciens quia venit hora ejus ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, dilectis discipulis vale dicendo, postremum condere voluit testamentum: *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* inquit Joannes in Evang. cap. 13. Quis autem unquam dixerit ultimam voluntatem et testamentum exponi verbis obscuris et aequivocis? Sane qui testamentum condit, non tropis et figuris, sed verbis perspicuis et apertissimis uti solet ne haeredibus dissidiorum praebeat occasionem. Quod si ita se gerunt homines futurorum nescii, quanto magis Christus qui cum Deus esset futura non ignorabat? Sed conjecturis ad id suadendum non indigemus, quum Christus ipse proxime moriturus dixerit Apostolis Joan. cap. 16. *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis.* Non tropice itaque, non figurate loquebatur Dominus quando Eucharistiam instituebat. 5. Quod si fecisset, Apostolos suos certe, et cum illis universos fideles usque ad consummationem saeculi decepisset, quod quam horrendum sit nemo non videt. Verba enim haec, *Hoc est Corpus meum,* per se aut ex consueto loquendi more figuram minime continent. Circumstantiae temporis, loci, ac personarum ad tropos et signa animos praesentium non inclinabant, ut paullo supra monuimus. Christus Apostolorum mentes ad figuratum sensum recipiendum non praeparaverat. Si ergo Dominus per illa verba significare voluisset, *Hoc est signum Corporis mei,* Apostolos suos, unaque cum illis universam Ecclesiam fefellisset. 6. Quid denique illud est quod ad figuratum sensum nos confugere cogat in ea intelligenda propositione, *Hoc est Corpus meum*? Quoniam litteralis intellectus, inquiunt adversarii, sensuum testificationi repugnat, et humanam offendit rationem. Ipsi ergo divinae potentiae extensionem audent dimetiri. Si res ita est, negent Incarnationem, Trinitatem, ac quaevis alia mysteria quae nobiscum fatentur. 7. Controversia haec an institutionis verba litterali vel figurato sensu accipienda sint, ex solis Scripturis resolvi non tam facile potest. Neque enim nos rationibus sacramentariorum possumus acquiescere, nec illi aures accommodare volunt nostris. Necesse ergo est ut ad judicem aliquem extra Scripturas utrique confugiamus, alioquin inter nos dissidiorum finis nusquam erit, quod christianam religionem profitentibus indignum est. Arbiter non assideat catholicus, non calvinista, adversus illum enim sacramentarii, adversus hunc nostri merito excipient et reclamabunt. Sed neque lutheranae sectae viro judicis partes demandare volumus, non recipient siquidem illum calvinistae. Cumque secta quaevis christianorum aut admittat realem praesentiam aut rejiciat, cujusvis sectae sententia suspecta esse poterit. Ast interim necessarius est judex qui lites componat, Christus enim quem sequimur, contentiones ac dissidia nos evitare docet. Quid ergo superest nisi ut ad Ecclesiam quae ab Apostolis usque ad Carlostadii, Zuingliique viguit aetatem recurramus? Nequeunt adversarii veteris Ecclesiae contemnere aut respuere judicium absque intolerabilis superbiae nota, quum sit illa columna et firmamentum veritatis. Quod si Ecclesiae oraculum admittatur, jam causa finita est. Cuncti siquidem Ecclesiae Patres in verbis institutionis non modo figuratum sensum non agno-

verunt, sed nec a longe quidem subodorarunt. Imo statim ac Erigena saeculo 9. figuratum sensum primus invexit, tamquam haereticus ab Ecclesia ejectus est, et ab omnibus execratus. Si communem itaque sensum non amiserunt sacramentarii, fateri conantur Christum Dominum Eucharistiam instituendo, verba illa, *hoc est Corpus meum, hic est calix Sanguinis mei*, litterali sensu protulisse.

MOMENTUM III.

Ex perpetua Ecclesiae traditione.

Nulla aetas est, incipiendo a saeculo quod aevum Apostolorum excepit, quae locupletissimos non exhibeat catholicae veritatis testes de Christi reali praesentia in Eucharistia. Primus in aciem prodibit S. Ignatius qui 40. annis antiochenam post Evodium rexit ecclesiam, et Christi martyr occubuit anno 107. juxta Ruinartium, vel 113. juxta Norisium, vel ut alii volunt 116. Hic agens in ep. ad smirnaeos adversus simonianos qui male de Christi Corpore, adeoque et de Eucharistia dogmatizabant, ita de illis conqueritur: *Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confitentur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quam benignitate sua Pater suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur.* Non video quomodo haec Ignatii sententia ad metaphoricum sensum detorqueri possit, nam reprehendit simonianos quod negent Eucharistiam carnem esse Salvatoris; statuitque eamdem carnem existere in Eucharistia, quae passa est, et quam benignitate sua Pater a mortuis excitavit. Nescio an luculentius nunc catholici romani propriam exprimere possint sententiam. Eodem saeculo floruit Justinus, nam gladio percussus est an. 163. In apologia quae dicitur secunda, sed revera prima est, hoc habet ad rem nostram praeclarissimum testimonium: *Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus servator noster Carnem et Sanguinem salutis nostrae causa habuit; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam, unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu Carnem et Sanguinem esse edocti sumus*. A quibus, quaeso, christiani secundi saeculi quorum nomine apologiam obtulit imperatori Justinus, edocti fuerant Eucharistiam esse Carnem et Sanguinem Jesu incarnati, nisi a fidelibus primi saeculi, adeoque ab Apostolis? Intelligenda ne erunt hujus apologistae verba de carne et sanguine in sensu figurato? Sed figuratum sensum excludunt non solum ipsa verba, ut legenti apparet, sed etiam scopus quem sibi Justinus praefixerat. Accusabantur enim per calumniam illius temporis christiani a gentilibus, quod interfecti pueri carnibus in eorum conviviis vescerentur. Quid ad repellendam calumniam sancto martyri facilius quam ad calvinistarum metaphoricum sensum confugere? Et nihilominus, nostram, inquit, *alimoniam*

incarnati illius Jesu Carnem et Sanguinem esse edocti sumus. S. Irenaeus discipulus Polycarpi qui fuerat Apostolorum auditor, martyr effectus an. 202. non minus aperte catholicam confirmat sententiam. In lib. enim 1. de haeres. insectatur marcosios, quod eorum praestigiis vinum album in rubrum transmutarent eo fine ut illuderent simplicibus, ac ostentarent se ad imitationem Christi in Eucharistia vinum in sanguinem convertisse. Quorsum autem hoc praestigium, nisi fidelibus persuasum fuisset contineri in Eucharistia Corpus et Sanguinem Christi? Lib. 4. cap. 17. de Christo inquit: *Calicem suum Sanguinem confessus est*. Ejusdem libri cap. 18. valentinianos negantes Christum esse Filium Dei fabricatoris mundi refellens, ita scribit: *Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiae actae sunt, Corpus esse Domini sui, et calicem Sanguinem ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant?* Et infra: *Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam quae a Corpore et Sanguine Domini alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quae praedicta sunt*. Ex quibus colligimus, non modo Irenaeum, sed et valentinianos transubstantiationem in Eucharistiae agnovisse sacramento; unde non sibi cohaerere valentinianos Irenaeus demonstrat, si Christum Filium Dei fabricatoris mundi esse inficientur. Lib. 5. cap. 2. eodem argumento refellit marcionitas Christi Carnis veritatem denegantes: *Quomodo juste Dominus*, inquit, *si alterius Patris existit, hujus conditionis, quae est secundum nos, accipiens panem, suum Corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis sui Sanguinem confirmavit? Et quare se Filium hominis confitebatur, si non eam quae ex homine est generationem sustinuisset?* Ignotus itaque fuit Irenaeo sensus ille figuratus calvinistarum. Quod si mox laudata verba in sensu figurato ipsi accipiant, confiteri tenentur sanctissimum martyrem non evertisse, sed confirmasse potius errorem marcionitarum. Quae cum ita sint, firmum jam remanet fideles secundi saeculi firma fide credidisse conversionem panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi fieri in sacramento Eucharistiae. Sed neque minus constanti fide idipsum tenuerunt fideles tertii saeculi, ut ex Patribus illius aetatis apertissime constat. Tertullianus enim in lib. de idolol. c. 7. ita redarguit christianos illos qui ad quaestum captandum idola pro ethnicis fabricabant: *Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens christianum ab idolis in Ecclesiam venire (de adversarii officina in domum Dei) attollere ad Deum Patrem manus, matres idolorum; his manibus adorare quae foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere Corpori Domini quae doemoniis corpora conferunt... Proh scelus! Semel judaei Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt! O manus praecidendae!* Sicut ergo judaei per Tertullianum vero, non figurato Christi Corpori manus intulerunt, ita et idolorum fabricatores manus Eucharistiae admovendo, verum non figuratum Corpus Christi lacessunt. In lib. 4. cont. Marcionem cap. 40. de Christo inquit: *Acceptum panem Corpus suum illum fecit, hoc est Corpus meum, dicendo, idest figura Corporis mei*, nempe panis qui in veteri Testamento fuerat figura Corporis Christi juxta vaticinium Jeremiae, *Mittamus*

lignum in panem ejus, per verba consecratoria convertitur in corpus Christi. Origenes hom. 7. in Num. *Tunc in aenigmate*, inquit, *erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei est vere cibus, sicut ipse dicit: Quia caro mea vere est cibus. Quae prius in aenigmate designabantur, nunc in specie, et veritate complentur.* Et hom. 15. adhuc luculentius: *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum; quando vitae pane, et poculo frueris, manducas et bibis Corpus et Sanguinem Domini.* Sunt haec adeo manifesta ut nulla indigeant expositione. Veniamus nunc ad Cyprianum ecclesiae africanae lumen. Is in lib. de lapsis acriter redarguit illos qui postquam in idololatriam lapsi fuerant, ante exactam convenientem poenitentiam admitti postulabant ad Eucharistiae participationem; sic autem inquit: *Corpus Domini invadunt ... vis infertur Corpori ejus, et Sanguini: et plus modo in Deum etc.* In epistola vero 63. vult ut instante persecutione Galli et Volusiani, Eucharistia concedatur iis qui in deciana persecutione lapsi fuerant, hac ductus ratione: *Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus?* Trium ergo priorum saeculorum traditio sacramentariorum dogma insolentissimae novitatis nimis aperte redarguit. Paucos ex innumeris seligam modo saeculi 4. pro catholica sententia testes. Atque exordium ducam a Concilio nicaeno 1. in quo can. 18. vetatur diaconis ne Eucharistiam sacerdotibus praebeant hac ratione, quia *neque canon neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent Corpus Christi.* Gregorius Nyssenus orat. catech. cap. 17. *Panis*, inquit, *sanctificatur per verbum Dei, et orationem, non quidem per manducationem, et potationem migrans in Corpus Verbi, sed statim in Corpus Verbi per verbum transmutatus, sicut dictum est a verbo, hoc est Corpus meum.* Cyrillus jerosolymitanus catech. mystag. 4. ita scribit: *Cum igitur ipse pronuntiaverit, et dixerit de pane: hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit, et dixerit: hic meus est Sanguis, quis umquam dubitaverit ajens, non esse ejus Sanguinem?* Recitato subinde miraculo a Christo patrato in Cana Galilaeae concludit: *Quare cum omni persuasione tamquam Corpus et Sanguinem Christi illa sumamus.* Hilarius pictavorum episcopus lib. 8. de Trin. *De veritate*, inquit, *Carnis, et Sanguinis non est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est.* Ambrosius in lib. de myster. cap. 8. ait: *Considera nunc, utrum praestantior sit panis angelorum an Caro Christi, quae utique corpus est vitae. Manna illud de caelo, hoc supra caelum: illud caeli, hoc Domini caelorum.* Et infra: *Illis aqua de petra fluxit, tibi Sanguis Christi.* Subinde objicit sibi, in Eucharistia apparere panem, non Christi Corpus. Ad objectionem autem solvendam multa profert ex Scriptura patrata miracula, ut illud virgae in serpentem, aquae Nili in sanguinem, ignis ad Eliae preces e caelo evocati, quae locum non haberent si vera esset calvinistarum sententia. Atque haec pauca pro fide quarti saeculi sufficiant. Pro fide christianorum qui saeculo quinto florebant

exhibemus in primis Joannem Chrysostomum qui hom. 24. in 1. ad Cor. scribit: *Valde fideliter dixit, et terribiliter: hoc est autem quod dixit: id quod est in calice, est id quod fluxit e latere, et illius nos sumus participes .... quid est hoc horribilius? sed quid amabilius ?* Tum Hieronymum in cap. 1. ep. ad Titum scribentem : *Tantum interest inter panes propositionis et Christi corpus , quantum inter umbram et corpus , inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea quae per ipsa exemplaria praefigurabantur.* Huic accedit Cyrillus alexandrinus qui in ep. ad Nestorium, *Ad mysticas eulogias*, inquit, *accedimus, et sanctificamur, participes effecti sanctae Carnis, pretiosique Sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi, neque illam ut communem carnem sumimus , sed ut vivificam, ipsiusque Verbi propriam.* Et Theodoretus comm. in cap. 2. ep. ad Cor. ait: *Quemadmodum Judas ipsum tradidit, et insultarunt illi judaei, sic ipsum ignominia afficiunt qui sanctissimum ejus Corpus impuris manibus recipiunt.* Claudat hujus saeculi Patrum agmen beatissimus P. Augustinus quem e partibus suis stare gloriantur adversarii. S. Doctor itaque in lib. 5. de bapt. cap. 9. docet idem Christi Corpus a dignis et indignis ex aequo sumi, et in eo malitiam esse quod a malis male sumatur . Hoc autem locum habere non potest in sententia sacramentariorum in qua mali mysticum Christi corpus nullimode accipiunt. En S. Patris verba : *Sicut Judas cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo praebuit: sic indigne quisque sumens dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini et Sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus : Qui manducat indigne, judicium sibi manducat et bibit.* In lib. 2. cap. 9. cont. adversarium legis et prophetarum redarguens manichaeos qui vetus Testamentum ex integro rejiciebant, novum autem nunc pro lubitu corrumpebant, nunc vero ridicule interpretabantur, docet illos ex professo sacrae Scripturae sententias simpliciter ac litteraliter intelligendas esse etiam iis in locis in quibus durum aliquod et asperum specie tenus videntur enunciare. Atque ut id exemplo aliquo sub oculos ponat haereticorum, assumit quae de Eucharistia in novo Testamento leguntur, et inquit : *Sicut mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, Carnem suam nobis manducandam, bibendumque Sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus : quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere, et humanum sanguinem potare quam fundere .* Veniat nunc calvinista cum suo de sensu figurato systemate, et videat num quae hoc in loco S. Doctor affirmat de figura Corporis et Sanguinis Domini intelligi possint. Figura certe corporis et sanguinis ad excitandum horrorem apta non est, neque sensus et ratio illi repugnant. Quare vel operam lusisset Augustinus, vel de reali Corpore et Sanguine Domini verba faciebat. Enarratione in psalm. 39. hanc inter sacrificia veteris Testamenti et Eucharistiam statuit antithesim: *Ablata sunt verba promissiva, data sunt completiva. Sacrificia ergo illa, tamquam verba promissiva, ablata sunt. Quid*

est quod datum est completivum? Corpus quod nostis, quod non omnes nostis (aderant enim concioni cathecumeni) *quod utinam qui nostis, omnes non ad judicium noveritis ... Ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa .... Hujus Corporis participes sumus, quod accipimus novimus, et qui non nostis noveritis, et cum didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis.* Cur tam caute loquitur Augustinus de Eucharistia coram catechumenis, si non aliud quam symbolum continet Corporis Christi? Praeterea nullum esset inter vetera sacrificia et Eucharistiam discrimen , si haec et illa signa essent et figurae. Denique non aequo modo boni ac mali Corpus Christi acciperent. Enarr. in psalm. 33. concione 1. exponens illa psalmistae verba juxta versionem Septuaginta, *Et ferebatur in manibus suis*, ait illa adimpleta minime fuisse in Davide, nec in alio adimpleri potuisse quam in Christo Domino tum cum Eucharistiam instituit. *Hoc vero, fratres*, inquit, *quomodo posset fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus , in Christo autem invenimus . Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum, ait, hoc est Corpus meum.* Quum verba Davidis ad litteram exponat Augustinus, non possunt illa intelligi de figura. Deinde quivis homo potest sui ipsius imaginem et figuram in manibus portare. Innumera alia afferri possent ex Augustino quae studiose collecta videri possunt apud Arnaldum in opere de perpetuitate Fidei .

CAPUT VIII.

Haereticorum argumenta adversus realem Christi praesentiam in Eucharistia dissolvuntur .

Obj. 1. cont. primum mom. I. Christus Joan. cap. 6. non loquitur nisi de Fidei virtute et efficacia ita ut quae ibi habentur de cibo et potu, ac de Corpore et Sanguine intelligi debeant de spirituali manducatione per fidem. Et sane v. 27. ita loquitur Christus: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.* Et rursus : *Hoc est opus Dei, ut credatis.* Et v. 35. *Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet.* Cum ergo inquit idem Christus paullo post, *nisi manducaveritis Carnem etc.* intelligi haec et similia debent de spirituali manducatione per fidem. II. et quidem regula est ab Augustino tradita , ut ubi Scriptura obscura est, exponi per antecedentia et subsequentia debeat. Quoniam ergo subsequentia verba, *qui manducat meam Carnem etc. Nisi manducaveritis meam Carnem etc.* obscura sunt et ambigua, ac in diversum trahuntur sensum a pluribus, interpretanda sunt ad normam praecedentium, et nulla erit difficultas. III. nec dubitare possumus quin Christus Dominus etiam in illis locis ubi Carnem suam et Sanguinem aperte commemorat, de fide in ipsum verba faciat. Nam comedentibus de illo

pane promittit vitam aeternam quam certe non consequuntur omnes qui Eucharistiam suscipiunt, bene vero qui habent fidem. IV. idque confirmatur ex eo quod loquatur Dominus de comestione et potu necessariis ad vitam aeternam obtinendam, *nisi manducaveritis Carnem Filii hominis etc.* quum interim et omnes parvuli baptizati et adulti complures vitam consequantur aeternam absque Eucharistia, nec unus habere illam possit sine fide. V. neque vero fas est recurrere ad scholasticam distintiunculam inter necessitatem medii et necessitatem praecepti, Christus enim loquitur de absoluta necessitate, quemadmodum ubi necessitatem baptismi inculcat, quum iisdem fere verbis praeceptum utrumque constet, *nisi manducaveritis, et nisi quis renatus fuerit etc.* Quare Christi praeceptum apud Joan. cap. 6. non realem, sed spiritualem Corporis Christi manducationem per fidem attingit. VI. hinc altum apud Joannem silentium de passione Christi in cujus memoriam Eucharistia fuit instituta eo ritu ut adhibeatur vinum, et panis frangatur atque distribuatur. VII. accedit his, quod murmurantibus capharnaitis v. 53. *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum*, declaravit Christus se non litterali, sed spirituali sensu fuisse loquutum, ait enim v. 64. *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt:* imo excludere voluit omnino litteralem sensum dicens: *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam.* VIII. quid plura? Nonne pontificii volunt intelligendas esse Scripturas juxta Patrum interpretationem? Ast Origenes hom. 7. in Levit. Clemens alexandrinus lib. I. paedag. Tertullianus lib. de resurr. carnis cap. 37. Hieronymus in psal. 147. et Augustinus lib. 3. de doctr. christ. cap. 16. et alibi caput illud 6. Joannis mystico sensu interpretantur.

Resp. ad singula. Atque ad 1. dist. ant. In cap. 6. Joannis Christus loquitur de Fidei virtute et efficacia a v. 26. usque ad v. 51. conc. ant. per totum et integrum caput, neg. ant. Jam praemonuimus caput illud in tres veluti partes distribui posse, in quarum quavis diversum versetur argumentum. Ab initio nempe capitis usque ad v. 25. fuse describitur patratum a Christo miraculum in multiplicatione panis et piscium. Exinde a v. videlicet 26. usque ad 51. disserit de Fide occasionem arripiendo a corporali manducatione, analogia enim est inter corporalem ac spiritualem alimoniam. Cumque pervicaces carnalesque judaei credere nollent Christum esse Messiam in lege promissum, novumque ab ipso postularent miraculum simile illi quod Moyses in deserto patraverat quando manna pluere fecit de caelo, Christus Dominus majora ipsis pollicetur, conversionem nempe panis et vini in suum Corpus et Sanguinem. Et quoniam Christi promissio multorum turbaverat animos, non retractat illam Christus ad animorum sedandam jactationem, sed novi rursus miraculi promissione, admirabilis nempe suae ascensionis in caelum, confirmat et auget; atque haec omnia habentur a v. 51. usque ad finem illius capitis. Verum est ergo in illis Christi verbis, *operamini non cibum etc.* sermonem fieri de Fide, et verum est quoque in illis aliis quae a nobis superius allata sunt, expressam haberi promissionem realis praesentiae Corporis et Sanguinis Domini in sacramento

Eucharistiae, quoniam illa in secunda ubi de Fide, haec in tertia ubi de Eucharistia disseritur, parte continentur.

Ad 2. Critices regula quam tradit etiam S. P. Augustinus accuratissima est, et valet plurimum ad Scripturarum aliorumque auctorum intelligentiam. Ast supponit illa antecedentia et consequentia esse de uno eodemque argumento. Quod si in eodem capite sermo de diversis instituatur, ut accidit in casu nostro, non possumus subsequentia intelligere per antecedentia nisi omnia miscere ac perturbare velimus. Deinde depromptum ex ea regula ab Albertino argumentum supponit ea quae in postrema capitis 6. Joannis parte leguntur, esse obscura et ambigua, quod falsum omnino est ut ex iis quae inter probationes attulimus patet; nam quod sacramentarii eorum cavillationibus nitidissimae luci tenebras velint offundere, id ex eorum pervicacia est, non ex Scripturae verbis quae obscura sint et aequivoca; alioquin etiam illae evangelicae propositiones, *Verbum caro factum est: Christus est Filius Dei,* obscurae erunt et ambiguae, quum sociniani innumeris sophismatibus non desinant earum claritatem obtegere.

Ad 3. Panis de quo Christus cap. 6. Joan. verba facit, dat utique sumentibus illum vitam aeternam, dummodo tamen obicem non opponant sumentes. Dominus enim in intituendo Eucharistiam, divinam illi tribuit virtutem conferendi vitam aeternam digne sumentibus. Quod si fideles sine praevia dispositione accedant ad altare, judicium sibi tunc manducant et bibunt, non vitam obtinent sempiternam. Ast id ex eorum culpa est, non ex defectu Eucharistiae. Praeterea si valeret argumentum, sequeretur, Christum nec de Eucharistia nec de Fide fuisse loquutum, nam quot sunt qui Christum spiritualiter manducant per Fidem, et tamen vitam non consequuntur aeternam?

Ad 4. Verum est parvulos omnes baptizatos et adultos complures vitam consequi aeternam absque Eucharistia. Et verum est quoque comestionem de qua loquitur Christus esse necessariam ad vitam aeternam. Sed quid proinde? Necessitas enim de qua loquitur Christus, est necessitas praecepti, non medii, ut optime a theologis appellatur ad idearum perturbationem vitandam. Christum in illis verbis, *nisi manducaveritis etc.* inculcare necessitatem praecepti, non medii, sumendi Eucharistiam, demonstrabimus in subsequentibus.

Ad 5. Neque comparatio instituta inter verba praecipientia Eucharistiam et illa quae praecipiunt baptisma caussam juvat adversariorum, latissimum enim est inter utrumque praeceptum discrimen. Et I. eo fine institutum fuit a Christo baptisma, ut primam gratiam conferret hominibus, sine qua aeterna salus consequi absolute non potest; quum Eucharistiae institutio eo tendat ut conferat gratiam secundam seu primae gratiae augmentum sine quo aeterna vita obtineri potest. II. praeceptum sumendi Eucharistiam directum est ad illos qui ea sunt capaces, unde habet, *nisi manducaveritis etc.* ubi praeceptum baptismi omnibus, nemine excepto, impositum est, *nisi quis renatus fuerit etc.* III. Ecclesia ab initio rem ita intellexit ut Eucharistia sit necessaria necessitate praecepti, baptismus vero-

necessitate medii. Ex necessitate ergo Eucharistiae nihil contra catholicos colligi potest.

Ad 6. Hoc calvinistarum momentum non moror, ritum enim conficiendae ac distribuendae Eucharistiae silentio premit Joannes, quoniam de promissione, non de institutione illius sacramenti capite 6. disserit.

Ad 7. dico I. si caro, juxta calvinistarum interpretationem, non prodest quidquam, quaenam erit utilitas incarnationis, Corporisque Christi flagellis cruentati, ac cruci affixi? Caro enim per adversarios non prodest quidquam; quare Scripturae loca de incarnatione, passione, ac morte Christi disserentia mystice et figurate explicemus. II. si Christus non loquebatur de vera ac reali Corporis sui comestione, cur discipuli abierunt retro dicentes, *durus est hic sermo*? Manducatio enim spiritualis per Fidem nequit horrorem ingerere. III. duplici modo potest intelligi realis manducatio Corporis Christi, spiritualiter nempe et materialiter. Carnis Christi realis manducatio spiritualiter fieri intelligitur quando quis putat se Christi Carnem sub speciebus latentem assumere eo modo quo a catholicis intelligitur et explicatur. Si quis autem crederet se realiter Christi Carnem manducare ad instar communium ciborum, existimaret se vesci Corpore Christi, non spiritualiter, sed materialiter. Et quoniam capharnaitae hoc postremo sensu crediderunt se fore Carnem Christi comesturos, abierunt retro, et reprehensi sunt a Christo illis verbis, *caro non prodest quidquam; spiritus est qui vivificat.* Expositio est magni Augustini qui tract. 27. in Joan. ita scribit: *O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi quis manducaverit Carnem meam, et biberit Sanguinem meum, non habebit in se vitam?... Quid est ergo, non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, caro non prodest quidquam: quomodo dictum est, scientia inflat .... sola, sine caritate. Ideo adjunxit, caritas vero aedificat. Adde ergo scientiae caritatem, et utilis erit scientia: non per se, sed per caritatem. Sic etiam nunc, caro non prodest quidquam: sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret.*

Ad 8. Nonnulli Patres ut Origines, Tertullianus, aliique aperte tradiderunt comestionem Corporis Christi de qua in cap. 6. Joannis, non esse litteraliter accipiendam, sed non proinde hoc affirmando catholicae sententiae contradicunt, per τὸ enim *litteraliter*, intelligunt, *materialiter*, paullo supra a nobis expositum, manducationem videlicet Corporis Christi in sensu capharnaitarum. Alii bene multi interpretati sunt integrum caput 6. Joannis mystico sensu, non excluserunt autem sensum litteralem. Imo illi iidem Patres aliis in locis Joannis sententias in sensu litterali de reali praesentia Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia exposuerunt.

Obj. 2. adv. alterum momentum. I. verba institutionis Eucharistiae, *hoc est Corpus meum,* talem habent sensum: *hoc significat Corpus meum.*

Innumera enim sunt sacrae Scripturae loca in quibus verbum, *est*, sumitur pro, *significat*. Ita Genes. cap. 17. circumcisio appellatur foedus, quum foedus tantum significaret. Ibidem cap. 41. habetur: *Septem boves pulchrae, et septem spicae plenae, septem ubertatis anni sunt*, hoc est, *significant*. Exodi cap. 12. agnus paschalis appellatur *phase*, et tamen significabat *transitum Domini*, non erat. Danielis cap. 2. ad Nabuchodonosorem dicitur: *Tu es caput aureum*, quum tantum significaretur in capite aureo statuae visio per somnium. Ostendit Deus Ezechieli ossa arida, et Propheta cap. 37. inquit: *Ossa haec universa, domus Israel est*. Joan. cap. 10. Christus de se inquit: *Ego sum ostium*. In 1. ad Cor. cap. 10. legitur: *Petra autem erat Christus*, hoc est, *significabat* Christum. Ac denique in Evang. Matth. cap. 13. ait Dominus: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis: ager autem, est mundus etc.* quibus in locis particula *est*, sumitur pro, *significat*. Cur ergo eadem particula *est* sumi non poterit pro, *significat*, in verbis institutionis? II. neque reponere juvat debuisse Christum Apostolos praemonere se figurate loqui, quum ipsa verba per se figuram non contineant; nam propositio haec, *hoc est Corpus meum*, simillima huic est, *hic est filius tuus*, quam Christus in cruce pendens dixit Matri suae. Numquid Christus Matrem praemonuit se in figura loqui? Et tamen illa verba figurate intelliguntur: ita ergo et in casu nostro. III. sensus ipse illius propositionis cogit nos ad figuram confugere, pronomen siquidem, *hoc*, non potest referri ad *corpus*, alioquin propositio identica esset, atque hunc sensum haberet, *hoc corpus meum*, *est corpus meum*, unde referri debet ad panem, sensusque erit, *hic panis est Corpus meum*, ac proinde panis significat corpus. IV. etiam vocabulum, *corpus*, in verbis institutionis appositum est metaphorice, Christus enim non dixit tantum, *hoc est Corpus meum*, sed addit *quod pro vobis tradetur*, vel ut graecus textus habet, *quod pro vobis frangitur*, et de sanguine, *qui pro vobis funditur*. Ast tunc non reale corpus neque realis sanguis frangebatur et fundebatur, sed panis et vinum. V. post institutionis verba sic prosequitur Christus Lucae cap. 22. *Accipite, et dividite inter vos: dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*. Vinum itaque quod bibendum tradidit Christus Apostolis erat illud quod ipse bibiturus erat in regno Dei. Quis autem non videt hoc metaphorice dictum esse? VI. praeterea Paulus in 1. ad Cor. cap. 11. repetens institutionis verba, sic ea recitat: *Hic calix novum testamentum est in meo Sanguine*. Duplex hic habetur metaphora, prima est, quod calix sumatur pro vino, altera vero, quod calix continens vinum accipiatur pro testamento. Cur ergo et reliqua metaphorice sumenda non sunt? VII. Christus instituta Eucharistia addit: *Hoc facite in meam commemorationem*, absens ergo Christus est ab Eucharistia, neque enim praesentium fieri dicitur commemoratio. VIII. hinc merito Apostolus in citata ep. cap. 10. Eucharistiam appellat panem et vinum, *panis*, inquiens, *quem frangimus*. IX. ibidem addit Paulus: *Patres nostri omnes ... eamdem escam spiritalem manducaverunt, et eumdem potum spiritalem biberunt:* ast

illi per Fidem: ergo et nos. X. et requidem vera nisi hoc dicamus, quum Christus de pane illo benedicto manducaverit, dicendum foret deglutivisse semetipsum, quod quam absurdum sit nemo non videt. XI. Judae detrahenti mulieri quod pretiosum prodigeret unguentum ad pedes Domini, ipse Dominus respondit Joan. cap. 12. *Sinite illam etc. Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*. Non erat ergo Christus reali sua praesentia nobiscum permansurus. XII. et eodem quidem sensu accipienda sunt quae Marci cap. ult. habentur: *Assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei*. Si namque sacratissima humanitas ejus in coelis sedet, quomodo realiter invenitur in Eucharistia? XIII. hinc Matth. cap. 24. admonebat Christus discipulos suos dicens: *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*. Quare credendum non est Catholicis dicentibus, hic in Eucharistia est Christus.

Resp. ad singula, et ad 1. dico 1. Si verbum, *est*, in illis verbis, *hoc est Corpus meum*, idem valet ac, *significat*, cur non eodem modo accipiendum erit in his propositionibus, *Verbum caro factum est: Hic est filius meus dilectus: Spiritus est Deus*? Non enim est potior ratio. 2. In verbis institutionis verbum, *est*, sumendum esse in suo naturali sensu, non tropice et figurate, demonstravimus capite superiori mom. 2. ex regulis ab ipsis adversariis nostris assumptis, ex re quam Christus gerebat, et ex aliis bene multis circumstantiis. Relege laudatum locum. 3. Nec aliquid allata in argumento exempla concludunt, nam verba quae rerum signa sunt, ab hominibus semper in suo naturali sensu accipiuntur, ut initio hujus controversiae monuimus, nisi qui illa profert animadvertat se tropice loqui velle, aut ex recepta hominum consuetudine figurata et metaphorica sint, aut denique adjuncta et circumstantiae declarent locutionem metaphoricam esse. Horum autem nihil occurrit in verbis institutionis, alterutrum vero invenitur in singulis allatis exemplis. Et quidem *circumcisio* quae dicitur foedus merito pro foederis signo accipitur, tum quia consuetum erat antiquitus inire foedera signo aliquo et charactere, tum quia ibidem legitur, *Et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit signum foederis inter me et vos*. Exempla a *somniis* Pharaonis et Nabuchodonosoris deprompta ad rem non faciunt, qui enim somnii interpretationem quaerit, scire desiderat quid ea quae vidit significat. Quare dum interpres respondit, *septem boves pulchrae etc. septem ubertatis anni sunt*, et, *Tu es caput aureum*, obvium est cuique ex recepta consuetudine verbum, *est*, pro, *significat*, intelligere. Haec eadem ferme regula valet pro exemplo desumpto ex Ezechiele, simillima namque fere sunt somnia et visiones. Praeterea assueti prophetae figuris quae in visu conspiciunt pro figuris sumere solent, ut innumeris patet exemplis. *Phase* non solum est signum transitus Angeli, sed est ipsa paschatis solemnitas, ipse mactatus et immolatus agnus, unde saepe in Scripturis legitur, *celebrare phase, immolare phase, comedere phase*, quare nego in hac propositione, *agnus est phase*, verbum, *est*, idem valere ac, *significat*, sensus enim erit, agnus est victima oblata in me-

moriam transitus Domini, juxta illud Exodi cap. 12. *Victima transitus Domini est.* Neque id novum est in sacris litteris, quum etiam victima oblata pro peccato appelletur peccatum. Deinde quae gerebant judaei in oblatione agni illiusque comestione ipsorum animos satis admonebant, victimam illam in signum esse et commemorationem transitus Domini. Tandem quo sensu agnus ille dici poterat signum? Nempe quatenus illius sanguis postibus illitus signum fuit Angelo transeunti ut filiis Israel parceret, unde legitur, *Erit autem sanguis vobis in signum, in aedibus in quibus eritis, et videbo sanguinem, et transibo vos etc.* Scriptura ergo ipsa appellat agnum ejusque sanguinem signum. Non poterant nisi parabolice Apostoli sumere illa Christi verba, *Ego sum ostium*, tum quia noverant non instituere per illa verba Sacramentum, tum quia non videbant Christum in portam commutatum. Apostolus antequam diceret, *Petra autem erat Christus,* appellaverat petram spiritualem, testatusque erat de illa spiritaliter bibisse patres nostros, et subinde addit, *Omnia in figura contingebant illis*. Verbum itaque, *est*, in allata propositione non poterant corinthii accipere nisi pro, *significat*, vel, *repraesentat.* Denique Christus proposuerat Apostolis parabolam. Apostoli autem dixerunt ad Christum, *Edissere nobis parabolam zizaniorum*. Quid mirum ergo si eo in loco tam saepe repetitum verbum, *est*, idem valet ac, *significat*?

Ad 2. Illa propositio Christi de cruce pendentis, *Hic est filius tuus*, non solum poterat, sed debebat metaphorice intelligi, idque ex circumstantiis. Christus enim Dominus animam mox redditurus Patri juxta crucem vidit dolentissimam Matrem, discipulumque suum amantissimum. Hinc ut aliquod utrique solatium afferret, *Hic est*, ait ad Matrem, *filius tuus*: *Haec est*, ad discipulum, *Mater tua.* Atque haec figurata loquendi ratio in consimilibus circumstantiis communis est apud omnes nationes. Numquid simile aliquid habemus in casu nostro?

Ad 3. dico 1. Sunt nonnulli veterum, ut Innocentius III. in libro quem antequam Pontifex fieret, conscripsit de myst. Alt. Durandus, Odo cameracensis, et Catharinus, qui putant propositionem illam, *hoc est Corpus meum*, esse speculativam. Volunt enim Christum Dominum omnipotentissima sua virtute ante verborum illorum prolationem, panem et vinum in Corpus et Sanguinem suum mutasse. Si res ita se habeat, jam nihil concludit argumentum. 2. Sed admisso cum plerisque theologis propositionem illam esse practicam et operatoriam, peto ab adversariis an Deus hominem condens limumque contrectans dicere potuisset, *hic est homo*? An Christus in Canae Galilaeae convivio hydriam ostendens dicere potuisset, *hoc est vinum*? Hujusmodi propositiones per adversarios non fuissent propositiones identicae. 3. In propositionibus ergo practicis articulus, *hoc*, vel, *hic*, confuso quodam modo refertur ad subjectum, et ad attributum propositionis, quum enim ejusmodi propositiones sint operatoriae, et subjectum faciant, non supponant, initio prolationis articulus refertur ad rem ut est in se, in fine autem ad rem in quam facta est mutatio. At-

que ita articulus, *hoc*, initio propositionis refertur ad panem, illa absoluta, ad Corpus Christi, unde sensus erit, *hic qui modo est panis, fit Corpus meum*.

Ad 4. Fractio et effusio de quibus in verbis institutionis tribuuntur Corpori et Sanguini Domini ratione specierum sub quibus latent, consuetum enim est rebus ipsis tribuere quod illarum externae convenit speciei; ita Christus ad hemorroissam conversus dixit, *Quis me tetigit?* licet fimbriam vestimenti ejus duntaxat mulier illa tetigisset. 2. Quod graece legitur, *pro vobis frangitur*, nequit de Christi Corpore intelligi, quum Christi Corpus fractum non fuerit, juxta illud, *Os non comminuetis ex eo*, unde fractio vel ad species referri debet, vel significat distributionem, quomodo apud Isaiam cap. 58. *Frange esurienti panem tuum*, scilicet, *distribue*. 3. Demum nequeunt institutionis verba ad panem et vinum secundum eorum substantiam referri, sed referenda sunt ad Corpus quod tradendum erat, et ad Sanguinem qui erat fundendus, nam Christus juxta Apostolum in 1. ad Cor. cap. 11. dixit, *Quod pro vobis tradetur*, et calicem praebens juxta Lucam ait, *Qui pro vobis fundetur*. Neque aliquid ingerit quod haec duo loca exprimantur in graeco per participia vocis praesentis, etenim haec est consuetudo Scripturae, ad indicandam certitudinem eventus futuri uti ut plurimum praesenti pro futuro, imo etiam voce praeteriti temporis, cujus rei innumera occurrunt exempla apud Prophetas. Jam vero Christus erat Propheta magnus. Adeoque sensus verborum illorum est, *Bibite de sanguine qui jam jam erit effudendus: comedite de corpore quod jam jam erit in ara crucis immolandum.*

Ad 5. Verba illa Christi apud Lucam cap. 22. *Non bibam de generatione vitis etc.* ad rem minime faciunt, illa enim protulit Dominus ante Eucharistiae institutionem, ut caput illud legenti patet. Deinde genimen vitis laudato in loco intelligi nequit nec litteraliter nec metaphorice in sensu adversariorum; neque enim Christus in regno Patris vel vere vel figurate bibiturus erat vinum. Verba itaque illa phrasim continent denotantem, se tunc ultima vice vinum bibere cum discipulis suis.

Ad 6. Necesse non erat ut Christus Apostolos moneret se metaphorice sumere calicem et Testamentum, quando dixit, *hic est calix novum Testamentum in Sanguine meo*, nam receptissima consuetudo est apud omnes, ut calix pro re in eo contenta, videlicet pro vino sumatur, signum autem foederis accipiatur pro foedere ipso. Quum ergo in calice contineretur Sanguis, juxta alios Evangelistas dicentes, *hic est Sanguis*, atque Sanguis ille sacratissimus signum esset novi Testamenti, merito dicere potuit Christus juxta Lucam, *hic calix novum Testamentum in Sanguine meo*, vel ut alii narrant Evangelistae, *hic est Sanguis meus novi Testamenti*.

Ad 7. Deus ubique praesens est, atque est, ut inquit S. P. Augustinus, intimior intimo nostro, et nihilominus jubetur illius semper meminisse. Itaque ex quo dixerit Christus, *Hoc facite in meam commemorationem*, non sequitur in Eucharistia non esse Christum substantialiter praesentem; commemoratio enim ad summum excludit rei praesentiam sensi-

bilem, non veram et realem, si sit illa modo insensibili. Deinde praeceptum illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, importat ut in sumenda Eucharistia passionis ac mortis Domini reminiscamur, unde sic ab Apostolo exprimitur: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Hinc laudata evangelica verba non referuntur simpliciter ad Corpus et Sanguinem, sed ad passionem et mortem Christi.

Ad 8. De nihilo autem est quod e vestigio addunt, nam Eucharistia panis et vinum appellatur secundum externam apparentiam, et quia ante consecratoria verba panis et vinum fuerat.

Ad 9. Apostoli verba, *eamdem escam*, vel referuntur ad judaeos simul et christianos, ut vult S. P. Augustinus tract. 26. in Joan. et accipienda sunt de esse spiritali, ita ut sensus sit: quemadmodum illi, intellige justi ut Moyses, Aaron, Phinees, degustando spiritaliter manna, salutem ac aeternam vitam in Christo habuerunt, ita et nos Corpus et Sanguinem Christi spiritaliter accipiendo, vitam ac salutem aeternam habebimus in eodem Christo. *Nonne buccella dominica*, ait ibidem S. Pater, *venenum fuit Judae?* Vel, τὸ *eamdem*, refertur ad solos judaeos, ut magis arridet Chrysostomo, et sensus est: quemadmodum plures ex illis post degustatam licet eamdem escam spiritalem cum aliis, facti tamen Deo rebelles prostrati sunt in deserto, ita et eveniet christianis, si post acceptum sacramentum Corporis et Sanguinis Domini in nova facinora prolabantur. Atque hoc sensu videtur, post allatam imaginem Apostolus addere, *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Haec interpretatio non distat magnopere, ut videnti patet, ab illa Augustini. Neutra autem favet sententiae adversariorum. Quia ut inquit Augustinus in citato tractatu, *spiritalem utique eamdem. Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud ... manna umbra erat, iste* (panis) *veritas est.*

Ad 10. Christum Dominum semetipsum deglutivisse in suprema coena, absurdum esse dicunt zuingliani et calvinistae, non sancti Ecclesiae Patres qui Christum in coena illa fuisse hostiam et sacerdotem, convivium et convivam, sacrificium et sacrificatorem apertissime tradunt. Nos sanctis Ecclesiae Patribus magis quam haeterodoxis fidem praebere debemus. Quomodo autem id factum sit vel fieri potuerit, definire non audemus. Illud tantum animadvertimus, adversarios nostros multa ardua Fidei mysteria nobiscum confiteri. Cur ergo mysterium hoc admittere nolunt nisi ut propriam tueantur praejudicatam opinionem?

Ad 11. Per illa verba, *pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*, voluit Christus significare, se non amplius futurum in terra visibili, sensibilique sua praesentia. Id clarum est ex sola lectione.

Ad 12. Eamdem adhibeto responsionem, Christus enim secundum visibilem formam suam assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei. Id autem non impedit quin reali praesentia sua lateat in Eucharistia sub panis ac vini speciebus.

Ad 13. Sententia illa apud Matth. *Si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut illic*, voluit Dominus excludere pseudo-christos, non Corporis et Sanguinis sui realem in Eucharistia praesentiam. Admonet enim ibi discipulos suos futurum tempus ut multi se Christum et Messiam esse simulent, quibus credendum non esse monet. Sed res per se manifestissima est, imo hujusmodi argutiunculis satis ostendunt se malae caussae patrocinari.

CAPUT IX.

Ea quae haeretici contra tertium superius allatum momentum opponunt, refelluntur.

Quoniam sacramentarii magnum se invenisse jactitant patrocinium apud eximium Ecclesiae doctorem Augustinum, ab hujus S. Patris sententiis ducemus exordium quibus a falsis haereticorum interpretamentis vindicatis reliqua prosequemur. Haec itaque ex Augustino deprompta in medium afferunt contra catholicam sententiam. I. in ep. ad Bonifacium episcopum quae est 98. alias 23. *Si sacramenta*, inquit, *quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est; sacramentum Sanguinis Christi, Sanguis Christi est; ita sacramentum Fidei, Fides est.* In hac sententia tradit S. Pater, Eucharistiam esse Corpus Christi, sicut baptismus est Fides. Ast baptismus non continet in se realiter Fidem, unde nec Eucharistia Christi Corpus. Deinde addit Eucharistiam Corpus Christi in se continere secundum quemdam modum, ergo non realiter. Demum paullo ante allata verba comparationem instituit inter Eucharistiam et diem dominicum qui certe dies non est actu dies ipse dominicae resurrectionis. II. clarius adhuc se explicat in lib. cont. Adimantum manichaeum cap. 12. ubi ait: *Non Dominus dubitavit dicere, Hoc est Corpus meum : cum signum daret Corporis sui*. III. in serm. 272. de temp. ad infantes recens baptizatos, ad illam objectionem, quomodo Corpus Christi esse potest in Eucharistia, quum sit in coelis; ita respondet: *Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem.* Hic sane locus erat affirmandi Christi Corpus modo mirabili existere realiter in caelis et in Eucharistia. Addit subinde, non alio sensu Eucharistiam appellari Corpus Christi, nisi quia illius signum et figura est. *Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi, et membra. Si ergo vos estis corpus Christi, et membra, mysterium vestrum in mensa positum est*. IV. in lib. 3. de doctr. christ. cap. 16. hanc tradit regulam intelligendi Scripturas: *Si praeceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus*

videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, inquit, *Carnem Filii hominis, et Sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis : facinus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo, praecipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis Caro ejus crucifixa et vulnerata sit*. Et regula et exemplum ad illam explicandam appositum mirifice favent calvinistis. V. neque putandum est excludere Augustinum manducationem tantum capharnaiticam, nam praeterquam quod nihil habet de manducatione sacramentali, manducationi quam excludit substituit manducationem spiritualem. VI. in ep. 205. alias 146. quae est ad Consentium, noluit Augustinus definire an Christus nunc Sanguinem habeat, quod certe definivisset si realem illius in Eucharistia praesentiam admisisset. VII. tract. 26. in Joan. *Credere enim in eum, hoc est, manducare panem vivum :* dum jam in praecedenti tractatu dixerat, *Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*. Hoc est ergo manducare *cibum non qui perit ... Ut quid paras dentes et ventrem ? Crede, et manducasti*. Manducatio itaque realis non est per dentes, sed mystica et figurata per Fidem. VIII. demum peremptoria est pro calvinistis sententia quam in ore Christi ponit Augustinus comm. in psal. 98. *Spiritaliter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem futuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendari, spiritaliter intellectum vivificabit vos*.

Resp. ad singula, atque ad 1. dico 1. S. P. Augustinum in ep. ad Bonif. loqui de Eucharistia obiter tantum, illamque in exemplum assumere ad aliud explicandum, unde non est cur Albertinus in hac aliisque similibus Augustini sententiis tantopere glorietur. 2. Scopus S. Doctoris laudata in argumento epistola est demonstrare sacramentum Fidei sive baptismum recte appellari posse *Fidem* etiam in parvulo, licet nondum habeat fidem illam quae in credentium voluntate consistit, neque ille respondeat, credo, sed parentes vel alii quilibet gestatores pro eo. Nam etsi in hoc baptismate parvulorum non habeatur illa Fidei professio quae occurrit in baptismate adultorum, Fidei scilicet propriae, nihilo secius celebratur et istud per interrogationes et responsa circa Fidem, habetque similitudinem aliquam cum baptismo adultorum, adeoque et hoc vocari potest *Fides*. Quemadmodum dicimus nunc diem passionis, resurrectionis etc. per similitudinem ad illos quibus haec gesta sunt, et Corpus et Sanguinem Christi qui latet in Eucharistiae sacramento, quamvis non sit illud idem Corpus et Sanguis quem Christus gestavit cum conversaretur in terra, sed tantum sacramentaliter nobis donatus. In hoc sensu protulit S. P. Augustinus, *si sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent*. Hoc sensu nec nunc dies dominicos, Passionis, Pentecostes etc. possemus amplius dicere, nisi similitudinem quamdam cum illis diebus in quibus haec peracta fuerunt haberent. Nihil ergo prodest adversariis haec sua cavillatio.

Ad 2. Etiam in lib. contra Adimantum loquitur Augustinus de Eucharistia secundum extrinsecas species, indeque concludit quod sicut Eucharistia juxta externam apparentiam licet signum sit Corporis Christi, tamen dicitur Corpus Christi, ita sanguis in veteri testamento dicitur anima quamvis non sit nisi animae signum. Adimantus enim utpote manichaeus, ut vetus rejiceret Testamentum, docebat hanc Christi sententiam, Matth. cap. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, contradicere illi quae habetur Deut. cap. 12. *Sanguis enim eorum pro anima est, et idcirco non debes animam comedere cum carnibus*, quia hic traditur animam occidi posse, ibi autem esse immortalem. S. itaque Doctor ut demonstret duo illa loca sibi minime contradicere, respondet 1. in Deuteronomio fieri sermonem de anima bruti, in Evangelio vero de anima hominis. 2. Et dato etiam quod utrobique sermo esset de anima hominis, non proinde duo illa testimonia sibi contradicerent, quoniam sanguis dicitur anima, quatenus animae in signum est positus, vel propter quamdam vitalem corpulentiam quae illi inest, vel quia anima sanguine tenetur in corpore; ut magis diserte explicat idem S. Pater q. 57. super Levit.

Ad 3. Norunt omnes quam religiose *disciplinam* servarent veteres Patres, quae ferebat ut nec coram infidelibus nec coram catechumenis aut non perfecte imbutis in Fide nimis aperte de sublimioribus religionis nostrae mysteriis verba facerent. De disciplina arcani fuse loquuntur Patres omnes tam graeci quam latini, et Augustinus pluribus in locis, et relate praesertim ad sacramentum Eucharistiae; unde tract. 11. in Joan. inquit nescire catechumenos *quid accipiant Christiani*; et in ep. 140. alias 120. ad Honorat. catech. cap. 19. *Quod ubi*, inquit, *et quando*, *et quomodo* (a Christianis) *offeratur, cum fueris baptizatus invenies*; et alibi saepe: *Norunt fideles quid accipiunt*. Quid mirum ergo si laudatis in argumento locis de Eucharistia loquens coram recens baptizatis, aut minus obviis utitur verbis, aut ad sensum mysticum transitum illico facit? Ceterum in eodem sermone statim ab initio aperte inquit: *Quod autem Fides vestra postulat instruenda, panis est Corpus, calix Sanguis Christi.*

Ad 4. Testimonium Scripturae aliquod vetans aut praecipiens duplici modo sumi potest in sensu litterali, nempe vel in sensu litterali *carnaliter*, vel in sensu litterali *spiritaliter*. Priori litterali sensu intelligitur Scriptura si accipiatur secundum materialem corticem litterae. Intelligitur vero altero litterali sensu si explicetur in sensu a Spiritu sancto intento. Dicens ergo S. Doctor praeceptivam illam locutionem, *nisi manducaveritis etc.* esse figuratam, affirmat id per oppositionem ad sensum carnalem et materialem, seu capharnaiticum, non per oppositionem ad sensum litteralem quemcumque, quasi velit excludere manducationem Corporis Christi sacramentalem.

Ad 5. Neque vero debuit Augustinus laudato in argumento loco manducationem exponere sacramentalem, quoniam non hic scopus ejus erat, et Eucharistiam in exemplum dumtaxat exponendae regulae assumit. Quod si

manducationem commemorat spiritualem, intelligit per hanc illam quae manducationi capharnaiticae opponitur. Ceterum mysterium hoc alibi saepe in sensu catholicorum exponit.

Ad 6. Habere adhuc Corpus Christi sanguinem, numquam de hoc dubitavit Augustinus qui lib. 12. cont. Faust. cap. 20. appellat Eucharistiam sacramentum *Spei quo in hoc tempore consociatur Ecclesiae quamdiu bibitur quod de Christi latere manavit*. In praefata epistola tamen noluit talem dirimere quaestionem ne nimis in longum abiret oratio, Ait enim ibidem: *Fortassis accepta occasione sanguinis, urgebit nos molestior perscrutator, et dicet: si sanguis, cur non et pituita, cur non et fel flavum et fel nigrum, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinae disciplina testatur? Et iterum: Si caro est, et sanguis est. Si sanguis, et ceteri humores. Si ceteri humores, et corruptio.* Ut ergo S. P. Augustinus tales tantasque ambages declinaret indefinitam reliquit quaestionem, admonens tantum, ut *quodlibet quisque addat, corruptionem addere caveat, ne suae Fidei sanitatem castitatemque corrumpat.*

Ad 7. Bene habet Augustinus, *crede, et manducasti,* ibi enim exponit illa Joan. verba, *Operamini escam quae non perit*, quae occurrunt in priori capitis sexti parte, ubi sermo revera fit de Fide, ut in superioribus monuimus. Cumque judaei carnalibus assueti quae Christus de spiritali cibo dicebat, nonnisi de materiali intelligerent, in memoriam revocantes manna quod manducarunt in deserto, recte, inquam, ait S. Doctor: *Ut quid ergo paras dentes et ventrem? Crede, et manducasti.*

Ad 8. Postremum in quo tantopere confidunt calvinistae nihil eorum caussam juvat, si dicamus Augustinum in psal 98. manducationem spiritualem opponere manducationi capharnaiticae Corporis Domini. *Durum illis visum est*, inquit ibidem, *quod ait* (Jesus), *Nisi quis manducavit carnem meam, non habebit vitam aeternam: acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitarunt, et putaverunt quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis.*

Obj. 2. auctoritatem Tertulliani ex quo multa proferunt testimonia. I. in lib. 4. cont. Marcion. cap. 40 de Christo ait: *Acceptum panem, et distributum discipulis Corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo, idest, figura Corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* Eucharistia ergo non Christi Corpus, sed figuram illius dumtaxat continet. II. nec est cur quis figurae nomen apud Tertullianum in alienum sumat sensum, nam in lib. 3. adv. eumd. Marcion luculentissime scripserat cap. 19. *Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro* (nempe Lucae) *revelavit, panem Corpus suum appellans, ut et hinc jam eum intelligas Corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in pane prophetes figuravit.* Repetit hic iterum, panem figuram esse Corporis sui, et figuram quidem proprie dictam, quoniam inquit, Christum appellasse panem Corpus suum, *appellasse*, inquam, non *fecisse*. III. confirmatur hoc ipsum ex iis quae scribit lib. 1. adv. eumd. Marcion. cap. 14. ubi sic habet: *Usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos un-*

guit, nec mellis aut lactis societatem qua suos infantat, nec panem quo ipsum Corpus suum repraesentat, etiam in sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris. Dignum observatione est verbum illud, *repraesentat;* quod certe denotat signum esse; quare panis signum est repraesentans Corpus Christi. Si namque panis repraesentat Christi Corpus, non est conversus in corpus. IV. neque reponere valet panis nomine venire externam panis congeriem accidentium; dum enim ibidem mentionem facit aquæ, olei, ac lactis, haec omnia sumit secundum eorum veram substantiam et naturam; adeoque panis etiam nomine intelligit panis substantiam.

Resp. Nullum ex iis momentis conficere quod sacramentarii contendunt. Sed singula solvamus. Ad 1. Marcion. quem sibi refutandum proponit Tertullianus, duos admittebat in pravo suo systemate capitales errores. Primus erat, veteris Testamenti auctorem fuisse principium nequam; idque demonstrabat ex eo quod crederet Christum veteris Testamenti auctori fuisse contrarium. Alter vero, eumdem Christum Dominum corpus habuisse phantasticum et umbratile. Utrumque ergo portentum ibi confutat Tertullianus. Et primo quidem demonstrat Christum minime contrarium fuisse auctori veteris Testamenti, quoniam veteris Testamenti figuras adamussim implevit. Porro una ex hujusmodi figuris Christum exhibentibus erat panis, quod Tertullianus probat ex illo Jeremiae, *Venite, mittamus lignum in panem ejus*; unde loco in argumento laudato inquit: *Non intelligens veterem fuisse istam figuram Corporis Christi, dicentis per Jeremiam ... Venite, conjiciamus lignum in panem ejus ... Quod tunc voluerit significare panem, satis declaravit, Corpus suum vocans panem.* Illam vero figuram Christum implevisse, significat Tertullianus illis verbis, *Acceptum panem ... Corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo, idest figura corporis mei.* Quare per Tertullianum panis eucharisticus est figura Corporis Christi in veteri Testamento, non in novo; unde subdit, *Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* Quae verba satis insinuant panem fuisse figuram in veteri Testamento, et verum realeque Corpus Christi in novo. Hinc constructio verborum Tertulliani haec esse debet, *Hoc, figura Corporis mei, est Corpus meum.* Neque enim hujusmodi hyperbata apud Tertullianum nova sunt, nam in lib. cont. Prax. cap. 19. *Quoniam,* inquit, *Christus mortuus est, idest unctus*; nempe *Christus, idest unctus, mortuus est.* Alterum vero Marcionis errorem eisdem verbis Tertullianus refellit; ita enim argumentatur: Quidquid sui figuram habet, non potest non esse verum et reale; Christus sui figuram habuit, nempe panis eucharisticus figura fuit Christi pendentis in Cruce, licet simul Christi Corpus sacramentaliter in se contineret; igitur Christi Corpus verum fuit et reale, non umbratile ac phantasticum. Sic enim prosequitur: *Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem côrpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis.* Catholicae autem sententiae non officit si dicamus Christum latentem in Eucharistia figuram esse et signum sui ipsius pendentis in Cruce.

Ad 2. facilis est responsio. Demonstrare adhuc pergit Tertullianus Christum veteris Testamenti figuras adimplevisse, adeoque illius auctori non fuisse contrarium; atque hoc sensu affirmat pani figuram Corporis sui dedisse, quia in pane Corpus Christi Propheta figuravit, quando dixit, *venite, mittamus lignum in panem ejus;* ita ut per lignum Crux intelligatur, per panem vero Christi Corpus. Hanc porro figuram in suprema coena Christus implevit, quando panem Corpus suum appellavit, simul et fecit, illius substantiam in Corpus suum convertens. Deinde vocabula haec, *figura*, *forma*, *imago*, *similitudo*, *effigies*, juxta phrasim sanctorum Patrum ac praesertim Tertulliani non modo non excludunt, sed confirmant potius substantiam rerum quarum sunt figura, forma etc. Et hoc apertissime patet ex lib. 5. cont. Marcion. ubi quum haeretici astruere vellent in Christo corpus phantasticum, ex quo de illo dicat Apostolus, *seipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu, seu figura, inventus ut homo,* Tertullianus illos irridet dicens: *Quasi non et figura, et similitudo, et effigies substantiae quoque accedant.* Arguit subinde a simili hoc modo: *Bene autem, quod et alibi* (Paulus) *Christum imaginem Dei invisibilis appellat. Numquid ergo et hic quia in effigie eum Dei collocat, aeque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus.* Ex quo itaque Tertullianus vel alii Patres figuram Corporis Christi aliquando Eucharistiam appellant, non est illico inferendum favere illos sententiae calvinistarum.

Ad 3. Verba illa Tertulliani, *quo ipsum Corpus suum repraesentat*, sensum hunc habent: quo ipsum Corpus suum praesens sistit. Verbum enim repraesentare a pluribus auctoribus, quinimmo et ab ipsa Ecclesia sumi quam saepissime solet pro praesentem sistere. Ita apud J. C. pecuniam rapraesentare, est pecuniam ipsam exhibere in praesentia. Et Ecclesia in Missa defunctorum Archangelum Michaelem deprecatur ut animas in lucem sanctam repræsentet, hoc est ut ipsas in vitam inferat sempiternam. Et ne a Tertulliano discedamns, in lib. 4. cont. Marcion. loquens de Patre qui Filium suum praesentem exhibuit Apostolis, inquit: *Itaque jam repraesentans eum, Hic est Filius meus dilectus, utique subauditur, quem repromisi.*

Ad 4. Posita allata mox expositione verborum Tertulliani, quod postremo loco objiciunt ad rem non facit. Nihilominus si quis intelligere vellet Tertulliani sententiam eo sensu quod Christus semetipsum repraesentavit sub panis ac vini speciebus, allata ab adversariis comparatio inter oleum etc. et eucharisticum panem nihil prorsus concludit. De oleo namque, lacte, et aqua nullibi scriptum est, *hoc est Corpus meum*, quomodo de pane; unde bene ait Tertullianus: *Christus dicendo: Hoc est Corpus meum, panem Corpus suum fecit.*

Obj. 3. Origenes comm. in cap. 15. Matth. haec habet: *Quemadmodum non cibus, sed conscientia cum haesitatione vescentis polluit edentem ... ita quod sanctificatur per verbum Dei, et orationem* (nempe Eucharistia) *non suapte natura sanctificat utentem.* Per Originem ergo non suapte natura Eucharistia sanctificat, quod est contra catholicam sententiam. II. prose-

quitur ibidem: *Et haec quidem de typico, symbolicoque corpore*. Cumque loquatur de Eucharistia, consequitur illam esse corpus typicum et symbolicum, non verum et reale. III. concludit: *Multa porro, et de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro, verusque cibus* etc. Unde per Origenem corpus quod in Eucharistia continetur distinguitur realiter a Verbo, atque adeo non est reale Christi Corpus.

Resp. ad 1. Catholica sententia tenet sacramentum Eucharistiae per se quidem sanctificare, hoc est, gratiam producere ex opere operato, ut suis locis demonstravimus. Ceterum ex parte suscipientium dispositio quaedam requiritur tamquam necessaria conditio, alioquin sacramentum illud obicem inveniens in subiecto gratiam non producit. Atque hanc eamdem doctrinam tradit allato in loco Origenes; unde prosequitur: *Nam si id esset, sanctificaret etiam illum qui comedit indigne*.

Ad 2. Origenes appellat Eucharistiam Christi Corpus typicum et symbolicum, non in sensu sacramentariorum, sed vel quatenus latet sub involucris accidentium, vel relate ad Corpus Domini extra Sacramentum.

Ad 3. Quando distinguit Origenes inter Eucharistiam et Verbum, non loquitur de Verbo absolute, sed juxta diversum statum. Et alius quidem est status Verbi prout una cum humanitate latet in Eucharistia, alius vero status ejusdem Verbi prout caro factum est.

Obj. 4. S. Joannes Chrysostomus in ep. ad Caesarium refellens nestorianos et eutichianos ita scribit: *Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici Corporis appellatione, etiamsi natura panis in illo permansit, et non duo corpora, sed unum corpus Filii praedicatur: sic etiam hic divina natura in ipso insidente unum Filium, unam personam utrumque constituit. Agnoscitur tamen extra divisionem, et confusionem non in una tantum natura, sed in duabus perfectis*. Ex his verbis duo eruunt adversarii argumenta. I. affirmat Chrysostomus Eucharistiam honorari nomine Corporis Christi post consecrationem; non itaque jure suo Corpus Christi est; quum nemo honoretur nomine quod sibi proprie competit. II. docet naturam panis in Sacramento post Sacerdotis sanctificationem adhuc permanere; non fit ergo conversio panis in Christi Corpus.

Resp. ad 1. Panis post consecrationem est reale Christi Corpus, non naturali panis conditione, sed per singulare privilegium. Quid mirum ergo si Chrysostomus affirmat honorari illum nomine Corporis Christi?

Ad 2. Notissima jam res est nomen naturae significare non solum rei essentiam, sed non raro proprietates etiam ejusdem rei, et accidentium congeriem, et extrinsecas qualitates rem unam ab alia distinguentes. Hinc Tertullianus lib. de anima cap. 32. *Substantia*, inquit, *est lapis*, *ferrum*, *duritia lapidis*, *et ferri est natura substantiae*. Duritia porro proprietas est, non essentia. Et Virgilius in 4. Georg.

Nunc age naturas apibus, quas Jupiter ipse

Addidit etc. naturarum nomine proculdubio intelligens apium qualitates

seu proprietates quas ibi fuse describit. Chrysostomus itaque naturae nomine laudato in argumento loco non aliud intelligit nisi accidentia et proprietates panis quae post consecrationem utique in Eucharistia remanent. Et apposite quidem ad scopum suum; ibi enim disputat adversus synusiastas seu appollinaristas qui contendebant post unionem in Christo non remansisse humanae essentiae proprietates, sed in divinas abiisse, secus duo fuissent in Christo filii. Ad quem refellendum errorem aptissimum offert exemplum ex Eucharistia depromptum, hoc fere modo arguens: Panis proprietates (quas nomine naturae exprimit) post consecrationem in Eucharistia remanentes unitati Corporis Christi non officiunt; ergo neque humanae essentiae proprietates, si in Christo remanserint post unionem, officiunt unitati personae. Atque ita nullam vim habet argumentum Dallaei ex Chrysostomo excerptum.

Eadem adhibenda est responsio ad argumentum quod calvinistae desumunt ex Theodoreti dialogo 2. cui titulus, *Inconfusum*, ubi sic scribit: *Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura; manent enim in priore substantia, et figura, et forma, et videri, tangique possunt, sicut et prius; intelliguntur autem ea esse quae facta sunt, et creduntur, et adorantur.* Nam Theodoretus quoque naturae, substantiae, figurae, et formae nominibus nil aliud intelligit nisi proprietatum et accidentium congeriem, quum agat ibi contra eutychianos contendentes humanam in Christo non remansisse naturam, quoad extrinsecas proprietates, post illius ascensionem in coelos.

Obj. 5. S. Irenaeus lib. 4. adv. haer. cap. 34. tradit, *Corpora nostra nutriri et augeri Corpore et Sanguine Christi*; quod dici nequit nisi de pane ac vino. II. addit, *Eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena et coelesti.* Corpus et Sanguis Christi nequeunt profecto dici res terrena.

Resp. ad 1. Nutrimentum illud de quo loquitur Irenaeus est nutrimentum et augmentum spirituale quo non solum crescit et nutritur anima, sed etiam corpus digne sumentium, quatenus inserit corpori semina futurae immortalitatis et incorruptionis.

Ad 2. Valentiniani delirabant Christi Corpus non fuisse terrenum, sed de coelo delapsum. Irenaeus ergo laudato in argumento loco valentinianorum refellens amentiam, argumentum ab Eucharistia sumit, et inquit constare illam ex duabus rebus, terrena nempe et coelesti, per rem coelestem intelligens Christi spiritum, et per terrenam, ejusdem Christi carnem. Vel forte per rem coelestem intellexit reale Christi Corpus, per terrenam vero accidentia panis et vini.

Obj. 6. Facundus hermianensis lib. 9. cap. ultimo inquit: *Potest sacramentum adoptionis (nempe Baptismus) adoptio nuncupari, sicut Sacramentum Corporis et Sanguinis ejus quod est in pane et poculo consecrato, Corpus ejus et Sanguinem dicimus; non quod proprie Corpus ejus sit panis, et poculum Sanguis, sed quod in se mysterium Corporis ejus et Sanguinis contineant ... Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum Corporis ejus et Sanguinis accipientes, recte dicuntur accipere Corpus et*

Sanguinem Christi, sic et ipse Christus sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, recte dici potest adoptionem filiorum suscepisse. Ex quibus sic arguunt: I. affirmat Facundus panem et poculum proprie non esse Corpus et Sanguinem Christi, sed Corporis et Sanguinis in se continere mysterium, seu figuram et signum. Hoc idem dicunt zuingliani; ergo etc. II. tradit fideles sumendo Eucharistiam accipere Corpus et Sanguinem Christi, quomodo Christus recipiendo Baptismum suscepit filiorum adoptionem; atqui Christus vere et proprie adoptionem non recepit, sed signum tantum et sacramentum adoptionis, neque enim fuit is Filius Dei adoptivus, ergo etc.

Resp. ad primum 1. Sirmondus qui libros Facundi hermianensis publica luce donavit, observat virum illum doctissimum dure admodum hoc in loco de Eucharistia fuisse locutum, illius autem auctoritatem nullum afferre posse catholicae sententiae praejudicium, tum quia alibi luculentissime realem Christi praesentiam in Eucharistia agnoscit, tum etiam quoniam hoc in loco obiter tantum de eo Sacramento pertractat, assumens illud in exemplum. 2. Nicolaus l' Hermenier arbitratur nomine Corporis Christi Facundum intelligere Ecclesiam cujus signum seu mysterium sit Eucharistia; adeoque cum inquit fideles proprie non sumere Corpus Christi, idem est ac si dicat, non sumere illos proprie Ecclesiam. Ast haec solutio vim inferre videtur verbis Facundi qui expresse dicit, *Non quod proprie Corpus ejus sit panis, et poculum Sanguis, sed quod in se mysterium Corporis ejus et Sanguinis contineant.* Porro quamvis Ecclesia dicatur corpus Christi etiam ab Apostolo, eadem Ecclesia tamen non dicitur Christi sanguis. 3. Panis ergo et poculi consecrati nomine videtur Facundus intellexisse externas Eucharistiae species quae dici proculdubio possunt mysterium et signum veri Corporis et Sanguinis Christi, illaque duo in se continere. Et apposite quidem ad scopum suum. Volebat enim excusare Theodorum mopsuestenum qui docuerat recepisse Christum adoptionem filiorum; fuerat namque Theodorus magister Nestorii. Unde sic arguit: Sicut externae species panis et vini dicuntur Corpus et Sanguis Christi, quamvis sint tantum mysterium continens verum Corpus verumque Christi Sanguinem, ita Baptismus merito dicitur adoptio filiorum, licet sit adoptionis dumtaxat mysterium. Quemadmodum ergo qui species panis et vini recipit suscipere dicitur Corpus et Sanguinem Domini, sic Christus suscipiendo Baptismum, dici utique potest filiorum suscepisse adoptionem; atque ita duram illam Theodori expressionem emollit.

Ad 2. Retorqueri potest 1. argumentum. Facundus revera credidit Christum Dominum quem existimabat Filium Dei naturalem, aliquo sensu fuisse Filium Dei adoptivum putabat; nec mirum, haec enim controversia definita fuit diu post aetatem Facundi in Concilio francfordiensi. Sicut ergo, juxta Facundum, Christus Dominus vere et proprie in se recepit adoptionem suscipiendo Baptismum, ita fideles suscipiendo Eucharistiam vere et proprie recipiunt Corpus et Sanguinem Domini. 2. Sed priori insistentes responsioni dicimus comparationem a Facundo institutam consistere inter

Baptismum susceptum a Christo et species extrinsecas Sacramenti Eucharistiae.

Obj. 7. Cyrillus hierosolymitanus catech. 4. mystag. Augustinus lib. 3. de cons. evang. cap. 25. aliique Patres appellant Eucharistiam, utique post consecrationem, *panem*, et ante illos idipsum fecerat S. Lucas cap. 24. appellans Eucharistiam *fractionem panis.*

Resp. Eucharistia multis de caussis, etiam post consecrationem, dici potest *panis*, 1. quatenus est spiritualis vitae alimentum, juxta id quod auctor serm. de coena Dom. inter opera Cypriani scribit: *Hoc Sacramentum aliquando carnem et Sanguinem, aliquando panem, aliquando Corpus suum Christus appellat; panis dicitur propter nutrimentum vitae, Caro et Sanguis propter veritatem naturae, Corpus propter unitatem substantiae.* 2. Quia retinet panis accidentia; unde quod sensibus apparet, panis videtur. 3. Quoniam praefigurata fuit Eucharistia in pane et vino oblatis a Melchisedecho in panibus propositionis, et in manna quod panis Angelorum est nuncupatum. 4. Denique ratione conversionis, quoniam antequam Corpus Christi fieret, erat panis, et post transubstantiationem adhuc dicitur panis, quomodo virga Aaron post conversionem in colubrum adhuc virga appellatur. Habes ergo quo sensu Scriptura et Patres appellent Eucharistiam, etiam post consecrationem, *panem.*

Obj. 8. Si Ecclesia antiquitus admisisset realem Christi praesentiam in Eucharistia, pagani qui tanto odio prosequebantur christianos dogma istud quod ipsis certe chimericum apparuisset, tamquam rationi repugnans eis exprobrassent, quod tamen nullibi fecisse legimus. II. neque reponere juvat ignorasse gentiles reconditiora christianae religionis mysteria, nam Julianus Augustus qui a christiana fide apostatavit, omnia et singula nostra probe noverat; et nihilominus ne verbum quidem de eucharistico mysterio habet contra christianos in suis voluminibus.

Resp. ad 1. 1. Quod veteres ethnici non tam saepe crimini verterint fidelibus mysterium eucharisticum, repetendum est a disciplina arcani quae, ut alibi diximus, ferebat ne sacratiora nostra mysteria infidelibus revelarentur, atque ita exponerentur ludibrio. Et revera consuevisse antiquos Patres nostros silentio premere non solum coram gentilibus, sed etiam praesentibus catechumenis ea quae pertinent ad Eucharistiae Sacramentum, patet ex innumeris locis. Ita Chrysostomus hom. de prodition. Judae recitatis verbis consecratoriis, *Hoc est Corpus meum*, inquit: *Norunt initiati quae dicuntur.* Et paullo post: *Norunt initiati calicem istum; scietis vos* (catechumeni) *infra paucos dies.* Theodoretus in dialogo 1. contra eutichyanos sic introducit orthodoxum alloquentem Eranistem: *Oro te, ut obscurius respondeas, adsunt enim fortassis aliqui mysteriis non initiati.* Tertullianus in lib. 1. ad nationes cap. 7. *Oro vos*, inquit, *extraneis unde notitia? cum etiam justa et licita mysteria omnem arbitrii extraneum caveant.* Et ut mittam innumeros alios Patres, Julius Rom. Pontifex in ep. 3. ad orientales, eusebianos reprehendit, quod *sub externo judice praesentibus catechumenis, et quod pejus est ethnicis et judaeis christianismum blasphe-*

mantibus, quaestionem de Sanguine et Corpore habuerint. 2. Dixi, non tam saepe gentiles crimini vertisse christianis mysterium Eucharistiae, quoniam aliquando revera traduxerunt christianos tamquam infanticidas et anthropophagos, quae calumnia aliunde ortum habere non potuit nisi ex notitia accepta quod vescerentur christiani Corpore et Sanguine Christi. Huc spectat etiam calumnia de thyesteis epulis. Videantur antiqui apologistae nostri Justinus, Tertullianus, Minutius, Arnobius.

Ad 2. Tres adversus christianam Religionem Julianus Augustus scripserat libros quorum unus tantum nec integer ad nos pervenit, illumque merita confutatione refellit Cyrillus alexandrinus. Fieri ergo potest ut quae contra christianos propter Eucharistiae Sacramentum evomuit, scripta invenirentur in duobus illis voluminibus quae temporum injuria interciderunt; aut si inveniebantur in eo libro quem confutavit Cyrillus, hic silentio praeterierit Juliani calumnias ob disciplinam arcani. Nonnulla alia minoris momenti ex ratione deducta opponere solent calvinistae, quae soluta vide apud Tournelyum, Witasse, Juveninum, et praesertim apud Laurentium Berti.

CAPUT X.

Defenditur catholicum dogma transubstantiationis *adversus lutheranicam impanationem et consubstantiationem*.

Absoluta celebri controversia de reali Corporis et Sanguinis Christi praesentia in Eucharistia, nunc aliud propugnandum est catholicum dogma de *transubstantiationem* contra lutheranos qui eamdem Christi Domini realem praesentiam quam nobiscum agnoscunt in Eucharistia, vel per *impanationem* vel per *consubstantiationem* sensu perverso exponunt. Sed ut accurata methodo procedamus, termini ipsi prius explicandi sunt.

Transubstantiatio ergo, juxta communem catholicorum sensum, est mutatio seu conversio totius substantiae panis et vini in substantiam Corporis et Sanguinis Domini, ita ut nihil de priori substantia remaneat in Eucharistia, quamvis species seu accidentia panis et vini supersint. Impanatio dicitur ab haereticis assumptio panis et vini facta a Christo Domino, ita ut inter Corpus Christi et panem unio hypostatica intercedat similis illi quae est inter Verbum Dei et assumptam ab illo humanitatem. Consubstantiatio denique est conjunctio seu coexistentia Corporis et Sanguinis Christi cum substantia panis et vini in Eucharistia, ita ut Christi Corpus sit in Sacramento *cum pane*, vel *in pane*, vel *sub pane*.

Omnes catholici, ut in titulo capitis praemonui, de Fide tenent *transubstantiationem*, nempe mutationem totius substantiae panis et vini in substantiam Corporis et Sanguinis Christi. Osiandro inter lutheranos doctissimo placuit admittere impanationem, mordicus defendens realem Christi praesentiam in Eucharistia, quatenus Christus panem et vinum sibi hypostatice conjungit. Verum error hic de impanatione videtur antiquior Osiandro, nam Guitmundus in lib. 1. de Corporis et Sanguinis Christi veritate illum ad-

scribit nonnullis discipulis Berengarii realem Christi praesentiam in Eucharistia explicantibus per impanationem. Thomas Waldensis tom. 2. de sacram. cap. 65. eumdem tribuit errorem etiam Joanni Parisiensi dominicano. Lutherus in lib. de capt. babyl. tradidit ad Fidem non pertinere transubstantiationem vel quemlibet alium modum explicandi realem Christi praesentiam. Sed subinde in resp. ad Henricum VIII. Angliae regem, transubstantiationem damnavit tamquam vocem impiam atque blasphemam. Quaenam praecise illius sententia fuerit, divinari non potest, sed nunc omnes illius discipuli exponunt realem Christi praesentiam in Eucharistia per consubstantiationem. Contra hos ergo sit

CONCLUSIO

Corpus Christi realiter praesens est in Eucharistia per veram transubstantiationem.

Prob. 1. ex Scripturis. Christus Dominus Eucharistiam in ultima coena instituens, et panem in manibus suis tenens inquit: *Hoc est Corpus meum.* Quo posito, sic contra lutheranos argui potest. I. si in Eucharistia tota substantia panis non mutaretur in substantiam Corporis Domini, sed una cum ipso panis substantia remaneret, Christus dicere debuisset, non *hoc*, sed *hic* (nempe panis) *est Corpus meum.* Dixit autem *hoc*, ergo etc. II. verba illa consecratoria, etiam juxta Osiandrum aliosque lutheranos, non sunt verba mere speculativa, sed practica, quoniam efficiunt, non supponunt id quod significant, sed illa verba significant conversionem panis et vini in Christi Corpus, non ejusdem corporis positionem in Eucharistia *cum* pane aut *sub* pane vel *in* pane, ergo etc. III. lutherani una cum catholicis adversus sacramentarios confitentur verba illa consecratoria accipienda esse in sensu proprio et litterali, non tropico et figurato. Ast sensus obvius et naturalis illorum verborum importat transubstantiationem, et nonnisi figurate et tropice significare possunt vel impanationem vel consubstantiationem, ut legenti patet, ergo etc. IV. in illis Christi verbis nullimode commemoratur panis, quomodo ergo affirmat Osiander remanere in Eucharistia panem hypostatice assumptum a Christo; et lutherani effutiunt Christi Corpus esse ibi *cum*, vel *in*, vel *sub* pane? V. denique quando legimus in Evangelio, *Accepit Jesum panem*, lutherani credunt fieri ibi sermonem de solo pane, et non de Corpore Christi, quoniam eorum magister Lutherus docuerat totam historiam coenae accipiendam esse juxta nudam grammaticae intelligentiam ne haeretici occasionem arripiant eludendi Scripturas; ergo quando legimus, *Hoc est Corpus meum*, debemus verba haec intelligere de solo Corpore Christi cum omnimoda exclusione substantiae panis.

Prob. 2. ex SS. Patribus, ex illis praesertim qui panem et vinum in Corpus et Sanguinem Christi mutari aut converti affirmant; mutari enim, converti, et transubstantiari idem omnino sunt. Itaque Cyrillus hierosolymitanus catech. 4. mystag. *Aquam*, inquit, *Christus aliquando mutavit in*

vinum, quod est sanguini propinquum, in cana Galilaeae sola voluntate, et non erit dignus cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutaverit? Ambrosius lib. de init. cap. 9. ait: *Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum?* Gregorius nyssenus orat. catech. subdit: *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: Hoc est Corpus meum.* Chrysostomus hom. 83. in Matth. inquit: *Qui haec dona sanctificat et transmutat.* Gaudentius Brixiensis tract. 2. in Exod. scribit: *Qui de aqua vinum fecit, de vino Sanguinem facit.* Mitto illorum Patrum hic recitare sententias quas in superiori dissertatione adversus calvinistas recensuimus, quae hoc ipsum catholicum dogma luculentissime stabiliunt. Observo tantum, in omnibus antiquissimis liturgiis sive graecis sive latinis Sacerdotem orare Deum ut sancta dona, nempe panem et vinum, Corpus suum faciat. Cumque lex orandi legem statuat credendi, ut optime advertit Augustinus, consequitur Ecclesiam semper tamquam Fidei dogma habuisse transubstantiationem.

Prob. 3. ex Conciliis. Concilium lateranense 4. sub Innocentio III. anno 1215 celebratum cap. *firmiter*, non solum catholicum dogma, sed et nomen ipsum transubstantiationis definitione sua consecravit; sic enim statuit: *Credimus, et confitemur, Corpus et Sanguinem Christi sub speciebus panis et vini veraciter contineri transubstantialis pane in Corpus, et vino in Sanguinem potestate divina.* Eugenius IV. in instruct. pro armenis approbata a Concilio florentino inquit: *Virtute verborum Christi substantia panis in Corpus, et substantia vini in Sanguinem Christi convertitur.* Hinc merito Concilium tridentinum sess. 13. cap. 4. can. 2. hanc tulit definitionem: *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine D. N. J. C. negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit.* In medium non proferam sententias Zuinglii, Calvini, aliorumque sacramentariorum qui expresse damnant consubstantiationem lutheranicam, et impanationem Osiandri, quoniam catholica Ecclesia ejusmodi praesidiis non indiget.

Objectiones diluuntur.

Obj. 1. fundamenta nuper pro catholicis allata nihil prorsus concludunt, nam I. quando Christus Dominus Joan. cap. 6. dixit, *Ego sum panis*, inferri non potest se in panem revera convertisse; e contra igitur quando tenens in manibus panem dixit, *Hoc est Corpus meum*, non sequitur, panem in Corpus suum fuisse transubstantiatum. II. propositio isthaec evangelica, *Verbum caro factum est*, significat in uno Christo duas fuisse veras integrasque naturas, divinam scilicet et humanam; ergo haec alia evangelica propositio, *Hoc est Corpus meum*, denotat in una Eucharistia

duplicem esse substantiam, panis videlicet et Corporis Christi. III. de ferro candente merito dici potest, *hic est ignis*, quamvis natura ferri in ignis naturam non convertatur. Etiam de dolio vino pleno absque mendacio affirmari potest, *hoc est vinum*, nec tamen dolium transmutatur in vinum; igitur Christus quoque dicere potuit, *Hoc est Corpus meum*, etiamsi post consecrationem substantia panis remansisset.

Resp. 1. Omnia haec argumenta facile urgeri possunt, ut cuique attendenti manifestum est, a calvinistis adversus lutheranos qui tamen cum catholicis realem Christi praesentiam in Eucharistia tenent. Sed hoc saepissime errantibus accidit ut in omnibus gressibus etiam praeter intentionem cespitent atque labantur.

Resp. 2. ad 1. Inter utramque propositionem latissimum est discrimen, nam propositio illa, *Ego sum panis*, per ipsos etiam lutheranos metaphorica est, quoniam Christus non dixit absolute, *ego sum panis*, sed, *ego sum panis vivus qui de caelo descendi*. E contra vero haec alia propositio, *Hoc est Corpus meum*, ipsis fatentibus lutheranis est litteralis, adeoque licet non illa, ista tamen importat transubstantiationem. Deinde etiam lutherani concedunt priorem propositionem esse speculativam, posteriorem vero esse practicam. Prior itaque propositio supponit Christum esse panem vitae, non illum panem vitae efficit. E contra quum altera practica sit, debet efficere ut panis mutetur in Corpus Christi. Neque enim diffiteri possunt verba consecratoria esse practica, alioquin manus victas darent calvinistis realem Christi praesentiam inficiantibus.

Ad 2. nego conseq. et paritatem. Ideo verba illa, *Verbum caro factum est*, non significant transubstantiationem Verbi in carnem, tum quia divina natura immutabilis est, tum etiam quoniam ad manifestandam utriusque naturae distinctionem, statim Evangelista subdit, *et habitavit in nobis*. Ast natura panis quum mutabilis sit transubstantiari utique potest in Christi Corpus; et post illa verba a Christo prolata, *Hoc est Corpus meum*, nihil prorsus in Evangelio legitur quod vel subobscure insinuet substantiam panis in Eucharistia remanere.

Ad 3. In usu positum est apud omnes ut ferrum quod ignis pervasit, ignis dicatur, et dolium vino plenum, simpliciter vinum appelletur; quare si quis de ferro candente dicat, *hic est ignis*, vel de dolio pleno vino, *hoc est vinum*, nullum est errandi periculum. Ast panis nec ex natura sua nec ex hominum instituto est Corpus Christi. Hinc quando Christus accipiens panem dixit, *Hoc est Corpus meum,* debebat advertere se loqui de suo Corpore conjuncto cum pane, ne homines deciperentur, si vera esset lutheranorum sententia. Non advertit autem; loquutus est ergo in sensu obvio et naturali, atque adeo voluit significare panem conversum fuisse in Corpus.

Instabis I. veteres Theologi scholastici Ochamus, Scotus, Paludanus, Argentinas, Suaresius, aliique ingenue fatentur non posse ex sacris Scripturis dogma transubstantiationis demonstrari. II. Durandus inter veteres acutissimus arbitratur remanere in Eucharistia, post consecrationem, materiam

panis, omnemque conversionem se tenere ex parte formae ejusdem panis. III. thomistae explicant realem Christi praesentiam in Eucharistia per reproductionem Corporis Christi ubicumque fit consecratio. IV. scotistae demum idem dogma explicant per actionem mere adductivam. Tanta opinionum varietas satis insinuat dogma transubstantiationis non adeo perspicue deduci ex Scripturis ut recentiores catholici post tridentinum Concilium jactant.

Resp. ad 1. veteres scholastici minime tradunt ex sacris Scripturis dogma transubstantiationis demonstrari non posse, sed affirmant dumtaxat nullum esse Scripturae testimonium quod, praecisa Ecclesiae auctoritate, in pravum sensum detorqueri non possit; idque verificari etiam de illa Christi sententia, *Hoc est Corpus meum.* Id autem catholicae sententiae de transubstantiatione minime officit, praesertim cum lutherani fateantur verba illa in sensu litterali esse sumenda.

Ad 2. plerique Theologi damnant sententiam Durandi tamquam contrariam definitioni tridentini Concilii sess. 13. cap. 4. can. 2. Et quidem si in Eucharistia post consecrationem remanet materia panis, remanet quoque subjectum accidentium, quod a laudato Concilio damnatum est. Arbitror autem, nihil simile intelligere voluisse Durandum, sed nomine materiae panis intellexisse ejusdem panis quantitatem quæ juxta peripateticos est a substantia panis distincta. Idque patet ex quo in eadem dist. 11. q. 1. scribat: *Substantia panis et vini convertitur in substantiam Corporis Christi.* Aliud est ergo materia, per Durandum, et aliud substantia panis.

Ad 3. et 4. dico 1. Quamvis thomistae et scotistae dissentiant in assignando modo quo transubstantiatio fit, utraque tamen schola tamquam Fidei catholicae dogma tenet transubstantiationem. 2. Ingenue fatemur neutram ex scholis illis satis accurate explicare transubstantiationem; posita enim vel reproductione vel adductione non bene concipitur panem in Corpus Christi converti; quum reproduci et adduci possit Christi Corpus in pane. Sed ex quo nonnulli etiam doctissimi viri non satis perspicue dogma aliquod Fidei exponant, non proinde inferendum est dogma illud esse falsum, et pro lubitu a Theologis confictum. 3. Sciscitantibus autem quomodo transubstantiatio fiat, breviter respondeo omnipotentiam Dei cujus ignoro limites, conversionem totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi operari, *Nec quidquam amplius nobis perspectum et exploratum est quam quod Verbum Dei est efficax et verum. Nam modus ejusmodi est*, *ut nulla ratione indagari queat*, inquit S. Joannes Damascenus lib. 3. de Fide cap. 14.

Obj. 2. I. quotquot realem Christi praesentiam in Eucharistia agnoverunt a Paschasio usque ad waldenses admisisse videntur impanationem per unionem hypostaticam in sensu Osiandri. II. vox *transubstantiatio* ignota prorsus fuit et inaudita ante an. 1215. et primitus in Ecclesiam invecta fuit a Concilio lateranensi 4. unde Concilii tridentini Patres non poterant novam illam vocem tamquam Fidei dogma consecrare.

Resp. ad 1. Aperte mentitur Blondellus cujus est argumentum. Nam nono, decimo, et undecimo saeculo eadem viguit in Ecclesia de Eucharistiae

Sacramento fides quam ante illa tempora Patres nostri tenuerant. Porro ex dictis in superioribus liquet sanctos Ecclesiae Patres realem Christi praesentiam exposuisse per mutationem vel conversionem substantiae panis et vini in substantiam Corporis et Sanguinis Christi. Hinc Concilium romanum an. 1079. sub Gregorio VII. celebratum hanc exigere voluit a Berengario Fidei professionem: *Ego Berengarius corde credo, et ore profiteor, panem et vinum quae ponuntur in Altari . . . substantialiter converti in veram, et propriam, ac vivificam Carnem et Sanguinem Jesu Christi.*

Ad 2. dico 1. Falsum omnino est vocem, *transubstantiatio*, saeculo 13. primitus usurpari coepisse, nam sub finem saeculi duodecimi Petrus Blesensis et Stephanus episcopus eduensis illius vocabuli expresse meminerunt. Saeculo autem undecimo Berengarius catholicos tamquam insanos traducebat quod admitterent transubstantiationem. Imo Mornaeus in mysterio iniquitatis conqueritur jam a tempore Caroli magni transubstantiationem coepisse exerere caput. 2. Stultum est, inquit Augustinus, ubi certi sumus de re, disputare de nomine. Porro veteres Patres admisisse *mutationem*, *conversionem*, *transelementationem* panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, supra a nobis demonstratum est. 3. Alibi saepe diximus consimile solventes argumentum a novitate vocabulorum deductum, Ecclesiam auctoritatem habere novis erroribus emergentibus, nova procudere nomina ad catholicam Fidem explicandam, ut insigni exemplo vocis ὁμουσιον factum esse constat.

Obj. 3. I. Hesychius affirmat antiquitus concremari consuevisse quidquid consecrati panis superfuisset; atqui si catholicorum sententia de transubstantiatione consisteret, id facere impium profecto fuisset, ergo etc. II. Theodoretus dial. 2. qui dicitur *inconfusus* ita Eranistem eutychianum disputantem inducit adversus orthodoxum: *Post sanctificationem vero quomodo haec appellas?* (intellige panem et vinum) Orthod. *Corpus Christi et Sanguinem Christi.* Eran. *Et credis te Corpus Christi et Sanguinem percipere?* Orthod. *Ita credo.* Eran. *Sicut ergo symbola dominici Corporis et Sanguinis alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, et alia fiunt, ita dominicum Corpus post Ascensionem in divinam substantiam mutatum est.* Orthod. *Retibus quae ipse texuisti captus es, neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura; manent enim in priore substantia, et figura, et forma, et videri tangique possunt, sicut et prius; intelliguntur autem ea esse quae facta sunt, et creduntur, et adorantur.* Si ergo symbola seu panis et vinum post consecrationem non recedunt a sua natura, sed manent in priore substantia et forma sicut prius, dogma transubstantiationis fictitium omnino est. Eadem prorsus habet Chrysostomus in ep. ad Caesarium monachum, cujus verba capite superiori dedimus. III. et ut appareat non graecam modo, sed et latinam Ecclesiam favere lutheranis, S. Gelasius R. P. in lib. de duab. in Christo natur. inquit: *Certe Sacramenta quæ sumimus Corporis et Sanguinis Christi, divina res est; propter quod et per eadem divinae efficimur consortes naturae; et tamen esse non desinit substantia, vel natura panis et vini.*

Resp. ad 1. Disciplina Ecclesiae, juxta veteres recentioresque sanctiones, est ut species sacramentales quae propter diuturnitatem corruptae manducari non possunt, igni absumantur. Atque hoc docuit Hesychius.

Ad 2. 1. in cap. superiori in resp. ad 4. jam animadvertimus, argumentisque probavimus nomina, *naturae* et *substantiae* a veteribus scriptoribus sive ecclesiasticis sive profanis quam saepissime sumi pro rei proprietatibus, pro accidentium congerie, aut pro extrinsecis qualitatibus. In Eucharistia post consecrationem reapse remanent extrinsecae qualitates et accidentia panis et vini; itaque argumentum nihil concludit. 2. Ut Theodoreti mentem penitus assequamur, adversarii sui systema probe intelligendum est. Eranistes ergo quum eutychianus esset docebat humanitatem Christi post ejus Ascensionem in caelum in illo non remansisse neque secundum suas proprietates, formam, et circumscriptionem, sed totam in divinitatem fuisse commutatam: ad quod suadendum argumento utebatur ex Eucharistia deprompto, quod quemadmodum in Eucharistia post sanctificationem panis ac vini in Corpus et Sanguinem Christi commutantur; ita post Christi Ascensionem in caelum tota humana natura commutata sit in divinitatem. Hinc orthodoxus apposite retorquet argumentum, subsumens: Atqui in Eucharistia post sanctificationem remanent natura, seu substantia panis, nempe congeries accidentium, et figura, et forma, et videri tangique possunt sicut prius, ergo retibus quae ipse texuisti captus es. 3. Caeterum caecutiat necesse est qui non videt orthodoxum hoc eodem in loco manifeste admittere transubstantiationem; sequitur enim, *intelliguntur autem ea esse quae facta sunt, et creduntur, et adorantur*. Hoc ipsum adhibeto responsum ad ea quae in argumento allata sunt ex Chrysostomo atque Gelasio, idem quippe est utriusque scopus, refellere videlicet eutychianos illos qui in Christo ad caelos evecto negabant remansisse humanae naturae proprietates.

CAPUT XI.

De necessitate Eucharistiae.

Nullum est catholicae Fidei dogma quod haereticorum fraudem subterfugerit, unde etiam circa Eucharistiae necessitatem non pauci blasphemaverunt. Saeculo enim 12. nonnulli existimarunt neminem absolute consequi posse vitam aeternam si ex hac vita sine actuali sumptione Eucharistiae migraverit; de quibus consuli potest Card. Bona lib. 2. rerum liturg. cap. 19. Error idem insedit menti quoque Simeonis thessalonicensis, Nicolai Cabasilas, et quorumdam aliorum graecorum, ut observavit Arcudius de sacram. lib. 3. His mordicus adhaerent calvinistae causantes, ita veteres Patres credidisse, ac praesertim Augustinum, Innocentium I. et Gelasium. Et quamvis in quaestione *dogmatis* a calvinistis recedant Sanctesius, Maldonatus, Morainius, Adamus, cum illis tamen in quaestione *facti* conveniunt, temere affirmantes, Sanctos illos Patres, et Augustinum maxime contra pelagianos dispu-

tantem, admisisse revera absolutam Eucharistiae necessitatem. Sed horum loquacitatem merita confutatione refellit eminentissimus Norisius in vindiciis augustinianis cap. 4.

Catholici e contra distinguentes inter necessitatem medii et necessitatem praecepti, de Fide tenent esse quidem Eucharistiam necessariam adultis necessitate praecepti, non esse autem necessariam necessitate medii; unde sine actuali illius sumptione et adulti et parvuli possunt aeternam consequi vitam. Sit ergo

CONCLUSIO

Actualis Eucharistiae perceptio non est ad salutem necessaria necessitate medii, sed solum adultis necessitate praecepti.

Prob. 1. concl. pars. I. ex sacris litteris quae passim affirmant solum Baptisma ad aeternam consequendam vitam sufficere. Ita Marci ultimo legitur: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ad Ephes. cap. 5. *Mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Ad Rom. cap. 8. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Ad Titum cap. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* II. ex constanti Ecclesiae praxi atque doctrina, nam nullum afferri potest exemplum quo demonstretur duobus primis Ecclesiae saeculis administratam fuisse parvulis Eucharistiam, quod factum certe fuisset si Patres nostri necessariam illam existimassent necessitate absoluta ad aeternam salutem obtinendam. Imo licet progressu temporis usus invaluerit porrigendi eucharisticam communionem infantibus statim post Baptisma, usus tamen ille non fuit universalis; et ubi obtinuit, conferebatur una cum Confirmatione quam nemo proinde dixerit habitam fuisse necessariam necessitate medii. Praeterea quis umquam persuadere sibi poterit Ecclesiam consuetudinem conferendi puerulis Eucharistiam abrogare voluisse si necessaria esset absolute ad vitam aeternam? Postremo quamvis graeci nunc etiam statim post Baptismum conferant parvulis Eucharistiam, illam tamen necessariam non arbitrantur ad salutem, ut videre est in ep. Jeremiae patriarchae C-P. ad wittembergenses cap. 3. unde vitio non vertunt latinis quod eam consuetudinem aboleverint. III. ex Sanctis Patribus et Augustino praesertim, quem suum in hac causa faciunt calvinistae, et temere accusant nuper commemorati moliniani. Is ergo in lib. de peccat. merit. 1. cap. 19. ita scribit: *Verumtamen si* (parvulus) *percepto Baptismate de hac vita migraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in aeternum, justificatos praesentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines et Deum, quae solvuntur Christi gratia.* In lib. de dono persev. cap. 12. inquit: *Absit ut caussam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in aeternam salutem.* Et in ep. 98. alias 23. ad Bonifac. *Semel,* inquit, *perceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi pro-*

pria impietate, si aetatis accessu tam malus evaserit. Si parvuli per solum Baptisma Creatoris praesentia fruuntur; si ex hac vita decedant, illuminantur; si in Christo regenerati statim post mortem transeunt in vitam aeternam; si gratiam Baptismi cui aeterna salus debetur non amittunt nisi per actuale peccatum, sane ad vitam aeternam habendam non indigent, tamquam medio absolute necessario, actuali perceptione Eucharistiæ. Haec apertissime docuit S. Pater ut ex allatis testimoniis apparet; itaque etc. Et hanc fuisse revera mentem Augustini apertissime liquet ex fidissimo illius discipulo S. Fulgentio qui in lib. de Baptismo æthiopis, saepe sub Augustini nomine citato, volens exponere sensum illius sententiae, *Nisi manducaveritis etc.* primo praemittit: *Arbitror, sancte frater, disputationem nostram praeclari doctoris Augustini auctoritate firmatam etc.* tum ita prosequitur: *Nulli ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis Sanguinisque dominici participem fieri, quando in Baptismo Christi membrum efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in veritate Corporis Christi constitutus abscedat.* Quibus in verbis auream habes clavem ad Augustini mentem aperiendam circa evangelicam illam sententiam, *Nisi manducaveritis etc.* quo sensu videlicet aptari possit infantibus. Atque ut Morainio, Maldonato, aliisque antiquitatis osoribus os obstruamus, demus praeclaram circa rem hanc Concilii tridentini sententiam quae habetur sess. 21. cap. 4. in haec verba: *S. Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem ... neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servaverit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem caussam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Porro vel ipse Pallavicinus in hist. Conc. trid. testatur S. Synodum Patrum nomine intelligere voluisse Innocentium I. Augustinum, Gelasium, quorum auctoritate calviniani abutebantur. Qua fronte ergo Maldonatus in cap. 6. Joan. scribere audet, *Missam facio Augustini et Innocentii I. sententiam, quae sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia, Eucharistiam etiam infantibus necessariam. Res jam ab Ecclesia et multorum saeculorum usu, et decreto Concilii tridentini explicata est, non solum necessariam illis non esse, sed nec licere quidem dari?* nisi quod praecipua exscripsit ex commentariis Calvini?

Prob. altera concl. pars. Eucharistiam scilicet necessariam esse adultis necessitate praecepti. I. ex Scripturis. Christus enim Joan. cap. 6. inquit: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Verba haec, ut per se patet, sonant praeceptum quod afficere tantum adultos, et non infantes, docuit semper universalis Ecclesiae Traditio. Deinde instituens Christus hoc Sacramentum ait Apostolis: *Hoc facite in mei commemorationem*, videlicet, *consecrate, comedite, distribuite*, haec enim omnia fecerat Christus. Quare praecipiens Apostolis distributionem, praecepit fidelibus receptionem, haec siquidem duo di-

stributio et receptio sunt correlativa. II. ex Traditione Ecclesiae quae semper pro certo tenuit voluisse Christum fideles suos ad actualem realemque sumptionem Corporis ac Sanguinis sui obligare. III. ex ratione, nam Christi Domini Caro et Sanguis sunt vere cibus et potus spiritualem vitam fidelibus conferentes, qui ejusmodi cibum et potum spernunt vel negligunt contra Dei faciunt voluntatem. Et haec quidem demonstrant necessitatem Eucharistiae necessitate praecepti divini. Sed necessaria quoque est necessitate praecepti ecclesiastici, nam Concilium lateranense 4. cap. 27. sic statuit: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem caussam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et mortuus christiana careat sepultura.* Concilium autem tridentinum ad hoc idem lateranense decretum respiciens, hanc tulit definitionem: *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, juxta praeceptum sanctae Matris Ecclesiae, anathema sit.*

Ad ea quae in contrarium afferuntur responsio.

Obj. 1. cont. primam concl. partem. 1. Joannis cap. 6. ita Christus judaeos alloquitur: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Eucharistia ergo necessaria est necessitate medii ad vitam aeternam. 2. Neque reponere juvat praeceptum illud respicere tantum adultos, nam pertinet etiam ad parvulos, quum iisdem plane verbis conceptum sit ac illud aliud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Caelorum*; quod certe, fatentibus omnibus, locum habet etiam in pueris.

Resp. ad 1. Verba illa deprompta ex Joan. cap. 6. revera includunt praeceptum quod pertinet ad adultos dumtaxat, siquidem intelligantur de actuali Eucharistiae sumptione, ob rationes paullo supra inter concl. probationes allatas, et praesertim ex eo quod sic ea semper intellexerit Ecclesia.

Ad 2. Illud idem argumentum jam solvimus agentes de necessitate Baptismi, ubi animadvertimus latissimum esse discrimen inter utrumque praeceptum, quem locum consulas ne eadem bis repetamus.

Obj. 2. adv. eamd. 1. concl. partem. I. S. P. Augustinus lib. 1. de peccat. merit. et remis. cap. 20. disputans adversus pelagianos qui territi ab evangelica sententia, *Nisi quis renatus fuerit etc.* non audebant quidem concedere parvulis decedentibus sine Baptismo Regnum Caelorum, sed vitam aeternam eis non denegabant, ita scribit: *Auferatur ergo jam dubitatio, Dominum audiamus, non suspiciones conjecturasque mortalium: Dominum audiamus inquam, non quidem hoc de Sacramento sancti lavacri dicentem,*

sed de Sacramento sanctae mensae suae , quo nemo rite nisi baptizatus accedit: Nisi manducaveritis Carnem meam, et biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ultra quaerimus? Quid ad hoc responderi potest?... An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos haec sententia non pertineat, possintque sine participatione Corporis hujus et Sanguinis in se habere vitam? Quibus in verbis S. Pater apertissime affirmat, sententiam illam, *Nisi manducaveritis etc.* non minus ac alia, *Nisi quis renatus fuerit etc.* pertinere ad parvulos, alioquin pelagianos erroris non revicisset. II. neque dici potest loqui S. Doctorem de manducatione quadam mystica et spirituali Corporis Christi, hoc est de incorporatione in Ecclesiam, nam ibi accurate distinguit inter Baptismum et Eucharistiam, dicens: *Dominum audiamus, non quidem hoc de Sacramento sancti lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctae mensae suae:* additque se loqui de Sacramento *quo nemo nisi baptizatus accedit.* Ast incorporatio in Ecclesiam a Sacramento Baptismi nullimode differt. III. in eamdem Augustini sententiam descendit quoque Innocentius I. Rom. Pontifex in ep. ad Patres milevitanos, ubi sic inquit: *Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est: nisi enim manducaveritis Carnem etc. qui autem hanc eis sine regeneratione deferunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cum praedicant hos habere, quod in eos creditur, nonnisi Baptismate conferendum.* IV. etiam Gelasius in ep. ad episc. picenos eo utitur argumento ad refellendos pelagianos: *Ipse Dominus Jesus Christus, inquit, caelesti voce pronuntiat: Qui non manducat Carnem Filii hominis etc. ubi utique neminem videmus exceptum; nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam aeternam posse perduci; sine illa autem vita, in perpetua futurum morte, non dubium est.*

Resp. ad 1. duplex est in Augustini phrasi Corporis Christi manducatio, realis nempe quae habetur dum Christi Corpus sub speciebus accipitur, et spiritualis seu mystica per quam in Ecclesiae gremium quis cooptatur, quaeque incorporatio in Ecclesiam dici potest. Agnovisse S. Patrem spiritualem hanc Christi Corporis manducationem, in dubium verti nequit, nam in lib. 3. de peccat. merit. cap. 4. *Numquid*, inquit, *et illud ambiguum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei?... Numquid etiam illud, quia nisi manducaverint homines Carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint Corporis ejus, non habebunt vitam? His atque hujusmodi aliis quae nunc praetereo testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in Regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam aeternam posse habere praeter Christi Corpus cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur?* Et tract. 26. in Joan. exponens illa verba, *Qui manducat meam Carnem etc.* inquit: *Qui eam non sumit, non habet vitam: et qui eam sumit, habet vitam, et hanc utique aeternam. Hunc itaque cibum et potum socie-*

tatem vult intelligi Corporis et membrorum suorum: quod est sancta Ecclesia. Vide quae supra recitavimus ex Fulgentio. His hoc modo perpensis nemo dixerit non bene Augustinum refellisse pelagianos parvulis decedentibus sine baptismo concedentes nescio quam vitam aeternam; haec enim est S. Patris argumenti vis: Per Baptismum jus acquiritur non solum ad Regnum Caelorum, sed etiam ad vitam aeternam; quoniam homo per illud Sacramentum a peccatis purgatur, novamque induit vitam, dicente Christo, *Nisi quis renatus fuerit etc.* et Corpori Christi quod est Ecclesia incorporatur, juxta aliam sententiam, *Nisi manducaveritis Carnem etc*. Ergo pueri ex hac vita sine baptismo migrantes, non solum privantur Regno Caelorum, sed etiam carent aeterna vita.

Ad 2. Incorporatio in Ecclesiam et Baptismus certe idem omnino sunt; et revera tum quis in Ecclesiam incorporatur, cum Sacramento Baptismi regeneratur. Sed quid proinde? Quando Augustinus inquit Dominum in illa sententia, *Nisi manducaveritis etc.* non de Sacramento lavacri, sed de Sacramento sanctae mensae suae locutum fuisse, supple, *expresse*, seu, *ex professo*, et integra stabit sententia; sensus nempe verborum S. Doctoris erit, illam sententiam, *Nisi manducaveritis etc.* quam Christus expresse et ex professo de Eucharistia protulit, intelligendam esse etiam de parvulis, quoniam Christus implicite et indirecte inculcare etiam voluit spiritualem et mysticam Corporis sui manducationem seu incorporationem in Ecclesiam.

Ad 3. et 4. eamdem adhibeto responsionem quae mox allata est ad Augustini mentem explicandam: nam et ipsi Sancti Pontifices refutare volebant pelagianos perperam vitam aeternam a Regno Caelorum distinguentes, ne in pueris agnoscere cogerentur originale peccatum.

Obj. 3. cont. alteram partem concl. I. verba Christi Joan. cap. 6, *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis etc. non habebitis vitam in vobis*, intelliguntur a S. P. Augustino, ut paullo ante observavimus, de manducatione spirituali; ergo ex eo testimonio deduci nequit necessitas praecepti sumendi Eucharistiam. II. antiquitus Ecclesia privare solebat adultos etiam in mortis articulo constitutos actualis Eucharistiæ sumptione in poenam vel adulterii vel homicidii vel idololatriae etc. Non igitur mens ejus fuit praecipere fidelibus actualem Corporis Christi manducationem.

Resp. ad 1. Idem Augustinus qui applicans illa Christi verba puerulis exponit praeceptum de manducatione Corporis Christi spirituali, applicans alibi eadem verba adultis, exponit praeceptum de manducatione vera et reali.

Resp. ad 2. Praeceptum sumendi actu Eucharistiam obligare fideles adultos, non obligare ipsam Ecclesiam sua praecepta ferentem, vel praecepta Christi dispensantem. Nempe fideles adulti omnem impendere debent conatum ut digni reddantur participes fieri Eucharistia ad obediendum Ecclesiae. Ceterum potest Ecclesia justis de caussis subditos sibi fideles Eucharistiae perceptione privare, eo modo quo licet judex legi naturae inhaerendo praecipiat subditis propriae vitae conservationem, in poenam tamen gravissimi admissi sceleris potest reum cibo potuque privare ut pereat inedia.

CAPUT XII.

De eucharistica Communione sub utraque specie.

Miror lutheranos nonnullos omnem impendere conatum ut demonstrent per multa saecula viguisse in Ecclesia consuetudinem dispensandi Eucharistiam etiam viris laicis et presbyteris non sacrificantibus sub utraque simul specie, panis videlicet et vini, quasi vero Catholici id aliquando negaverint. Imo nemo est inter Catholicos qui ultro citroque non fateatur ab ipsis Ecclesiæ incunabulis usque ad saeculum 12. administratam fuisse sub duplici specie Eucharistiam, licet non semper nec necessario. Et quidem Justinus martyr qui saeculo 2. scribebat in apol. 2. testatur Diaconos solitos fuisse dispensare fidelibus panem, vinum, et aquam cum gratiarum actione. Et saeculo 3. in ep. 56. ad thibaritanos ajebat Cyprianus, fideles sumere calicem Sanguinis Christi ut addiscant proprium sanguinem fundere pro Christo. Cyrillus etiam jerosolymitanus saeculo 4. in catech. 4. mystagogica eamdem confirmat consuetudinem. Et eumdem servatum fuisse morem temporibus subsequentibus, eruitur luculentissime ex Chrysostomo hom. 7. et 32. in Matth. ex Augustino Q. 57. in Levit. ex Ordine romano quo utebatur Ecclesia 8. 9. e 10. saeculo, et ex S. Thoma qui floruit saeculo 13. unde non est cur protestantes nobis insultent, quasi antiquorum temporum disciplinam ignoremus. Quod Catholici fidentissime negant est, usum illum fuisse universalem et necessarium, et quidem merito ut paullo post demonstrabimus. Interim animadvertere juvat quod crescente in dies numero fidelium, non raro eveniebat ut inter communicandum aliqua Sanguinis Christi gutta e calice vel ex ore sumentis decideret; quare ad omne removendum periculum invaluit usus Sanguinem e calice assumendi ope tubuli vel fistulae alicujus. Sed quum neque per hoc satis provisum esset incommodo, optime factum existimarunt Pastores sacrum panem distribuere fidelibus pretioso Sanguine intinctum. Verum nimis magna erat fidelium multitudo communicantium ut nullum inde emergeret irreverentiae periculum. Hinc caepit distribui Eucharistia laicis sub una tantum panis specie, donec saeculo 14. calicis usus penitus inter occidentales obsolevit, neque in hac disciplinae mutatione dici potest Ecclesiam errasse, quum certum sit totum et integrum Christum sub alterutra specie contineri. Nihilominus anno 1414. Petrus dresdensis non multum in rebus theologicis versatus, ope Jacobelli misnensis fretus insolenter ac tumultuarie debacchari caepit, Calicis usum esse omnino necessarium laicis, nec potuisse Ecclesiam jure contrariam invehere consuetudinem. Adhaesit Jacobello et Petro dresdensi statim Joannes Hus, et magnam nactus est sectatorum turbam, qui hussitae et calixtini dicti sunt, quique ut Calicem defenderent, universam Bohemiam, finitimasque regiones turbis, armis, et strage repleverunt. Necesse ergo fuit ut Concilium constantiense celebratum anno 1415 hussitarum inconsultam ac nimis pertinacem temeritatem definitionibus suis comprimeret.

Saeculo proxime sequenti quando Lutherus in Ecclesiam rebellavit, ab initio schismatis usum Calicis tamquam rem indifferentem habuit; conquerebatur enim de Carlostadio, quod ecclesiae wittembergensi consuetudinem Calicis tamquam necessariam inculcasset. Sed temporis progressu in odium Concilii constantiensis et Ecclesiae Romanae adhaesit omnino haereticis bohemis. Calvinus ut in aliis fere omnibus ita hac in re subscripsit Luthero in lib. 4. instit. cap. 17. sed qui acrius inter protestantes pro Communione sub utraque specie pugnavit fuit Hermannus Hamelmannus. Etiam graeci nonnulli schismatici quibus praeivit Jeremias pseudo-patriarcha C-P. in eamdem bohemorum descenderunt sententiam. Hos omnes merito damnavit tridentinum Concilium sess. 21. Unde sit

CONCLUSIO

Communio sub utraque specie non fuit laicis a Christo praecepta, proindeque potuit Ecclesia illam laicis adimere.

Prob. 1. Si quod esset praeceptum quo Christus Communionem sub utraque specie praescripserit laicis, maxime illud esset quod habetur Joannis cap. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; atqui laudatis verbis non praecepit Christus Communionem sub utraque specie, sed tantum sub alterutra, per illa enim verba praecepit tantum substantiam Communionis, non modum. Et quidem 1. in eodem cap. 6. dixit Christus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et rursus: *panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* 2. Lucae cap. 24. narratur quod Apostoli *cognoverunt eum*, nempe Christum, *in fractione Panis*, quae panis fractio vel significat Eucharistiam, ut multi tenent cum S. P. Augustino de cons. evang. lib. 3. cap. 25. aut saltem fuit illius typus, ut nemo diffitetur. 3. Actor. cap. 2. de primis fidelibus dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* 4. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 2. inquit: *Itaque quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* Quae monumenta supponunt, ut per se manifestum est, jam ab ipso Ecclesiae initio solitos fuisse fideles Communionem sub unica tantum specie suscipere. Verisimile autem non est voluisse illos statim Christi praeceptum infringere.

Prob. 2 ex Traditione Ecclesiae quae licet communiter ante 12. saeculum Communionem sub utraque specie etiam laicis concederet, non raro tamen unicam speciem tantum distribuebat. Et I. quidem infantibus statim post Baptisma conferebatur Confirmatio et Eucharistia, cumque deglutire non possent speciem panis, in Oriente praesertim ubi mos adhuc viget consecrandi in fermentato, nemini dubium quin in sola vini specie ipsis distribueretur. Videatur Arcudius in concordia lib. 3. cap. 40. II. pueri grandiusculi facti a Diaconis ad altare arcessebantur ut consecrati panis re-

liquias seu fragmenta deglutirent. Ita Evagrius lib. 4. hist. eccl. III. celebre est miraculum a Cypriano narratum in lib. de lapsis, de quadam puella quae postquam a superstitiosa nutrice ducta ad idolorum templum, ibique vinum idolis libatum deglutiverat, ducta subinde ad christianorum ecclesiam, quum vinum eucharisticum per vim absorbuisset, illud in stomacho retinere non potuit. *Calicem*, inquit, *recusare coepit: perstitit Diaconus*, *et reluctanti licet*, *de Sacramento Calicis infudit; tunc sequitur singultus ac vomitus in corpore atque ore violato ecc.* IV. in usu erat antiquis illis temporibus multas ob caussas Communio domestica quam sub panis specie tantum factam fuisse, constat ex multis, et ex iis praesertim quae narrat Ambrosius de obitu Satyri fratris sui, et quae habet Tertullianus in lib. ad Uxorem, in quo illam hortatur ne post sui obitum ad secundas nuptias transeat maxime cum infideli, ne sciat maritus quid secreto ante omnem cibum gustet uxor, et si sciverit panem, non illum credat esse qui dicitur. V. quaenam fuerit vetus consuetudo tum tempore persecutionis, tum servari solita a monachis in eremo viventibus, et a laicis in Aegypto, dicam verbis S. Basilii qui in ep. ad Caesarium patricium haec habet: *Quod autem tempore persecutionis nihil mali sit*, *si quis absente Sacerdote Eucharistiam propria manu sumat*, *superfluum est demonstrare*, *propterea quod longa consuetudo id reipsa confirmavit.* Nemo dixerit autem fideles illos sine Sacerdote Eucharistiam sumere consuevisse sub utraque specie. Et de monachis atque laicis subdit: *Omnes enim qui in eremis solitariam vitam agunt*, *ubi Sacerdos nullus est*, *Communionem Domini servantes*, *per seipsos participant. In Alexandria vero et Aegypto unusquisque etiam ex laicis*, *ut plurimum domi suae habet Communionem*, *et cum vult per seipsum communicat. Etenim in Ecclesia Sacerdos particulam tradit; detinet autem eam cum libertate qui suscipit*. Hactenus Basilius cujus sententia profecto intelligi nequit nisi de sola specie panis, quum vini species quam facillime acescat. VI. et de infirmis quid dicam? Ad rem facit nostram quod Dionysius alex. in ep. ad Fabium antioch. apud Euseb. lib. 6. hist. eccl. cap. 44. narrat de sancto viro Serapione qui morti proximus ad Sacerdotem pro sacro viatico misit. Cumque et Sacerdos in lecto jaceret, puerum cum sacri panis particula misit, qua degustata continuo animam exhalavit. S. Ambrosius quoque ex hac vita migravit post sumptum viaticum in sola specie panis sibi ab Honorato vercellensi propinatum, ut narrat Paulinus in vita Ambrosii: *Obtulit sanctum Domini Corpus*: *quo accepto*, *ubi glutivit*, *emisit spiritum.* Quinimmo apud Arcudium regula legitur pro administranda infirmis Communione, Eliae cretensis metropolitae, ut scilicet Communio accommodetur ad ipsorum aegrotantium infirmitatem, si nempe comedere nequeant, vinum tantum consecratum eis porrigatur. VII. apud graecos et latinos communio viget praesanctificatorum; graeci videlicet per totam quadragesimam exceptis diebus sabbati et Dominicae, latini vero in sola feria 6. majoris hebdomadae communicant in sola specie panis. Quam consuetudinem repetunt graeci ex can. 49. Concilii laodicaeni, latini autem ex can. 52. Concilii in Trullo

celebrati. De Missa praesanctificatorum pertractant rituales omnes libri graeci et latini cum veteres tum recentiores. Si quae hactenus exposuimus vera sunt, ut vera esse apparet ex citatis monumentis, jam Ecclesia vel a suis exordiis non existimavit Christi Domini praeceptum esse ut Eucharistia sub utraque specie panis et vini etiam a non sacerdotibus assumatur; alioquin dicendum foret vel ab Apostolorum temporibus turpiter errasse, quod nonnisi infrunitae frontis haereticus poterit affirmare.

Prob. 3. Altera quam hussitae et protestantes praeter Traditionem sui erroris afferunt caussam est, quoniam alias non sumeretur integer Christus; atqui sub unica tantum specie totus et integer continetur Christus; nam 1. Christus in suprema Coena panem distribuens Apostolis affirmavit se dare illis Corpus quod non multo post erat affigendum cruci; et distribuens Calicem dixit se dare illis Sanguinem qui in passione fundendus erat; atque Corpus illud et ille Sanguis cum anima et divinitate tunc constituebant totum et integrum Christum; ergo etc. 2. Christus Dominus post gloriosam resurrectionem suam, reassumptis Corpore et Sanguine, ipsisque conjunctis hypostatice animae ac divinitati, divisus esse non potest; ait enim Apostolus in ep. ad Rom. cap. 6. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* Divideretur autem si sub panis specie contineretur Corpus sine Sanguine, aut sub specie vini haberetur Sanguis sine Corpore. 3. Unio hypostatica in Christo est omnino indissolubilis. Ast si in alterutra specie totus non contineretur Christus, non esset unio indissolubilis; itaque nihil habent haeretici quo defendere possint necessariam esse etiam laicis participationem Calicis, non Christi praeceptum, non Traditionem Ecclesiae, non theologicam aliquam rationem. Cumque ex una parte res haec sit spectans ad variabilem disciplinam, et ex alia vellent, et quidem pertinacissime, haeretici jugum imponere necessitatis cunctis fidelibus, Ecclesia jure suo utens merito illorum damnavit pervicaciam in Conciliis constantiensi, basileensi, florentino et tridentino.

Solvuntur haereticorum argutiae.

Obj. primo. 1. Non potuit Ecclesia statuere quod est contra expressum Christi praeceptum; Communio sub unica tantum specie est contra expressum praeceptum Christi dicentis Joan. cap. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis.* 2. Nec reponere juvat praeceptum illud importare sumptionem Eucharistiae sub alterutra specie, quoniam in citatis verbis habetur non particula disjunctiva, *vel*, sed particula conjunctiva, *et*. 3. Hinc ipse Christus Sacramentum a se institutum sub speciebus panis et vini suscepit, ut nobis exhiberet exemplum. 4. Immo sub utraque specie assumendum tradidit etiam Apostolis, ut patet ex evangelica historia. 5. In quo certe Apostoli omnes repræsentabat fideles, quum ipsi figura essent non Episcoporum et Sacerdotum dumtaxat, sed universalis Ecclesiae, adeoque et laicorum. 6. Atque hac de caussa proculdubio Christus porrigens illis Calicem, dixit: *Bibite ex*

eo omnes. 7. Quae vox, *omnes* se extendit etiam ad non Sacerdotes, quum Dominus addiderit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Porro etiam laici Eucharistiam percipiunt in passionis Christi commemorationem. 8 Quinimmo non recte commemoratur Christi passio et mors, nisi Sanguinis a Corpore divisio exprimatur, quod probe fit sumendo Corpus et Sanguinem sub diversis speciebus. 9. Eucharistia demum nonne est perfectum et sacrum convivium? In conviviis autem locum habere debet cum cibo etiam potus.

Resp. ad singula. Et ad 1. quidem 1. Calvinus aliique sacramentarii nullum ex cap. 6. Joannis argumentum contra catholicos desumere possunt, utpote qui arbitrantur in toto illo capite sermonem fieri non de Eucharistia, sed de spirituali manducatione per Fidem, ut in superioribus adnotavimus. 2. Praeceptum illud Christi versatur circa substantiam, ut inter probationes diximus, non circa modum sumendi Eucharistiam, quum eodem in capite bis et tertio promittatur aeterna vita manducantibus Carnem. 3. Denique qui Christum sumit sub specie tantum panis, de Carne sua edit et de Sanguine bibit; quoniam in alterutra specie totus et integer Christus contineatur, ut supra demonstravimus.

Ad 2. Non raro in sacris litteris particula, *et*, non copulativa, sed disjunctiva est. Puta Exodi cap. 21. legitur juxta hebraicum textum, *Qui percusserit patrem suum et matrem, morte moriatur*, nempe qui vel patrem vel matrem percusserit. Similiter Petrus Actor. cap. 3. *Argentum*, inquit, *et aurum non est mihi*, idest neque argentum neque aurum. Sensus ergo evangelici praecepti est, *Nisi manducaveritis vel biberitis* etc. quoniam non modum, sed rem praecipit Christus Dominus.

Ad 3. Christus non solum suscepit Eucharistiam sub utraque specie, sed praeterea sumpsit illam non jejunus, imo vespere et post coenam. Numquid haec eadem et nos ad Christi imitationem facere debemus aut possumus? Debemus igitur ut Christi praeceptum servemus, ad ejusdem praeceptoris nostri exemplum sumere Eucharistiam. Modum autem illam sumendi non praecepit Christus, sed praescribit nobis Ecclesia.

Ad 4. Spectari potest Eucharistia et quatenus sacrificium est, et quatenus Sacramentum. Priori modo considerata importat separationem Sanguinis a Carne, ut in veteribus fiebat sacrificiis, non autem posteriori modo. Apostoli porro in illa sacratissima coena ordinati fuerunt a Christo Sacerdotes, unaque cum ipso sacrificium Deo obtulerunt. Quid mirum ergo si utramque speciem illis Christus dispensavit? E contra laici Eucharistiam sumunt prout Sacramentum, non prout sacrificium est. Quamvis Eucharistia etiam sub unica specie quamdam importet Sanguinis separationem a Carne, quum species quae accipitur, a specie quae non sumitur, sit separata.

Ad 5. *Ecclesia est in Episcopo*, inquit Cyprianus, unde hoc sensu non diffiteor Apostolos universalem repraesentasse Ecclesiam, et per illos Eucharistiam sub utraque specie Ecclesiae fuisse concreditam. Ceterum inferendum non est quod sicuti Apostoli utramque speciem per manus Christi perceperunt, ita per Sacerdotum manus sub utraque specie communicare debeant omnes fideles; alioquin fidelibus omnibus indiscriminatim potestas

competeret conficiendi et dispensandi Eucharistiam, quoniam potestas illa collata fuit Apostolis a Domino in ultima coena.

Ad 6. In illis verbis, *Bibite ex eo omnes*, τό *omnes*, ad solos Apostolos qui praesentes erant refertur, non ad omnes fideles; unde Marcus subdit, *Et biberunt ex eo omnes*, utique Apostoli, non alii credentes qui non aderant. Atque hinc versiones syriaca, arabica, aethiopica transtulerunt, *Bibite ex eo omnes vos*. Ratio autem cur Christus in calicis distributione addidit vocem, *omnes*, quod non fecerat in dispensatione panis est, quoniam panem ipsemet Christus accepit, fregit, et cuique discipulorum propriis manibus particulam distribuit. Ast benedictum calicem dedit uni, cui dixit, ne existimaret totum a se hauriendum esse, *Bibite ex eo omnes*.

Ad 7. et 8. Commemoratio passionis et mortis Domini fit in Ecclesia duplici modo, et per Sacrificium et per Sacramentum. Commemoratio per Sacrificium fieri nequit nisi per utramque speciem, quoniam exprimi debet separatio Sanguinis a Corpore. Atque adeo Sacerdotes qui mysticum celebrant Sacrificium communicare sub utraque specie debent. Ast ad Christi passionem commemorandam per Sacramentum sufficit unica tantum species, quoniam habetur per illam sensibile signum Christi pro nobis in ara Crucis immolati, et dum una sine altera specie percipitur, satis exprimitur separatio Sanguinis a Corpore. Atque ita laici quoque dum sub unica tantum specie communicant, passionis ac mortis Christi commemorationem faciunt.

Ad 9. Postremum non moror, nam Eucharistia convivium est quatenus Sacrificium. Quatenus vero Sacramentum, si quoad externum modum consideretur, quum calix desit, non est convivium. Ast si spectetur in se, utique est convivium etiam prout Sacramentum, quoniam cum sub una specie totus contineatur Christus, habetur ibi Caro et Sanguis, proindeque cibus et potus, quod requiritur ad rationem convivii.

Obj. 2. Non potuit Ecclesia initio saeculi 15. in Concilio constantiensi congregata publice definire quod eadem Ecclesia per duodecim integra saecula praxi sua comprobaverat. Et 1. quod Ecclesiae praxis per duodecim priora saecula fuerit Communionem distribuere sub utraque specie, patet ex iis quae initio hujus capitis observavimus, ex Justino, Cypriano, Chrysostomo, aliisque Patribus. 2. Neque ad vim argumenti hujus enervandam adducere juvat aliqua exempla Communionis sub unica specie, nam controversia haec nostra cum haereticis est de Communione largienda in conventibus publicis, non in aliquo particulari casu, et de Communione ordinaria, non extraordinaria. Exempla autem a nobis allata demonstrant in casibus privatis et de extraordinaria quadam lege communicasse fideles sub unica tantum specie. 3. Et eo magis argumentum ex praxi Ecclesiae vim habet, quod multi ex sanctis Patribus adeo necessariam dixerunt Communionem sub speciebus panis et vini, ut nemini licere affirmaverint consuetudinem illam immutare. 4. Quod magis confirmatur ex phrasibus quibus S. Gelasius utitur in suo decreto relato a Gratiano dist. 11. num. 12. ubi sanctus ille Pontifex non solum Communionem sub utraque specie inculcat, sed insuper

addit, rem sacrilegam esse sub unica specie communicare; sic enim habet: *Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo Corporis sacri portione, a calice sacri Cruoris abstineant. Qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*. 5. Denique sunt Theologi bene multi communionis romanae, ut Canus, Bellarminus, et alii, qui tenent uberiorem fructum gratiae percipere fideles sub utraque specie quam sub una communicantes. Hi fraudandi uberiori illa gratia non sunt.

Resp. ad 1. brevissime. 1. Praxim Ecclesiae quam urgent haeretici non fuisse adeo constantem et interruptam ut ipsi jactant, apparet apertissime ex iis quae diximus inter probationes ad quae lectorem, ne eadem bis repetamus, remittimus. 2. De Christi institutione ac praecepto est ut omnes fideles adulti sumant Eucharistiam. Ast quod sumenda sit modo sub una, modo vero sub duplici specie, res est quae pertinet ad disciplinam quam Ecclesia juxta temporum ac personarum circumstantias variare potest, praesertim si legitimas habeat caussas illam immutandi. Ita accidisse in casu nostro dictum est supra. Et quemadmodum haeretici Ecclesiam non reprehendunt quod disciplinam variaverit circa modum conferendi Baptisma, ita jus non habent illam redarguendi in casu nostro.

Ad 2. Inepte adversarii dicunt exempla a nobis allata exprimere casus quosdam particulares et veluti extraordinariam legem, nam 1. de fratribus in publico conventu congregatis et de lege ordinaria communicantibus loquuntur Acta Apost. cap. 2. et Paulus in 1. ad Cor. cap. 11. Hoc idem dicendum de illis qui ad sacram mensam accedentes a Diaconis panis particulam accipiebant ut illam domum asportarent. Hoc idem demum, ut cetera mittam, de Missa praesanctificatorum. 2. Vel illa extraordinaria unius symboli sumptio erat sacramentalis et gratiam conferebat, vel non. Si primum, non est ergo necessaria Communio sub utraque specie. Si alterum, ergo Ecclesia per duodecim integra priora saecula et deinceps turpiter in re gravissima erravit, quod impium est affirmare.

Ad 3. Bene inquiunt nonnulli Patres nemini licere alterutram supprimere speciem, subintellige privata auctoritate, quoniam Ecclesiae praxis ante saeculum 12. ferebat ut dispensaretur Communio ut plurimum sub duplici symbolo. Ceterum nullibi invenies sanctos Patres affirmare quod non liceat id Ecclesiae aut ratione divini praecepti, ut haeretici obganniunt.

Ad 4. Manichaei ex Africa legibus imperialibus toto imperio pulsi Romam se receperunt, ubi ut latitarent, se catholicos esse simulabant, unde cum reliquis fidelibus ad sacram mensam accedebant. Fraus detecta primitus fuit a S. Leone M. quare, ut gliscenti malo obviam iret, vetuit ne quis deinceps sub unica tantum panis specie Eucharistiam sumeret, ratus posse hac via manichaeos facilius agnoscere, quum hi existimantes vinum esse a principio nequam ab illo religiose abstinerent. Voti compos ex integro forte factus non est S. Leo. Hinc Gelasius I. qui proxime Leoni successit, ecclesiasticam illam legem renovavit verbis in argumento allatis. Ex

his autem duo sequuntur, primum, aetate Leonis et Gelasii liberum fuisse cuique sub una vel sub duplici specie communicare, alioquin quomodo potuissent manichaei sub ementita catholica Religione latitare? Nec necessarium fuisset novo decreto praecipere quod constantissime, ut adversarii contendunt, erat in usu. Alterum, agi hoc in decreto de casu particulari, et de tempore quando Ecclesiae praxis ferebat ut Communio fieret ut plurimum sub duplici specie. Neque sententiae catholicae officit quod in eo decreto Communio sub unica specie appelletur sacrilega, id enim dicitur relate ad versutiam manichaeorum quae procul dubio sacrilega erat.

Ad 5. Peculiaris opinio nonnullorum nostrae communionis Theologorum non est assumenda in praejudicium sententiae universalis Ecclesiae, praesertim si levibus momentis opinio illa innitatur. Et hujusmodi esse Cani, Bellarmini, aliorumque paucorum opinationem, ne multus sim, patet vel ex eo quod sub alterutra specie totus et integer Christus reperiatur; quare fructus idem erit Sacramenti si quis unicam vel duplicem speciem assumat.

CAPUT XIII.

De subjecto Sacramenti Eucharistiae et de illius precipuis effectibus.

Subjectum Sacramenti Eucharistiae is omnis censetur qui mediante Baptismo inter fideles adnumeratur, dicente Justino martyre apol. 2. *Alimentum hoc apud nos vocatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, et lavacro propter remissionem peccatorum, et regenerationem abluto.* Verum quum idem Sacramentum necessarium non sit necessitate medii ad aeternam salutem consequendam, sponte sua consequitur nonnullos ab illius perceptione esse eximendos. Dubitari autem potest de pueris recens natis, de amentibus et furiosis, de energumenis et arreptitiis, de impiis ac sceleratis, ac denique de afficiendis extremo supplicio. Nos ergo de singulis quid sentiamus, breviter aperiemus.

Et I. quoad infantes attinet, graeci a primis Ecclesiae temporibus usque ad hanc nostram aetatem consueverunt administrare parvulis statim post Baptisma Confirmationem et Eucharistiam, ut ex illorum apparet euchologiis. Neque in hoc erroris arguendi sunt ut nonnulli Theologi faciunt, quum res ejusmodi ad meram pertineat disciplinam quae variabilis est nec una apud omnes. Accedit quod praxis eadem viguit apud latinos usque ad saeculum 12. ut capite superiori observavimus. Quare si nunc ecclesia graeca erraret quod Eucharistiam parvulis recens natis dispenset, errasset quoque per 12. saecula ecclesia latina. Sed non proinde graeci nonnulli aut recentiores haeretici ecclesiam occidentalem jure errroris insimulant quod disciplinam illam mutaverit, nam ut id faceret, legitimas habuit caussas. Et prima quidem fuit, quoniam infantes quum rationis compotes non sint, non possunt tam sublimi Sacramento reverentiam exhibere quae illi debetur. Altera vero est, quoniam pueri Eucharistiam sub panis specie

propter aetatem deglutire non possunt; nil autem facilius quam speciem vini vomendo ejiciant, et ita Sacramentum irreverentiae exponatur. Unde in hac similive materia quisque ecclesiae suae disciplinam custodire sedulo debet.

II. quoad amentes et furiosos distinguendum est. Si numquam rationis compotes fuerunt, idem sentiendum est de illis ac de infantibus, quamvis nempe priscis temporibus conferretur eis Eucharistia ut infantibus quemadmodum colligitur ex Concilio arauxic. I. can. 13. ubi legitur, *Amentibus, quaecumque sunt pietatis conferenda sunt*, modo tamen contraria viget consuetudo ob duas illas caussas paullo superius allatas. Quod si per aliquod tempus usum habuerunt rationis, et postea in amentiam inciderunt, rursus observandum est an dum sana pollerent mente, devotionis sensum erga Eucharistiam habuerint; et eo in casu in articulo mortis est eis porrigenda, juxta S. Thomam 3. p q. 70. art. 9. *Nisi forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis*. Sin minus, non est eis divinum administrandum Sacramentum ne irreverentiae exponatur. Sunt denique nonnulli amentes et furiosi qui lucidis fruuntur, ut inquiunt, intervallis, in quibus non video cur participes esse nequeant Eucharistiae, pie enim cum spirituali fructu et reverentia possunt Sacramentum suscipere.

III. energumeni seu abreptitii non sunt quidem ad participationem sacrae mensae admittendi dum actu a doemone possidentur et agitantur. Atque hoc sensu intelligendus est canon 29. illiberitanus, *Energumeni nomen ad altare cum oblatione non recitandum, neque permittendum ut sua manu in Ecclesia ministret qui ab erratico spiritu exagitatur*. Ast si actu a spiritu immundo non vexentur, poterunt utique de sacra synaxi participare juxta canonem 14. Concilii I. arauxicani, *Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua curant, et se sollicitudini clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu doemonis quo infestantur, vel purgandi quorum jam ostenditur vita purgatior.* Et magnum quidem ex sacra Communione possunt energumeni percipere fructum, praeter enim sanctificantem gratiam, liberationem a doemone obtinere possunt, quemadmodum pluries accidisse narrant Abbas Serenus apud Cassianum coll. 7. cap. 30. S. Prosper lib. de prot. Dei cap. 6. et S. P. Augustinus lib. 12. de civ. Dei cap. 8.

IV. veniamus nunc ad impios ac sceleratos homines. Si hi publici fuerint peccatores, non licet eos ad sacrum convivium admittere. Nimis enim clara est Christi Domini sententia apud Matth. cap. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Et quidem, nonne divinissimum Eucharistiae Sacramentum quum Sacramentum sit vivorum, summam exigit in recipientibus animae munditiem et singularem morum probitatem? Immundi autem sunt et improbi publici peccatores. Tales vero censentur si eorum crimina publica evaserint vel notorietate facti vel notorietate juris. Sic publici censentur peccatores notorietate facti quidam usurarii, concubinarii, histriones, mulieres non conjugatae parturientes etc. Noti vero notorietate juris sunt qui sententia judicis laici aut

ecclesiastici, vel per publicam famam peccatores innotescunt, quos inter locum habent etiam excommunicati. Hi ergo omnes similesque si ad sacram mensam accedere audeant debent a Sacerdote invicte et omnino repelli, donec publice agant poenitentiam a proprio Ordinario eis injungendam. Ita S. P. Augustinus. hom. 50. nunc serm. 351. de divers. num. 10. Quid vero dicendum de peccatore si occultus sit? Vel hic Eucharistiam petit publice vel in occulto. Si primum, ei denegari non potest quoniam donec peccatum suum innotescat, adhuc jus retinet ad famam; unde S. P. Augustinus hom. sive serm. mox laudato, *Nos vero*, inquit, *a Communione prohibere quemquam non possumus*, *quamvis haec prohibitio nondum sit mortalis*, *sed medicinalis; nisi aut sponte confessum*, *aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Idque ad Christi Domini exemplum qui Judae proditori adhuc occulto suum Corpus et Sanguinem in ultima coena non denegavit. Si autem Eucharistiam petat in occulto, quum eo in casu ex Sacramenti negatione non ea sequantur incommoda ac si publice denegaretur, ei omnino impertienda non est, nisi forte occultum crimen petentis Sacerdoti innotescat per sacramentalem Confessionem; adeo namque Confessionis sigillum servandum est, ut ne auricularis confessio odiosa reddatur, sinat Ecclesia talibus Communionem conferre.

V. restat postremo loco ut de afficiendis extremo supplicio pertractemus. Sed de his brevissime. Ecclesia gallicana denegat reis morituris per extremum supplicium sacram synaxim, contrariam vero praxim retinent itali, germani, aliaeque nationes. Italorum aliarumque gentium consuetudo laudabilior videtur praxi Ecclesiae gallicanae. De hoc argumento breviter, sed erudite more suo pertractat Joannes Laurentius Berti de theol. disc. lib. 33. cap. 26. quem consulere poterit qui plura scire voluerit. Atque pauca haec sufficiant de subjecto Sacramenti Eucharistiae.

Nunc addenda nonnulla de variis ejusdem Sacramenti effectibus. Et I. Eucharistia confert digne illam recipientibus gratiam sanctificantem, non quidem primam, sed secundam, quum sit Sacramentum vivorum. Et sane Joan. cap. 6. *Panis*, inquit, *quem ego dabo*, *Caro mea est pro mundi vita.* Et rursus, *Qui manducat meam Carnem*, *et bibit meum Sanguinem in me manet*, *et ego in illo.* Ast qui vitam habet spiritualem, et manet in Christo, gratiam habet proculdubio sanctificantem.

II. Eucharistia dat digne illam sumentibus pignus aeternae vitae, nam idem Christus citato cap. 6. Joan. addit: *Qui manducat meam Carnem*, *et bibit meum Sanguinem*, *habet vitam aeternam*, *et ego resuscitabo eum in novissimo die*, resurrectione videlicet corporis non qualicumque, sed illa quae convenit sanctis, nempe ad vitam et felicitatem aeternam.

III. per Eucharistiam remittuntur fidelibus saltem indirecte peccata venialia, jus enim confert ad auxilia illa actualia per quae frequentes caritatis actus exerceantur, caritas autem, si fervens sit, tollit peccata etiam venialia. Hinc Ambrosius lib 5. de Sacram. cap. 4. inquit: *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis.*

IV. Eucharistia praeservat fideles etiam a peccatis lethalibus, ut ipse Christus spondet Joan. cap. 6. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, morte nempe spirituali quae nonnisi a lethali peccato inferri potest.

V. et ne singulos recenseam effectus, Eucharistia non solum praeservat fidelem a mortali peccato, sed etiam mortale peccatum remittit non quidem per se et directe, ut contendunt protestantes, sed indirecte et per accidens, ut catholici tenent post Concilium tridentinum in quo sess. 13. can. 5. sequens habetur definitio: *Si quis dixerit vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire, anathema sit*. Et Eucharistiam quidem non remittere mortalia peccata directe ac per se, praeter mox allatam Synodi tridentinae definitionem, testatur Apostolus in 1. ad Cor. cap. 11. *Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat etc.* nempe qui vult ad sacram mensam accedere conscientiam ab omni macula mundam per contritionem et confessionem reddere debet ne judicium sibi manducet et bibat, dicente eodem Apostolo ibidem: *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit*. Hinc Cyprianus ep. 9. redarguit peccatores ad Communionem accedentes, *Nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta .... cum scriptum sit: Qui ediderit panem, vel biberit indigne*. Et Ambrosius in cap. 9. Lucae: *Ubique mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae caelestis exuberet.* Et S. P. Augustinus tract. 26. in Joan. *Videte ergo*, inquit, *fratres, Panem caelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.* Consimilia et alii habent Patres. Et jure quidem, Eucharistia enim a Domino instituta est per modum cibi spiritualis, et animae refectionis. Porro munus cibi et refectionis non est primam largiri vitam, ut per se patet, sed vitam quae supponitur conservare, fovere, augere. Neque catholicae sententiae contrarium est quod in forma Eucharistiae dicatur, *Hic est calix Sanguinis mei qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, aut quod supercaelestis hic panis dicatur panis dans mundo vitam, aut denique quod Patres nonnulli dicant accipi hoc Sacramentum in remissionem peccatorum. Haec, inquam, catholicae sententiae non officiunt. Non primum sane, nam non ait Christus bibendum esse Calicem in remissionem peccatorum, minime, sed inquit dumtaxat Calicem continere Sanguinem fundendum in remissionem peccatorum, quod verissimum est. Cum vero dicit Dominus Joan. cap. 6. eucharisticum panem dare vitam mundo, idem est, ac si dicat spiritualem vitam fidelium conservare, fovere, perficere. Patres autem tribuentes Eucharistiae peccatorum remissionem loquuntur proculdubio de peccatis venialibus, non lethalibus, vel de peccatorum lethalium praeservatione. Quare inscite prorsus et contra fas affirmant protestantes Eucharistiam per se et directe remittere peccata mortalia.

Ceterum non diffitemur aliquando remittere peccata lethalia per acci-

dens et indirecte. Puta si quis post acceptam a Sacerdote absolutionem, sed ante sumptionem Eucharistiae grave contrahit peccatum a se tamen invincibiliter ignoratum, Eucharistiae Sacramentum peccatum illud absque dubio remittit, sed per accidens et indirecte; per sacram enim Communionem fit ut in communicante caritas et contritio augeatur, et ad eum perveniat gradum ut peccatum illud mortale expungatur. Quare S. Thomas q. 79. art. 3. illam Ecclesiae collectam, *Sit hoc tuum Sacramentum ablutio scelerum*, ita exponit: *Petimus, ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum, vel eorum quorum conscientiam non habemus*, *secundum illud psalmi* 18. *Ab occultis meis munda me Domine*, *vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem.* Ubi scelerum nomine, ut per se manifestum est, non veniunt certe peccata venialia, sed peccata mortalia. Atque haec pauca pro instituti nostri ratione sufficiant de subjecto et effectibus Sacramenti Eucharistiae. Hactenus de Eucharistia prout est Sacramentum. Nunc breviter agendum erit de Eucharistia prout est Sacrificium.

CAPUT XIV

De Eucharistia prout est Sacrificium.

Variis nominibus Sacrificium Eucharistiae insignitur tum apud veteres tum apud recentiores sive graecos sive latinos. Et a grecis quidem appellatur *liturgia*, *mystagogia*, *hierurgia*, *synaxis*, *thysia*, *anaphora*, *prosphora*, *thelete.* Liturgia significat publicum et sacrum ministerium. Mystagogia denotat actionem mysticam. Hierurgia autem actionem sacram. Dicitur synaxis, hoc est fidelium congregatio seu adunatio cum Christo. Thysia vero, nempe sacrificium. Anaphora et prosphora significant oblationem. Thelete perfectionem seu consecrationem. De his nominibus eorumque originationibus vide Dugangium Bona, Durandum, Gravinam, aliosque. A latinis idem Sacrificium communiter appellatur *Missa*, a mittendo, vel quia post Evangelium antiquitus dimittebantur cathecumeni, vel quia Sacrificium olim fiebat ex oblatis a populo missis, vel denique quoniam absoluto sacrificio dimittitur populus illis verbis, *ite missa est.* Dicitur etiam *oblatio* a verbo latino offero, quod Deo Sacrificium istud offeratur. Sancti Patres saepissime appellant missam *Collectam*, eodem sensu quo graece dicitur synaxis. Non raro dicitur *Dominicum*, quum res sit plane divina, et ex quo sit res omnino sacra, appellatur quoque *Sacrum.* Denique appellatur etiam *Agenda*, quoniam Missam celebrare est actio omnino singularis et praestantissima. Inquirere ergo an Eucharistia sit Sacrificium, idem est ac inquirere an Liturgia vel Missa vel quovis alio nomine ex recensiti sappelletur sit Sacrificium.

Sed ut omnis tollatur aequivocatio, operae pretium duco animadvertere duplicis generis esse Sacrificium, aliud lato quodam sensu, aliud vero sensu rigoroso acceptum. Sacrificium late sumptum est quodlibet bonum

opus in Dei gloriam factum, et hoc nomine decoratur quatenus a bona voluntate procedens, Deo gratum est; quo sensu inquit S. P. Augustinus lib. 10. de civ. Dei cap. 6. *Verum sacrificium est omne opus quod agitur ut sancta societate inhaereamus Deo*. Imo etiam psal. 49. dicitur: *Immola Deo sacrificium laudis*. Sacrificium vero in sensu stricto et rigoroso sumptum proprie definitur ab omnibus Theologis, *Externa oblatio substantiae sensibilis Deo facta per realem immutationem in agnitionem supremi ejus dominii a legitimo ministro*. Dicitur 1. *oblatio* ad exprimendum actum ministri sacrificantis; et locum tenet generis, quia non omnis oblatio est sacrificium proprie dictum. 2. Dicitur *externa rei sensibilis*, quoniam sacrificium est actus Religionis externae; unde Augustinus lib. 10. de civ. Dei cap. 5. *Sacrificium visibile*, inquit, *invisibilis sacrificii Sacramentum est*, *idest sacrum signum est*. 3. Additur, *Deo facta*, quoniam soli Deo convenit sacrificium, dicente magno Augustino lib. cit. cap. 4. *Quis sacrificandum censuit*, *nisi ei quem Deum aut scivit*, *aut putavit*, *aut finxit*? 4. Dicitur, *per realem immutationem*, ut nempe res oblata vel mystice vel physice mutetur, quia sacrificium differre debet a simplici oblatione, puta auri, vestium, primogenitorum etc. in quorum oblatione nulla accidit mutatio. 5. *In agnitionem supremi ejus dominii*, et quidem in omnes creaturas, et praesertim in necem et vitam; eaque protestatio relucet vel in occisione hostiae vel in illius mutatione. 6. Denique fieri debet sacrificium non a quocumque, sed a legitimo ministro ad hoc specialiter deputato, et a Deo vocato tamquam Aaron. Atque haec est sacrificii proprie dicti notio. Porro quando nos inquirimus an Missa sit sacrificium, loquimur de sacrificio rigoroso sensu accepto.

Sed ut rei hujus accuratissimam habeamus ideam, animadvertendum est praeterea multiplicis generis esse sacrificia a Deo instituta ante Christi Domini adventum, et aliud erat hostia seu *victima*, aliud *immolatio*, aliud *libamen*. Rursus dividebatur sacrificium in *holocaustum*, et *hostiam pacificam*, seu *pro peccato*. Denique sacrificium erat vel *cruentum*, vel *incruentum*. Erat hostia seu victima quando offerebatur animal; immolatio si offerebatur res inanimata solida, ut fruges; libamen vero si res oblata liquida erat, ut vinum, oleum etc. holocaustum erat quando tota et integra res in Dei honorem cremabatur; si autem rei oblatae pars in usum Sacerdotis vel offerentium cedebat, dicebatur hostia pacifica, vel pro peccato. Sacrificium cruentum habebatur cum sanguinis effusione; incruentum denique sine effusione sanguinis. Sed celebris sacrificii divisio est in latreuticum, propitiatorium, et pacificum. Primum est quod per se fit in Dei cultum et honorem. Alterum quod fit ad placandum iratum Numen pro peccatis. Tertium subdividitur in eucharisticum et impetratorium. Eucharisticum habet pro fine gratiarum actionem; impetratorium autem novi alicujus beneficii impetrationem.

His hoc modo praelibatis videamus quaenam hominum opinio constet circa Sacrificium Missae. Primi qui ausi fuerint denegare in Missa offerri sacrificium fuerunt petrobusiani et albigenses, sed horum deliramentum a-

paucis admodum fuit adoptatum, donec Lutherus qui in omnibus catholicae Ecclesiae contradicere studebat, non modo Sacrificium istud e medio sustulit, sed confiteri non erubuit in lib. de abroganda Missa, *sibi a doemone suggestum ac persuasum fuisse , Missae Sacrificium abrogandum esse.* Huic blasphemiae subscripsere statim Zuinglius et Calvinus, aliique novatores. Et de sacramentariis quidem quum in Eucharistia realem Christi praesentiam non admittant, parum mirari subit. Ast Lutherus ejusque discipuli non multum sibi cohaerere videntur, dum admittunt in Eucharistia realem praesentiam Christi, et simul denegant esse Sacrificium. Et ab hac quidem contradictione Lutheri animus diu jactatus fuit donec Philippus Melancton ad sedandos magistri scrupulos excogitavit affirmare Christum Dominum praesentem esse in Eucharistia a consecratione ad sumptionem usque, subinde vero a Sacramento recedere. Atque ita confitentur lutherani, Eucharistiam Sacramentum esse, cum sacramentariis autem negant esse Sacrificium, nisi sacrificii nomen sumatur in sensu quodam lato juxta notionem initio capitis a nobis traditam.

Catholici e contra de Fide tenent 1. Manere realiter praesentem Christum in Eucharistia etiam extra usum. 2. Eucharistiam esse verum et proprie dictum novae legis Sacrificium. 3. Et quidem latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, et impetratorium. 4. Et offerendum esse non modo pro viventibus, sed etiam pro iis qui in Purgatorio existunt. 5. Ac demum licitas et legitimas esse Missas quas Catholici privatas nominant, in quibus videlicet non distribuitur sacra Communio fidelibus, quas praesertim irrident ac rejiciunt protestantes. Cum Catholicis ergo sit

CONCLUSIO I.

In Eucharistia, peracta consecratione, etiam extra usum, manet Christi Corpus.

Prob. 1. Ideo sacramentarii tenent extra usum non manere Christi Corpus in Eucharistia, et his subscribunt etiam lutherani, quoniam illi negant absolute realem Christi praesentiam in Eucharistia, isti autem ut calvinistis adhaereant volunt Eucharistiam non esse Sacrificium; atqui falsum est utrumque protestantium dogma, ut patet ex dictis et ex infra dicendis; ergo etc.

Prob. 2. Ecclesia ab initio semper et quovis saeculo credidit, in Eucharistia, peracta consecratione, et extra usum, Christi Corpus manere, nam semper consuevit consummato Sacrificio Hostias consecratas reservare. Et 1. quidem servabatur Eucharistia ut ad infirmos deferretur, quemadmodum ex facto Serapionis et Ambrosii supra laudato patet. 2. Servabatur domi ad Communionem domesticam, et in eremo ad consolationem illorum qui monasticam vitam agebant, ut colligitur ex testimoniis in superioribus laudatis Tertulliani, Clementis alexandrini, Basilii. 3. Ut per modum Viatici deferretur ad infirmos, sicuti ex Majorum Traditione legitur in 1. Decret.

tit. 24. cap. *officium*: *In Sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit.* Et apud Egebertum cap. 22. *Presbyter Eucharistiam habeat semper paratam ad infirmos, ne sine Communione moriantur.* Extant multi Conciliorum canones circa Viaticum ad infirmos deferendum. 4. Reservabatur antiquitus, et nunc etiam reservatur apud graecos ad Missas praesanctificatorum singulis jejuniorum diebus in quibus Missam celebrabant cum Hostia reservata. Aliis etiam de caussis Eucharistia servabatur priscis temporibus, existimabantque veteres Patres nostri in Eucharistia illa reservata verum Christi Corpus contineri. Falsa ergo est recens illa protestantium opinio quod in Eucharistia extra usum Christi Corpus non maneat.

CONCLUSIO II.

Eucharistia est verum novae legis Sacrificium.

Prob. 1. Genes. cap. 14. de Melchisedecho legitur: *Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Hoc est oblato in gratiarum actionem Sacrificio Deo, de pane ac vino sanctificatis dedit Abrahae et pueris ejus ad manducandum et bibendum; ast Sacrificium illud a Melchisedecho Deo oblatum panis et vini fuit apertissima figura Eucharistiae; nam ideo psal. 109. de Christo dicitur, *Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, quoniam sicut Melchisedech, ita et Christus Sacrificium obtulit sub panis et vini speciebus, neque enim Melchisedech aliud obtulit in Sacrificium praeter panem et vinum. Aut si obtulit aliquando Deo animalia, quod in Scripturis non legitur, non in hoc Christi Sacerdotium assimilatum est Sacerdotio Melchisedech, alioquin a Sacerdotio levitico non differret, sed in eo tantum quod panem et vinum obtulit. Hinc Clemens alex. lib. 4. Strom. *Melchisedech*, inquit, *Rex Salem sacerdos Dei Altissimi*, *qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiae.* Cyprianus in ep. 63. ad Caecilium: *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret declarat Spiritus S. in psalmis ex persona Patris ad Filium dicens: ante luciferum genui te; tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, et inde descendens quod Melchisedech Sacerdos Dei Summi fuit*, *quod panem et vinum obtulit*, *quod Abraham benedixit.* Et S. P. Augustinus lib. 16. de civ. Dei cap. 22. de Melchisedecho verba faciens, *Ibi quippe*, ait, *primum apparuit Sacrificium*, *quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum*. Sicut ergo oblatio illa panis et vini a Melchisedech facta verum Sacrificium fuit, ita et Eucharistia a Christo Domino instituta.

Prob. 2. multi Prophetae, ut Isaias, Jeremias, et regius Psaltes praeconiaverunt in novo Testamento vetera abolenda esse Sacrificia, inque locum illorum substituendum esse Sacrificium mundum ab Aaronicis Sacrificiis omnino diversum, quod aliud esse non potest nisi Sacrificium Missae. Sed his brevitatis caussa praetermissis, pro omnibus sufficiat celebre vaticinium Malachiae quod legitur cap. 1. *Non est mihi voluntas in vobis*,

dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est Nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur Nomini meo Oblatio munda. Sensus hujus vaticinii est respuenda esse judaica Sacrificia, et in ipsorum locum substituendam Oblationem mundam novi Testamenti, nempe Eucharistiam. Et sane, non loquitur Propheta de Sacrificiis judaeorum, quoniam inquit oblationem offerendam esse a gentilibus. Neque loquitur de sacrificiis idololatrarum, haec enim abominatur Deus. Sed neque de Sacrificio cruento in Ara Crucis immolato, quum istud semel et in uno loco oblatum fuerit. Nec demum loquitur Propheta de spirituali interiori sacrificio quod in virtutum exercitio consistit, tum quia hebraica vox *minchah*, externum aliquod significat sacrificium, tum etiam quoniam hujusmodi sacrificium extitit et tempore legis scriptae et tempore legis naturae; superest ergo ut Oblatio illa munda de qua Malachias sermonem instituit sit Eucharistia, quae Oblatio munda appellatur, non relate ad ministros qui utinam non essent aliquando immundi, et polluti, sed relate ad victimam quae est Christus Dominus sub speciebus latens. Atque in sensu mox exposito acceperunt vaticinium Malachiae omnes sancti Patres, ut Justinus in dial. cum Tryphone, Irenaeus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus.

Prob. 3. Christus Dominus Eucharistiam in suprema coena instituens verum ac proprie dictum obtulit Sacrificium; ergo etc. Quod patet ex iis quae narrant Evangelistae, nam Lucae cap. 22. legitur: *Accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et Calicem postquam coenavit, dicens: Hic est Calix novum Testamentum in Sanguine meo qui pro vobis fundetur.* Sive ut legitur apud Marc. *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Et apud Matth. *Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Haec sane demonstrant Christum Dominum verum obtulisse Sacrificium, omnia quippe hic habentur quae ad verum requiruntur Sacrificium. Habetur videlicet benedictio et gratiarum actio, habetur fractio et divisio partium, Corpus videlicet a Sanguine mystice separatum. Non defuit materia externa et sensibilis. Adfuit participatio Hostiae Apostolis distributae. Ac denique facta fuit oblatio a Sacerdote, a Christo scilicet qui Hostia simul erat et Sacerdos. Christus ergo instituens Eucharistiam, obtulit in ea Sacrificium. Ast idem Christus dixit Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quare voluit ut Apostoli eorumque successores consecrando Eucharistiam, Deo Sacrificium offerrent. Hinc de Apostolis in Act. cap. 13. legitur: *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus etc. Ministrantibus*, hoc est, *sacrificantibus*. Graece namque legitur, λειτουργοὐντων, unde Erasmus vertit: *Operantibus sacra*; et Henricus Stephanus: *Dantibus operam rebus divinis.* Et merito, quoniam in textu habetur, λειτουργοὐντων τῷ Κυρίῳ *ministrantibus Domino*. Deo autem non administrant homines nisi sacrificando. Etiam Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 13. testatur fideles suo tempore consuevisse Sacrificium offerre, ait enim: *Habemus Altare de quo*

edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Altare autem Sacrificium supponit, ut per se manifestum est. Hoc ideo aperte insinuat idem Apostolus in 1. ad Cor. cap. 10. dicens: *Nolo autem vos socios fieri doemoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem doemoniorum: non potestis mensae Domini participes esse, et mensae doemoniorum*; ubi opponit fideles se reficientes Corpore et Sanguine Christi infidelibus participantibus de idolothitis. Hi vero absumebant res prius sacrificio immolatas; ergo et illi.

Prob. 4. ex constanti Ecclesiae Traditione, nam Concilium nicaenum can. 18. vetat Diaconis ne audeant Eucharistiam Presbyteris dispensare, *quod nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi Corpus accipiant.* En Eucharistia Sacramentum simul et Sacrificium. Concilium ephesinum 1. *Sanctum*, inquit, *ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis peragimus Sacrificium.* Eadem leguntur in Conciliis chalcedonensi et Toletano 12. S. Justinus martyr in dial. cum Tryph. *De necessariis*, inquit, *gentium, quae in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiae, et poculo similiter Eucharistiae, jam tum locutus Malachias, praedixit.* Tertullianus in lib. de veland. virg. ait: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, nec docere, nec tingere, nec offerre.* Ambrosius in psal. 38. *Etsi nunc Christus non videatur offerri, ipse tamen offertur in terris, cum Corpus ejus offertur.* Augustinus lib. 11. qq. evang. q. 33. loquens de epulis a Patrefamilias prodigo filio paratis, *Et istae epulae*, inquit, *atque festivitas nunc celebrantur per orbem terrarum, Ecclesia dilatata atque diffusa. Vitulus enim ille in Corpore et Sanguine Dominico et offertur Patri et pascit totam domum.* Innumera alia Patrum testimonia, brevitati consulens, consulto omitto. Quare tridentina Synodus sess. 22. jure ac merito doctrinam hanc nostram in Ecclesia antiquissimam multis editis canonibus definivit, ac protestantes contrarium sentientes damnavit.

CONCLUSIO III.

Sacrificium Eucharistiae est simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, et impetratorium.

Prob. 1. concl. pars. Esse in Eucharistia realiter praesentem Christum, verum Deum, Dei Filium, ac Dominum universorum omni argumentorum genere a nobis demonstratum est in superioribus. Quis autem negaverit, vero Deo, Dei Filio, ac Domino universorum deberi latriae cultum, etiamsi sub panis ac vini lateat speciebus? Antiquissima Ecclesiae praxis semper fuit et adhuc est Eucharistiae latriae cultum exhibere; unde Cyrillus jerosol. cath. 5. Mystag. praecipit ut fidelis ad Eucharistiam *pronus, et adorationis in modum accedat*; et Theodoretus dial. 11. qui dicitur *inconfusus*, de mysticis symbolis loquens, *Intelliguntur*, inquit, *ea esse, quae facta sunt, et creduntur, et adorantur;* et S. Pater Augustinus in psal. 98. scribit: *Nemo illam*

Carnem manducat nisi prius adoraverit. Porro haec eadem Eucharistia quam latriae cultu adoramus ab Ecclesia in illius celebratione Deo offertur in testificationem supremi sui dominii in omnes creaturas, ut apertissime colligitur ex antiquis ac recentioribus liturgiis, atque adeo Sacrificium hoc est vere latreuticum.

Prob. altera pars concl. Ex iisdem liturgiis apparet quoque idem Sacrificium esse eucharisticum, in praefatione enim, in canone, et in collectis Missae saepe Deo gratias agimus; unde ajebat Augustinus in ep. ad Dardanum: *Nosti autem in quo Sacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro*. Et nomen ipsum Eucharistiae quod venit ab ευχαριστέω *gratias ago*, sententiam nostram confirmat.

Prob. 3. concl. pars 1. ex Scripturis. Matth. cap. 26. legitur: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Lucae cap. item 26. *Hic est Calix novum Testamentum in Sanguine meo qui pro vobis fundetur*. Ex quibus sic arguitur: Sacrificium oblatum ad placandum Numen et in peccatorum remissionem proculdubio est propitiatorium; hujusmodi est incruentum Missae Sacrificium, ut laudata innuunt testimonia; ergo etc. 2. Concinunt Scripturis sancti Ecclesiae Patres, Origenes namque hom. 13. in Levit. de Eucharistia loquens, *Ista est*, inquit, *commemoratio sola quae propitium facit Deum hominibus.* Chrysostomus lib. 4. de Sacerdotio docet Sacerdòtem Sacrificium offerentem *legatum et deprecatorem esse apud Deum ... ut hominum omnium peccatis propitius fiat*. Hieronymus comm. in cap. 1. ep. ad Titum: *Episcopus quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo offert victimas.* Et ne singulos percenseam, S. P. Augustinus q. 47. in Levit. *Omnibus illis sacrificiis quae pro peccatis offerebantur ... illis sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum*. Quare Concilium tridentinum sess. 22. can. 3. protestantes huic dogmati contradicentes merito damnavit. 3. Eucharistia prout Sacramentum instituta fuit in spiritualem animae cibum, non in remissionem peccatorum; dicitur nihilominus de Eucharistia quod peccata remittat, Deumque nobis propitium reddat; id ergo intelligitur de Eucharistia prout est Sacrificium.

Prob. postrema pars concl. sed haec profluit ex dictis. Si enim Missae Sacrificium Deum movet ad remittenda peccata, multo magis ab illo movetur ut nobis gratiam largiatur et omnia beneficia; unde ajebat Tertullianus in lib. ad Scapulam: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* Videantur Cyrillus jerosol. catech. 5. Mystag. Chrysostomus hom. 28. in Act. Apost. Augustinus lib. 22. de Civ. Dei cap. 8. aliique Patres.

CONCLUSIO IV.

Sacrificium Missae offerendum est non solum pro viventibus, sed etiam pro piis Defunctis, non autem pro damnatis.

Prob. 1. concl. pars. I. ex Scripturis, nam in lib. 11. Machab. cap.

12. narratur Judam Machabaeum offerre fecisse Jerosolymis Sacrificium pro iis qui in praelio occubuerant, et cum pietate dormitionem acceperant, hanc afferens caussam, quoniam *sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. II. ex Traditione sanctorum Patrum, nam Tertullianus in lib. de corona milit. cap. 3. inquit: *Oblationes pro mortuis annua die facimus*. Cyprianus ep. 56. testatur sancitum a praedecessoribus fuisse de illo qui ad tutelam Clericos testamento nominavit, *ne offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. Cyrillus jerosol. catech. 5. Mystag. *Maximum*, inquit, *esse credimus animarum juvamen pro quibus offertur obsecratio sancti illius et tremendi quod in Altari positum est Sacrificii*. Chrysostomus hom. 4. ad popul. antioch. *Num temere*, ait, *ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio?* Mitto in re tam manifesta Epiphanii, Ambrosii, aliorumque Patrum testimonia, et concludo verbis gravissimis S. P. Augustini qui lib. Enchir. cap. 90. *Neque negandum est*, inquit, *defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur*. III. ex antiquis populorum liturgiis, nam animarum in purgatorio igne existentium commemoratio fit in liturgiis Basilii, Chrysostomi, Syrorum, gentiumque aliarum omnium, ut nec ipsi inficiantur adversarii, contenti dumtaxat Patres nostros liturgiarum auctores contumeliis calumniisque proscindere. IV. denique ex theologica ratione quam suppeditat S. Augustinus lib. 20. de Civ. Dei cap. 9. Incruentum enim Sacrificium pro iis offerendum est qui ad mysticum Christi regnum quum pertineant remissione indigent peccatorum et indulgentia; ejusmodi sunt piorum animae quae in igne purgatorio detinentur.

Prob. altera pars concl. auctoritate Augustini in lib. 3. de orig. animae cap. 12. dicentis: *Noli credere, nec dicere, nec docere, Sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse catholicus.* Et merito quidem, nam Sacrificium incruentum offertur Deo in commemorationem Sacrificii cruenti quod de seipso in Ara Crucis obtulit Christus qui certe nec pro doemonibus nec pro damnatis mortuus est.

CONCLUSIO V.

Missae in quibus solus Sacerdos communicat, seu privatae, licitae sunt.

Prob. 1. Missa privata in qua solus Sacerdos communicat, habet omne id quod ad rationem veri Sacrificii requiritur, ut patet ex sacrificii definitione ejusque expositione a nobis initio hujus capitis allata; neque enim in ea definitione invenitur quod debeant adstantes communicare, sicuti multa erant in V. T. sacrificia de quibus adstantes non participabant.

Prob. 2. Joannes Chrysostomus hom. 3. in ep. ad Ephes. *Frustra*, inquit, *est quotidianum Sacrificium: frustra ad stamus Altari: nemo est qui participet*. Quid clarius? Accedit antiquissima Ecclesiae praxis, nam

de patre suo narrat Gregorius Nazianzenus orat. 19. solitum fuisse Missam in cubiculo celebrare. Paulinus Nolanus paullo ante obitum Sacrum fecit in altari ante lectum suum erecto, ut narrat in ejus vita Uranius. Lucianus martyr, teste Philostorgio lib. 11. H. E. quum in vinculis detineretur, et careret altari, supra pectus suum obtulit incruentum Sacrificium. Ejusmodi profecto exempla satis demonstrant non fuisse priscis illis temporibus illicitas Missas in quibus solus Sacerdos communicabat.

Prob. 3. Concilium agathense initio saeculi 6. celebratum praecipit fidelibus ut singulis dominicis diebus Sacrificio Missae adsint, atque ut saltem ter in anno communicent. Concilium nannatense jubet Presbyteris ut soli Missam non celebrent, sed unum saltem habeant qui respondeat. Concilium toletanum 12. animadvertens nonnullos Presbyteros in eam incidisse dementiam, ut in Missa quam celebrabant, seipsos non communicarent, eos acriter reprehendit dicens: *Quale erit illud Sacrificium cui nec ipse sacrificans participasse dignoscitur?* Quod si hujus Concilii Patres necessariam existimassent etiam adstantium Communionem, nonne illam inculcassent quemadmodum inculcarunt Communionem sacrificantium?

CAPUT XV.

Argumenta praecipua adversariorum contra singulas statutas propositiones dissolvuntur.

Obj. 1. cont. 1. concl. Ratio cur Christus Eucharistiam instituit, nulla alia fuit nisi ut ea fideles in salutem animae uterentur; extra usum itaque non est in Eucharistia Christus. Antec. patet ex Baptismo aliisque Sacramentis quae extra usum Sacramenta esse desinunt. 2. Concilium matisconense celebratum 6. saeculo praecipit ut reliquiae Eucharistiae quae superfuerint in Sacrario, quarta vel sexta feria a pueris innocentibus consumantur. 3. Hesychius jerosol. lib. 11. in Levit. cap. 8. docet, igni consumendas esse Eucharistiae reliquias absoluto Sacrificio. 4. Clemens R. P. praecipit ut tot offerantur holocausta quot sufficiunt populo; quod si remanserint, Clericorum diligentia consumantur. 5. His suffragatur Origenes scribens hom. 5. in Levit. *Dominus panem quem discipulis dabat, non distulit, nec differri jussit in crastinum.* Ex quibus conficitur Eucharistiam extra usum non esse Sacramentum.

Resp. ad singula, et ad 1. Quamvis Eucharistia in hominum salutem fuerit instituta, non proinde sequitur extra usum non esse in illa realem Christi praesentiam. Et revera, quando Christus hoc Sacramentum instituit, per aliquod temporis spatium, antequam sumeretur ab Apostolis, fuit in ea Christus, nam statim ac Christus illa verba protulit, *Hoc est Corpus meum*, mutatio panis in Christi Corpus facta est; et paullo post Apostoli Eucharistiam susceperunt. Imo majus temporis spatium intercessit inter Calicis consecrationem ejusque sumptionem ab ultimo ex Apostolis, biberunt enim de illo unus post alium. Nec comparatio ex aliis desumpta Sacramen-

tis quidquam conficit; discrimen quippe inter unum aliudque Sacramentum non ab humanae mentis ratiocinatione, sed ab institutoris voluntate petendum est. Quaenam autem fuerit Christi institutoris voluntas cognoscere debemus ex sensu Ecclesiae.

Ad 2. dico 1. Argumentum ex Concilio matisconensi depromptum facere contra lutheranos, quoniam ex eo Concilio apparet servatas fuisse Eucharisticas reliquas in die dominico consecratas ad quartam usque vel sextam feriam; falsum est ergo antiquitus non consuevisse reservari Eucharistiam peracto Sacrificio. 2. Illud autem Concilium praecipit dari infantibus Hostias reservatas, quoniam existimavit periculum esse ne progressu temporis corrumperentur, quamvis disciplina haec non ubique viguerit.

Ad 3. Hoc ipsum reponendum est ad textum Hesychii. Existimabant nonnulli veteres a speciebus Eucharisticis tendentibus ad corruptionem recedere Corpus et Sanguinem Domini, et ne irreverenter species illae tractarentur, in nonnullis ecclesiis igni tradebantur. An recte ita crederent non est hujus loci definire. Interim ex his apparet post Sacrificium reservari solitas ubique species eucharisticas.

Ad 4. Nemo est inter eruditos qui nesciat epistolam 2. sub nomine Clementis III. citatam esse supposititiam, unde nullam meretur fidem. Praeterea in ea epistola larvatus auctor praecipit eucharisticas species diligenter esse custodiendas ne computrescant.

Ad 5. Docet Origenes Christum statim post consecratam Eucharistiam illam distribuisse discipulis suis, quod legitur etiam in Evangeliis. Numquid proinde negat servari posse? Nihil ergo habent protestantes ad catholicam Fidem labefactandam nisi contradicendi libidinem.

Obj. 2. cont. 2. concl. multa quae enervare videntur argumentum nostrum deductum a Sacrificio panis et vini oblato a Melchisedecho qui fuit figura Christi Domini. Sed ea soluta vide in tract. nostro de Incarn. ubi disseruimus de Christi Sacerdotio.

Obj. 3. adv. eamd. concl. 1. Argumentum depromptum ex actione Christi in suprema coena nihil concludit, nam legitur quidem in Evangelio Christum ad mensam cum Apostolis sedisse, panem fregisse, ac distribuisse discumbentibus, sed non legitur instituisse Sacrificium. 2. Immo contrarium potius ex Evangelio habemus; in sacrificio enim hostia occidi debet; sed numquid Christus in ultima coena occisus est, et Sanguinem fudit? 3. Neque dicant Romani Christi Sanguinem fusum fuisse tunc mystice, quatenus calix a pane separatim fuit consecratus, haec enim subtilia magis sunt quam vera, quum in Evangelio legatur, *quod pro vobis fundetur*, *qui pro vobis fundetur*, in futuro tempore; quare sensus erit Christum in postrema coena dedisse panem et vinum discipulis suis prout erant figura Corporis et Sanguinis sui in Cruce non multo post offerendi. 4. Et revera si Christus in ultima coena Eucharistiam tamquam Sacramentum instituit ad nostram sanctificationem, quomodo dici potest obtulisse Sacrificium ad obsequium praestandum Deo?

Resp. ad 1. Christum Dominum in postrema coena verum obtulisse

sacrificium demonstravimus jam concl. 2. falsumque est, id non legi in Evangelio; nam narratur ibi Dominum Jesum consecrasse vinum separatim a pane, illudque transubstantiatum appellasse Sanguinem suum. Neque necesse erat ut Christus consecrando panem ac vinum diceret expresse, *offero Sacrificium*, sicuti necesse non erat ut Sacerdotes in V. T. immolando victimas dicerent, *offero*, *sacrifico* etc.

Ad 2. dico 1. Falsum est hostiam in Sacrificio semper esse occidendam, aliud enim est Sacrificium cruentum, aliud incruentum, ut initio antecedentis capitis animadvertimus; et veri nominis Sacrificia incruenta habebant cultores quoque veteris Testamenti, et incruentum fuit Sacrificium illud quod in pane et vino obtulit Melchisedech, quod figura fuit Sacrificii oblati a Christo Domino. 2. Ceterum etsi in ultima Coena non fuerit Christus occisus, non defuit tamen mystica separatio Sanguinis a Corpore, ut saepe animadvertimus, quod sufficit ad veram Sacrificii rationem.

Ad 3. Nec quidquam officit allatae explicationi quod in nostra latina Vulgata et in Canone Missae legantur verba futuri temporis, *tradetur*, *fundetur*, nam praeterquam quod laudatis in locis eadem verba repetuntur etiam in praesenti tempore, *datur*, *funditur*, utraque lectio optime cohaeret cum nostro systemate. Si namque ea verba legenda sint in praesenti tempore, jam tunc Christus Corpus suum seorsim a Sanguine consecravit, et en Sacrificium proprie dictum. Si vero legantur ea verba in futuro, sensus erit Christum in ultima Coena obtulisse seipsum in Sacrificium modo incruento in signum Sacrificii cruenti quod paullo post offerre debebat in Cruce.

Ad 4. Non video cur eadem Eucharistia habere nequeat rationem Sacramenti et rationem Sacrificii. Etiam per protestantes unum idemque Christi Corpus in ultima Coena rationem habuit Sacramenti ad discipulorum sanctificationem, et in Coena rationem habuit Sacrificii ad redemptionem. Et Agnus paschalis in V. T. offerebatur in Sacrificium Deo, et erat Sacramentum Christum Dominum praefigurans.

Obj. 4. cont. eamd. 2. concl Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 7. *Et alii quidem*, inquit, *plures facti sunt Sacerdotes*, *idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum*, *sempiternum habet Sacerdotium .... Qui non habet necessitatem quotidie*, *quemadmodum Sacerdotes*, *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel*, *seipsum offerendo*. Et cap. 9. *Introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.* Et iterum: *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Ex quibus haec sequuntur. 1. In novo Testamento unicum illudque singulare est Sacrificium quod obtulit Christus in sanctificationem; nam illud est, per Apostolum, inter vetus novumque Testamentum discrimen, quod tunc plures essent Sacerdotes, nunc unus sit qui manet in aeternum; sed ubi nullus, praeter Christum, est Sacerdos, nullus est qui offerat Sacrificium; ergo etc. 2. Nec staret V. ac N. T. discrimen si etiam nunc ut in antiquis temporibus et plures essent Sacerdotes, et plures hostiae offerrentur. 3. Assignans Apostolus caussam cur multa in V. T. offerrentur Sacrificia, in novo autem unicum oblatum sit, illud nempe cruen-

tum Crucis, inquit, Sacerdotes V. T. fuisse homines infirmos et peccatores, Christum autem esse innocentem, impollutum, et Filium Dei; ast si adhuc necessarium esset Sacrificium incruentum, jam sufficiens non fuisset illud a Christo oblatum, quasi fuerit ipse Sacerdos qui debuerit pro se Sacrificium offerre, vel cujus meritum satis non fuerit ad multorum exhaurienda peccata; ergo etc. 4. Apostolus denique affirmat Christum semel introisse in sancta, semel oblatum fuisse, et quidem ad exhaurienda peccata, ut aeternam inveniret redemptionem, ut una oblatione consummaret in sempiternum sanctificationem. Ad quid ergo Sacrificia quotidiana ?

Resp. ad 1. Unum est in nova lege Sacrificium a Christo in ara Crucis oblatum quatenus illud unicum, quoniam pretii infiniti, valuit ad redemptionem universorum hominum . Illud autem cruentum Sacrificium non excludit , imo exigit Sacrificium incruentum per quod passionis Christi pretium nobis applicetur , unde Christus ipse dixit discipulis suis , *Hoc facite in meam commemorationem* . Falsum est autem nullum nunc esse Sacerdotem qui Sacrificium offerat incruentum. Nec officit discrimen a Paulo statutum inter veteris novique Testamenti Sacerdotium , nam discrimen in hoc consistit, quod veteris legis Sacerdotes utpote qui morte prohiberentur permanere haberent successores , Christo autem eo quod maneat in aeternum , nemo succedat ; quum novi foederis Sacerdotes sint ministri et dispensatores mysteriorum Dei, non Christi successores .

Ad 2. Stat optime discrimen ab Apostolo statutum inter V. ac N. Testamentum etiamsi Sacrificium a nobis iteretur, idque multiplici ex capite. 1. Quoniam nunc una semper immolatur incruenta victima; antiquitus autem diversi generis victimae offerebantur . 2. Per victimam a nobis oblatam remittuntur cujusvis speciei peccata ; in veteri autem lege alia offerebatur pro peccato, alia pro legali immunditia etc. 3. Apud nos quum per quotidianas oblationes applicetur nobis pretium et virtus Sacrificii cruenti in Cruce semel oblati, oblationes illae vim habent per se sanctificandi .

Ad 3. Bene habet Apostolus, in V. T. multa necessaria fuisse Sacrificia, quoniam illius legis Sacerdotes quum homines essent infirmi et peccatores, hostiae quas offerebant finiti meriti et exigui erant valoris . Ast Christus Dominus quum esset innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, uno verbo, Deus, Sacrificium obtulit pretii et valoris infiniti ad omnium hominum exhaurienda peccata. Hinc autem non deducitur inutilem esse quotidianam Hostiam quae a Sacerdotibus nostris ministris Christi offertur, quum per illam applicetur nobis fructus illius Hostiae quam Christus obtulit in Cruce . Multoque minus dici potest incruentum hoc Sacrificium injuriam inferre illi a Christo Domino oblato , quum in illius offeratur commemorationem, et ut offerretur per ministros suos praeceptum sit a Christo Domino .

Ad 4. Christus semel mortuus est, semel obtulit semetipsum . Quid inde ? Sacrificium quod a nostris offertur Sacerdotibus non differt a Sacrificio oblato a Christo, sed unum cum illo idemque est, tum ratione primi ac Summi Sacerdotis qui Sacerdotium nostrum fundavit , tum ratione

Hostiae immolatae quae est ipse Christus: nec aliud in Sacrificii oblatione Sacerdotes nostri faciunt quam applicare nobis fructum cruentae immolationis in Cruce peractae, idque ex Christi ipsius institutione.

Obj. 5. cont. 3. concl. 1. Si Eucharistiae Sacrificium esset propitiatorium et impetratorium, deberet alteri proculdubio prodesse. Non prodest autem, nam Baptismus prodest illi tantum qui abluitur, unde etiam Eucharistia. 2. Si Eucharistia Sacrificium esset propitiatorium, supervacaneum esset alia percipere Sacramenta ad peccatorum remissionem; una sufficeret Missa ad obtinendam justificationem, quod etiam per Catholicos absurdum est.

Resp. ad 1. non consistere allatam comparationem, Sacramentum enim ad hoc institutum est ut sanctificet suscipientem. Ast Sacrificium non solum ordinatur ad obsequium exhibendum supremo Numini, sed etiam ad sacrificantis aliorumque sanctificationem.

Ad 2. Supponit argumentum, Sacrificium per Catholicos proxime ac directe remittere peccata, quod falsum est; per nos enim Sacrificium Missæ impetrat remissionem peccatorum, quatenus obtinet a Deo gratiam qua moveamur ad agendam poenitentiam, et justificationem recipiendam per Sacramenta: atque ita nihil argumento suo Kemnicius concludit.

Obj. 6. cont. 5. concl. Christus Dominus in ultima Coena postquam consecravit, non solum ipse comedit, sed distribuit Corpus et Sanguinem suum discumbentibus, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo in Missa non debet solus Sacerdos communicare. 2. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 10. appellat Eucharistiam participationem Corporis Domini. Et cap 11. *Convenientibus,* inquit, *vobis in unum, jam non est dominicam Coenam manducare*; *unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum*: ubi privatam coenam aperte repudiat, affirmans non esse illam Coenam dominicam. 3. Utriusque Ecclesiae tum occidentalis tum orientalis liturgiae multa continent quae demonstrant debere adstantes de Corpore et Sanguine Domini participare: ergo etc.

Resp. ad 1. Debet Sacerdos omnia quae Christus fecit in suprema Coena, in Missa servare et facere, ex iis tamen quae ad Sacrificii essentiam pertinent. Quae autem sint ad essentiam Sacrificii spectantia, ad Ecclesiam, non ad privatos homines pertinet definire. Cumque Ecclesia semper privatas Missas approbaverit, consequitur eas licitas esse etiamsi solus Sacerdos communicet. Quod si omnia et singula quae fecit Christus servanda essent a Sacerdotibus, concludendum foret Missam celebrandam esse semel in anno, post Coenam, et de illa debere viros tantum, non mulieres participare, quoniam sic fecit Christus.

Ad 2. Ex quo Apostolus appellet Eucharistiam participationem Corporis Domini in 1. ad Cor. cap. 10. agnoscimus in Communione sumi Corpus Christi a quibus sumitur, contra quam sentiant Calvinistae, sed non sequitur, nunquam consecratum fuisse Christi Corpus nisi in publico conventu ubi adstantes de illo participarent. In cap. autem 11. non loquitur Paulus de Coena Eucharistica, sed de coena quadam communi quae grae-

co nomine *agape* dicebatur: Et rem ita se habere patet ex contextu, nam in ea coena de qua loquitur, alius quidem esuriebat, alius autem ebrius erat, quod de participatione Eucharistiae sub vini specie nequit intelligi. Addit deinde, *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum*? Ast in privatis domibus a laicis non fiebat Coena Eucharistica. Quare reprehendit ibi Paulus divites qui cum in communibus illis coenis caritatis pauperes promiscue cum divitibus mensae accumbere deberent, et de cibis domo asportatis participare, caeperunt divites aspernari pauperes, nec illos ad mensam admittere, quod apostolica reprehensione utique dignum erat. Quid ergo hoc contra Missas privatas?

Ad 3. dico 1. Si liturgiis utriusque Ecclesiae, orientalis nempe et occidentalis standum est, coguntur protestantes fateri Eucharistiam rationem habere non Sacramenti dumtaxat, sed etiam Sacrificii; id enim apertissime ex liturgiis colligitur. 2. Laudatis in liturgiis loquitur Sacerdos in communi, tum quia legatione fungitur apud Deum non pro se tantum, sed etiam pro populo; tum quia saepe multi, licet non semper, de Altari participant; tum denique quoniam nonnulli communicant desiderio et spiritualiter. Atque ita nihil habent protestantes quo jure reprehendere possint Catholicae Ecclesiae consuetudinem de Missis privatis in quibus solus Sacerdos communicat. Utinam dignetur Deus pro largitate sua fructum Sanguinis, passionis, et mortis Unigeniti Filii sui de quo in Altari participamus applicare errantibus fratribus nostris ut tandem aliquando ad cor revertentes, in spiritu veritatis et caritatis nobiscum in vitae novitate divinum Corpus sumant, et sacrum potent Cruorem, ut sancta membra mystici Corporis Christi quod est Ecclesia fiant. Atque haec pauca in gratiam tyronum de Eucharistia scripsisse sufficiant, qui enim ampliorem de hoc argumento desiderat tractationem, in promptu sunt innumerabiles ferme praeclarissimi scriptores qui de re sacramentaria fusissimo stylo disputarunt, ad quos lectores remittimus.

Finis libri XXXVIII.



INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXXIX.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

Ordo veluti naturalis Sacramentorum postulasset ut prius de Poenitentiae, deinde de Eucharistiae sacratissimo mysterio pertractaremus; neque enim iis qui semel lapsi sunt in peccatum ad sacram Mensam accedere licet nisi prius veteri per Poenitentiam expurgato fermento, divinae Majestati ad iracundiam per legis transgressionem provocatae, mediante Sacramento reconcilientur. Verum consuetudo penes omnes fere Theologos invaluit de Sacramento Poenitentiae quarto loco et post Eucharistiam pertractare, tum quia dignitate et excellentia reliquis Sacramentis, ut suo loco diximus, Eucharistia praestat; tum etiam quoniam antiquis temporibus post Baptismum et Confirmationem non adultis modo, sed parvulis quoque Christi Corpus et Sanguis tradebantur; tum denique quoniam multi sunt in Ecclesia qui sanctificantem gratiam in Baptismo receptam per diutinum vitae tempus retinentes, divinissimo illo Sacramento fraudari minime debent. Iis ergo quae ad Eucharistiam pertinent satis pro instituti nostri ratione disputatis, ad disserendum de Sacramento Poenitentiae gressum adjuvante Deo faciamus.

CAPUT I.

De nomine ac divisione Poenit. et utrum sit illa novae Legis Sacramentum.

Multa disserere solent Theologi de nominis Poenitentiae etymologia et grammaticali originatione, nec sine caussa aut inutiliter prorsus, ut in pluribus aliis fecerunt scholastici. Nam Lutherus cui adhaesere Calvinus, Beza, aliique protestantes, ut praeconceptam semel falsam de justificatione opinionem, quod sola nudaque Fide, seu potius fiducia in Christum fiat, nova captiuncula confirmaret, etiam nominis poenitentiae abuti voluit etymologia. Et animadvertens graeco sermone, μετάνοιαν, quae vox *resipiscentiam* proprie significare videtur, quam saepissime appellari, hanc admittere maluit ejusdem vocis intelligentiam, ut inde concluderet Poenitentiam vitae mutationem quidem, non autem de praeterito malo poenam vel dolorem importare. Hinc merito Theologi nostri ad sartam tectamque Fidem adversus irritos haereticorum conatus conservandam, de nominis Poenitentiae etymologia coacti sunt disputare.

Et felici quidem, ut arbitror, exitu, nam si latinum Poenitentiae nomen spectare velimus, nemini dubium quin a poena vel a punitione descendat, et Poenitentia idem sit ac, *punientia*, vel ut Isidorus hispalensis in lib. 7. Origin. cap. ult. eam appellat, *Punitentia. Poenitentia*, inquit, *appellatur quasi punitentia, eo quod ipse homo puniat poenitendo in se, quod male admisit:* vel idem sit, *poenitere*, ac *poenam tenere*, ut ait Augustinus. Latina itaque vox *poenitentia* non vitae tantum mutationem, ut protestantes volunt, sed poenam quoque, animique de admisso scelere tristitiam, criminumque significat punitionem.

Atque hoc sensu revera vox illa semper accipitur in Scripturis, Job enim postremo libri sui capite, *Ago*, inquit, *poenitentiam in favilla et cinere*. Isaias cap. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*; quibus similia poenitens David habet pluribus in locis. Et Joel cap. 2. invitans Deus peccatores ad poenitentiam, *Convertimini ad me*, inquit, *in toto corde vestro*, *in jejunio*, *et in fletu*, *et in planctu*, *et scindite corda vestra*, *et non vestimenta vestra*. Et ninivitae nonne ad praedicationem Jonae poenitentiam in jejunio, in sacco, et cinere egerunt? Etiam in novo Testamento Matth. cap. 11. loquens Christus de poenitentia, quam tyrii et sidonii fecissent si datum eis fuisset illius signa et virtutes videre, describit illam per opera satisfactoria, per cinerem videlicet et cilicium. Quod plane significare voluit Praecursor quando Lucae cap. 3. ajebat, *Facite fructus dignos poenitentiae*. Vox ergo latina, *poenitentia*, non significat modo melioris vitae propositum, sed animi quoque amaritudinem, admissorumque scelerum detestationem atque punitionem.

Adstipulantur his unanimiter veteres Ecclesiae Patres. Nam praeter sententias Isidori et Augustini nuper laudatas, S. Cyprianus in lib. de lapsis, *Poenitentia*, inquit, *non sit minor crimine*. Ambrosius apud Gratianum dist. 3. cap. 1. *Poenitentia est et mala praeterita plangere*, *et plangenda non admittere*. Et S. P. Augustinus hom. 50. nunc serm. 351. de divers. *Non sufficit*, inquit, *ad poenitentiam mores in melius commutare*, *et a factis malis recedere*: *nisi etiam de his quae facta sunt*, *satisfiat Deo per poenitentiae dolorem*, *per humilitatis gemitum*, *per contriti cordis sacrificium*, *cooperantibus eleemosynis*. In re tam clara non opus est plura testimonia congerere. Protestantes ergo injuria prorsus veterum omnium notionem de poenitentia immutarunt, audacter effutientes nil aliud in se includere nisi melioris vitae propositum, non autem punitionem, animi amaritudinem, aliaque opera satisfactoria.

Sed recurrunt ipsi ut proprium tueantur errorem ad graeci nominis μετα'νοιας etymologiam quae in suo conceptu nil aliud continet nisi *resipiscentiam*; venit enim a verbo μετανοεῖν quod proprie significat *mentem mutare*, *ad mentem redire*. Et vero, inquiunt, nonne stultitiam sapit de praeterito scelere dolere? Quasi quod factum est infectum fieri possit. Hinc vulgatum illud apud sanctos Patres effatum, *vera poenitentia*, *nova vita*.

Verum nihil prorsus hisce argutiunculis proficiunt. Et quoad primam objectionis partem. 1. Poenitentia apud graecos non solum μετανοια *metanoea* appellatur, sed et εξομολογεσ'ις *exomologesis*, et Επιτιμιοχ *epitimion*. Porro si metanoea significat resipiscentiam, exomologesis sonat confessionem, et in sui notione includit actus omnes quibus poenitentes reconciliantur Deo, ut jamdudum observarunt Cyprianus et Tertullianus; adeoque et detestationem peccati, et animi dolorem, satisfactionemque poenalem. Epitimion vero idem est ac poena seu multa peccato debita, a verbo, επιτιμα'ω, *interminor*, *reprehendo*, seu *vindictam sumo*, et ita significat supplicium. Quod vero graeci poenitentiam frequenter nominent metanoeam, resipiscentiam, non excludunt proinde a poenitente reliquos actus, dolorem sci-

licet peccatorum, illorumque punitionem. Imo resipiscentia inter poenitentis actus priorem tempore tenet locum, ab illa nempe incipit peccatoris conversio ad Deum.

Ad 2. Stultus quidem esset homo si de admisso peccato eo fine doleret ut quod jam praeteriit, factum non sit. Ast qui de anteacta vita poenitentiam agit, dolet, et pro patratis criminibus poenam luit ut divinae justitiae satisfaciat, veniamque obtineat et misericordiam, quod sapientis hominis est.

Ad 3. Ex quo Patres dicant, *vera poenitentia*, *nova vita*, non consequitur Poenitentiam solam praeteritae vitae mutationem importare cum aliorum actuum exclusione, nam iidem Patres, post Scripturam, veram Poenitentiam describunt etiam per dolorem cordis, et carnis macerationem, ut supra animadvertimus; quare per illud effatum nil aliud significare voluerunt quam novam vitam esse verae Poenitentiae indicium Atque haec pauca sufficiant de nomine Poenitentiae ejusque significatione.

In assignanda Poenitentiae divisione non est diutius immorandum, quum omnes optime noverint accipi communiter a Theologis post sanctos Patres, et prout virtus est, et prout est Sacramentum. Poenitentia ut virtus optime definiri solet, *Animi motus ad detestationem admissi peccati ad firmum habendum propositum non peccandi de cetero, et satisfaciendi pro injuria Deo illata.* Optima, inquam, est allata definitio, colligitur enim ex tridentino Concilio ubi serm. 14. cap. 4. haec occurrunt: *Actus virtutis Poenitentiae seu contritio est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Penitentia vero prout est Sacramentum definiri potest, *Sacramentum novae Legis a Christo Domino institutum, ut peccata post Baptismum admissa remittantur iis qui confessi et vere contriti petunt a Sacerdote absolutionem.* De Poenitentia prout virtus est, plura hoc in loco disquirere non est opus, quum de illa disserendum sit fuse in subsequentibus ubi de materia Poenitentiae prout est Sacramentum, pertractabimus. Illud unum interim animadverto, hoc esse discrimen inter virtutem et Sacramentum Poenitentiae, quod illa tota ex parte poenitentis se teneat, haec autem se teneat etiam ex parte ministri absolutionem impendentis, ut ex allatis definitionibus patet. Rursus illa fuit quovis tempore necessaria ad impetrandam veniam peccatorum, ut Tridentinum loco nuperrime citato ait; haec autem necessaria sit dumtaxat baptizatis. His hoc modo praelibatis inquiramus nunc utrum Poenitentia sit novae Legis Sacramentum.

Montanus, Novatus, illorumque primi discipuli ex albo Sacramentorum expunxisse videntur Poenitentiam, ut testes sunt locupletissimi Epiphanius haer. 69. Ambrosius lib. 1. de poenit. cap. 3. Philastrius haer. 83. aliique veteres scriptores. Progressu autem temporis ab Ecclesiae auctoritate montanistae ac novatiani superati fassi quidem sunt Poenitentiam esse Sacramentum, sed praeconceptae opinioni aliquomodo adhaerentes, praefracte negarunt posse per illam graviora remitti peccata. Valdenses, wicleffistae, hussitae de Poenitentia catholice senserunt, licet a scholasticis erroris insimulentur,

ut erudite pro more suo demonstrat Bossuetius in hist. Variation. Sed in hoc peccarunt quod vellent, sacerdotes improbos auctoritatem non habere absolvendi. Quid vero protestantes? Lutherus ejusque fidus discipulus Melancton modo admittunt, modo vero negant hoc Sacramentum. Kemnitius, Illyricus, Vigandus absolute negant, duo tantum confitentes divina mysteria, Baptismum et Eucharistiam. Eamdem viam ingressus Calvinus non modo e censu Sacramentorum sustulit Poenitentiam, sed omnia Scripturae loca in quibus commendatur exponit de Baptismi reminiscentia; de quo Calvini errore capite sequenti. Interim contra recentiores omnes haereticos sit

CONCLUSIO

Poenitentia est novae Legis Sacramentum a Christo Domino institutum.

Prob. 1. Scripturis. Christus Dominus contulit Ecclesiae suae potestatem remittendi peccata. Hoc fit a Sacerdotibus Ecclesiae ministris per Sacramentum Poenitentiae: ergo Poenitentia est novae Legis Sacramentum. Ambae syllogismi praemissae demonstrandae sunt. Prob. itaque major. Christus Dominus post Resurrectionem suam antequam in Coelum ascenderet, vocans ad se discipulos suos, insufflavit in eos, dicens Joan. cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt*: sive ut Matth. ait cap. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Coelo.* Quae Christi verba intelligi certe nequeunt de praedicatione Evangelii per quam Fides excitatur, cui soli debeatur justificatio, ut arbitratur Calvinus, juxta illud Hieronymi in cap. 46. Isaiae: *Solvunt eos Apostoli sermone Dei, et testimoniis Scripturarum, et exhortatione virtutum.* Nam antequam Calvinus laudatae Christi sententiae proponat intelligentiam, suadeat necesse est solam Fidem seu vanam quamdam a protestantibus somniatam fiduciam hominem peccatorem justificare, quod numquam assequi poterit, ut agentes de justificatione demonstravimus. Deinde dum minister Evangelium omnibus annuntiat, numquid aliquorum peccata retinet? Et tamen Christus inquit, *quorum remiseritis, quorum retinueritis, quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis.* Neque Hieronymus favet calvinistis. Praedicatione namque Evangelii, et exhortatione virtutum solvuntur quidem peccata, sed remote et dispositive, quatenus nempe per verbum Dei praedicatum disponuntur homines ad peccatorum veniam obtinendam per claves a Christo traditas Ecclesiae suae. Nefas est ergo dubitare quin praeclara illa sententia voluerit Christus Ecclesiae suae pastoribus conferre auctoritatem remittendi peccata, ut semper tenuit Ecclesia. Quod autem illius potestatis collatio verum ac proprie dictum importet Sacramentum, ut in minori syllogismi propositione affirmavimus, apertissime patet; tria enim ad verum constituendum Sacramentum requiruntur. Dei nempe institutio, signum externum ac sensibile, et productio gratiae sanctificantis. Et ritum illum qui a Catholica Ecclesia dicitur Poenitentia fuisse

a Deo institutum apertissime evincitur ex allata Christi sententia, *quorum remiseritis etc.* Esse vero externum ac sensibile signum nemo negaverit qui peccatorem ad Sacerdotis pedes provolutum cernat peccata sua confitentem, et simul audiat Sacerdotem judiciaria praeditum potestate hanc sententiam pronunciantem, *Ego te absolvo etc.* Ast ex illa prolata a ministro absolutione consequitur Gratiae sanctificantis collatio, si requisita non careat poenitens dispositione, quum peccatorum remissio et absolutio absque Gratia sanctificante haberi non possit; ut in libro de justificatione animadvertimus.

Prob. 2. auctoritate veterum Patrum qui cum diu ante exortum protestantium schisma vixerint, suspectae fidei esse profecto non possunt. Sed in eorum afferendis sententiis parcus ero, quum plura illorum testimonia exhibenda sint ubi de Confessione disserendum erit. Tertullianus itaque lib. de Poenit. cap. 3. *Deus*, inquit, *clausa licet innocentiae janua, et intinctionis obstructa sera, aliquid adhuc permisit patere, collocavit in vestibulo Poenitentiam secundam quae pulsantibus patefaciat.* Haec Tertulliani verba intelligi nequeunt de Poenitentia prout virtus est, multoque minus de sola resipiscentia, tum quia eodem modo de Poenitentia ac de Baptismo loquitur, tum etiam quoniam ejusdem libri cap. 9. rursus de Poenitentia loquens appellat illam graeco nomine Exomolegesim, nempe Confessionem. S. Cyprianus in lib. de lapsis, *Gratam esse*, ait, *remissionem peccatorum factam per Sacerdotes.* Et in ep. 54. quae est ad Cornelium R. P. idem repetit afferendo Christi verba, *quaecumque solveritis etc.* S. Ambrosius lib. 1. de Poenit. cap. 8. Poenitentiam expresse appellat mysterium, hoc est, Sacramentum: *Nec interest utrum per Poenitentiam, an per Lavacrum hoc jus sibi vindicent Sacerdotes, idem in utroque mysterio est.* S. Hieronymus lib. 1. dial. adv. Pelag. *Redimatur Sanguine Salvatoris, aut in dono Baptismi, aut in Poenitentia quae imitatur Baptismi gratiam.* S. P. Augustinus ep. 228. alias 180. ad Honoratum coepiscopum: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema . . . quantus in Ecclesia fieri soleat . . . concursus aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem, et Sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati?* Chrysostomi, Cyrilli Alex. Theophylacti, aliorumque tum graecorum tum latinorum PP. testimonia silentio praetereo, quum afferri debeant ubi agendum erit de Confessione. Interim animadverto quod si in nonnullorum veterum Patrum scriptis aut nulla aut non tam clara hujus Sacramenti occurrit commemoratio, non erit id in praejudicium catholici dogmatis trahendum, 1. Quoniam pauca admodum ecclesiasticorum scriptorum secundi et tertii sæculi opera ad manus nostras pervenerunt. 2. Quoniam antiqui illi Patres ad infideles confutandos vel ad imbuendos cathecumenos plerumque scribebant, quibus Religionis mysteria consuetum non erat revelare. 3. Quoniam ab adversariis de Fide habentur non pauca consimilia quae in priscis illis scriptoribus non inveniuntur. Interrupta ergo Traditio Ecclesiae hac in causa non calvinistis, sed Catholicis

favet. In cujus Traditionis confirmationem accedit, quod omnes particulares ecclesiae sive in oriente sive in occidente sitae, imo falsae etiam ecclesiae diversarum sectarum quae in partibus orientalibus vigent habuerunt semper et adhuc habent in illorum liturgicis libris et in publicos usus Poenitentiam tamquam legitimum Sacramentum a Christo institutum. Neque parvi facienda est Theologorum qui a 12. saeculo ad hanc usque nostram aetatem scripserunt mira in hoc confitendo Sacramento consensio; undenam enim doctrinam hanc acceperunt nisi ab Ecclesiae Patribus? Dicant, quaeso, calviniani, si non a Christo ritus ille sacer quem Poenitentiam appellamus traditus est Ecclesiae, quinam primus fuerit qui contulerit Poenitentiae Sacramenti honorem? Quo tempore, quibus in circumstantiis in album Sacramentorum irrepserit? Fabulas quidem nobis vendere poterunt, sed numquam vera primordia invenient nisi recurrant ad Christi Domini institutionem, quemadmodum Catholici faciunt, atque cum illis confiteantur quod sicuti Matrimonii contractum ad esse Sacramenti Christus omnipotenti sua virtute elevavit, ita dignatus sit elevare ad rationem Sacramenti virtutem Poenitentiae ad medendum animi nostri languoribus, ad reconciliationem cum Deo obtinendam, et ad spem habendam salutis in Sanguine suo per Sacramentum istud, ut et per alia nobis applicato. Jure ergo tridentinum Concilium sess. 14. cap. 1. catholicam Fidem definivit adversus calvinistas his verbis: *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Poenitentiam non esse verum, ac proprie dictum Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino institutum, anathema sit.* Quae ab adversariis opponi solent, soluta vide cap. seq. ubi demonstrabimus Poenitentiam esse Sacramentum a Baptismate distinctum. Eadem enim argumenta contra utrumque catholicum dogma afferre solent.

CAPUT II.

Demonstratur adversus haereticos Poenitentiam esse Sacramentum a Baptismate distinctum.

Ioannes Calvinus ad differentiam Lutheri qui modo negabat, modo confitebatur Poenitentiam esse novae Legis Sacramentum, semper in praeconcepta jam falsa opinione de duobus dumtaxat a Christo Domino institutis Sacramentis, Baptismate videlicet, et Eucharistia, constans perseveravit. Ne videretur autem lapsis post Baptismum medium omne ad resurgendum, adeoque ad spem obtinendae a Deo veniae pro admissis criminibus denegare, novum quoddam commentum, ut praecedenti capite diximus, excogitavit, sufficere nempe ad maculas omnes abstergendas Baptismum semel acceptum in memoriam revocare, eamque reminiscentiam Sacramentum posse sensu non coacto appellari, dummodo Sacramenti nomen referatur ad Baptismum. Atque ad portentum hoc suum confirmandum Apostoli sententiam quae prostat cap. 5. ad Eph. in pravum sensum detorquet, addita male

intellecta S. P. Augustini interpretatione. Et huic errori adeo firmiter adhaesit ut in lib. 4. Instit. cap. 8. veritus non sit impietatis accusare dictum illud Hieronymi, *Poenitentia secunda est post naufragium tabula*; quum enim verba illa Hieronymi sibi objecisset, statim subdit, *Cujuscumque sit* (dictum illud) *quin plane impium sit, excusari nequit etc.* Adversus perniciosum illud systema sit

CONCLUSIO

Poenitentia est Sacramentum a Baptismate diversum.

Prob. 1. Ea Sacramenta ad invicem realiter distincta censeri debent quae diversam habent materiam, diversamque formam, quaeque discrepant in ministro et in effectu; in his enim Sacramentorum essentia consistit. Poenitentia revera differt a Sacramento Baptismi in materia, in forma, in ministro, in effectu; quod demonstro Concilii tridentini non quidem auctoritate, quum sectarii admittere recusant, sed rationibus quae habentur sess. 14. cap. 4. *Hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam praeter quam quod materia, et forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet; constat certe Baptismi ministrum judicem esse non oportere . . . Secus est de domesticis Fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismate ablui . . . sed ante hoc Tribunal tamquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerent, possent liberari. Alius deinde est Baptismi, et alius Poenitentiae fructus; per Baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura. . . ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum Poenitentiae sine magnis nostris fletibus, et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito Poenitentia laboriosus quidam Baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit.*

Prob. 2. ex constanti omnium saeculorum Ecclesiae Fide quae aliunde melius dignosci non potest quam ex SS. PP. disertis testimoniis. Nec per omnia saecula excurrere necesse est, quum heterodoxi temere prorsus effutiant, subsequentium temporum Ecclesiam per vanas hominum traditiones fuisse corruptam, adeoque illorum temporum Patres non esse audiendos. Origines ergo hom. 11. in Levit. *Non erubescit peccator*, inquit, *Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quaerere medicinam.* Tertullianus lib. de Poenit. cap. 7. *Cum scias, adversus gehennam post prima illa intinctionis dominicae monimenta esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris?* S. Cyprianus tract. de laps. cap. 12. *Confiteantur singuli, dum satisfactio, et remissio facta per Sacerdotes apud Deum valet.* S. Pacianus in ep. 1. sic alloquitur Sympronianum novatianum affirmantem graviora peccata solum Deum remittere: *Solus hoc*

inquies, Deus poterit, verum est: sed et quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est; num quid illud est quod Apostolis dicit: Quae ligaveritis in terris etc. ergo et baptizare solis licet (Apostolis), *et Spiritum S. dare solis, et solis gentium peccata purgare?* Haec est objectio Symproniani quam solvit affirmando potestatem baptizandi, confirmandi, et peccata remittendi datam fuisse Apostolorum quoque successoribus. Quare Baptismus, Confirmatio, et Poenitentia sunt per Pacianum tria distincta Sacramenta. Consimili utitur argumento ad eamdem solvendam novatianorum objectionem S. Ambrosius in lib. de Poenit. cap. 11. et cap. 8. subdit: *Cur baptizatis, si per hominem peccata remitti non licet? . . . Nec interest utrum per Poenitentiam, an per Lavacrum hoc jus sibi datum vendicent Sacerdotes, unum in utroque ministerium est.* Vides duo diversa Sacramenta? S. Cyrillus Alex. lib. 12. in Joan. *Duobus modis,* inquit, *Dei Spiritu afflati homines peccata remittunt, ac retinent: vel cum dignos admittunt ad Baptismum, et indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiae peccantes corripiunt, ac poenitentibus ignoscunt.* S. Hiernoymus lib. dial. adv. Pelag. 1. docet, *Duobus maxime Sacramentis nobis Sanguinem Christi applicari, in Baptismate scilicet, et in Poenitentia, quae imitatur Baptismi gratiam.* S. P. Augustinus in lib. 11. de adulterinis conjug. cap. 16. scribit: *Si a cathecumeno factum est* (homicidium), *Baptismate abluitur, et si a baptizato, Poenitentia et reconciliatione sanatur.* In ep. ad Bonifacium episc. ait de parvulo qui gratiam in Baptismo receptam propria impietate progrediente tempore amittit: *Si aetatis accessu tam malus evaserit, tunc . . . propria incipiet habere peccata, quae non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.* Et in ep. demum ad Honoratum supra cit. loquens de Ecclesiae periculis tempore persecutionis, graphice describit fidelium concursum ad Sacerdotes, petentibus aliis Baptismum, aliis Poenitentiam, et reconciliationem, omnibus vero consolationem, et aliorum Sacramentorum confectionem atque erogationem. *Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati?* Numquid ad Baptismi reminiscentiam necessarii sunt ministri? Brevitati consulens innumera alia mitto Patrum testimonia, haec namque pauca satis sunt ad demonstrandum perpetuam Ecclesiae Fidem fuisse Baptismum et Poenitentiam duo esse distincta Sacramenta.

Haereticorum sophismata expelluntur.

Obj. 1. cum Calvinistis. 1. Verba Christi, *Quorum remiseritis peccata etc.* de praedicatione Evangelii, non de judiciaria potestate sunt intelligenda; illam enim tantum exercuerunt Apostoli, ut Actor. cap. 2. legitur, ubi Petrus ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum*: quibus gemina habentur cap. 5. 17. et 26. eorumdem Actuum. 2. Et revera in laudatis Actibus nullibi habetur Apostolos judiciariam exercuisse potestatem. 3. Admissa semel illorum verborum, juxta Catholicos, interpretatione sequeretur

tam esse proprium Sacramenti Poenitentiae solvere quam retinere peccata. Unde cogimur affirmare Poenitentiam esse Baptismi reminiscentiam.

Resp. ad 1. verba illa Christi proprie significare judiciariam potestatem a Sacerdotibus Apostolorum successoribus erga baptizatos exercendam, ut ex superius disputatis luculentissime apparet. Neque contrarium evincunt quae ex Actibus Apostolorum allata sunt in argumento, ibi enim Petrus exhortatur homines ad Poenitentiam quatenus virtus est; quum Evangelium ac salutem annuntiet hominibus nondum baptizatis in quos nequit judiciaria potestas exerceri. Ast numquid Poenitentia ut virtus est Poenitentiam excludit prout est Saeramentum?

Ad 2. dico 1. argumentum illud negativum esse, quod infringere nequit positiva argumenta a nobis allata; praesertim cum caussa afferri possit cur in Actibus Apostolorum expressa mentio non occurrat Sacramenti Poenitentiae. Sanctus enim Lucas ea in Actibus recenset quae ab Apostolis gesta sunt, quando Christum judaeis ac gentilibus quibus certe Poenitentiae Sacramentum inculcari non poterat, annuntiabant. 2. Apostolos eorumque discipulos judiciariam potestatem per Sacramentum Poenitentiae in baptizatos aliquando exercuisse, satis aperte colligitur ex constanti Traditione et consuetudine quae ab initio et deinceps non interrupta annorum serie viguit. Dico, *aliquando*, quoniam felicissimis illis temporibus rarissima erant crimina fidelium in quae judiciaria esset exercenda potestas.

Ad 3. respondeo 1. Si retinendi ac ligandi potestas sumatur pro facultate imponendi peccatoribus satisfactionem, ejusque modum et tempus, uti accipi posse nemo negaverit, Poenitentia est utique Sacramentum non solum ad remittendum, sed etiam ad retinendum peccata institutum; sicque erit a Baptismo omnino diversum. 2. Poenitentia est quidem Sacramentum institutum ad remittenda seu solvenda peccata, sed quoniam potestatem habet Sacerdos non impendendi absolutionem iis qui requisita carent dispositione, in judiciaria potestate concessa Sacerdotibus, facultas includitur retinendi peccata, hoc est ab illis non absolvendi. Imo ex hoc ipso colligitur Poenitentiam Sacramentum esse a Baptismate distinctum, neque enim minister solvere poterit aut ligare nisi judicium instituatur, quod in Baptismi administratione proculdubio non fit.

Obj. 2. Potestas a Christo illis verbis, *Quorum remiseritis etc.* expressa exercenda erat ab Apostolis eorumque successoribus per administrationem Baptismi. Non est itaque Poenitentia Sacramentum a Baptismate diversum. Prob. ant. 1. Quo tempore Christus discipulis suis dixit, *Quorum remiseritis etc.* dixit quoque, *Euntes docete etc.* Matth. cap. 28. et apud Lucam cap. 24. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis . . . et praedicari in nomine ejus Poenitentiam et remissionem peccatorum:* quae univoca prorsus sunt cum illis, *Quorum remiseritis etc.* Ibi commendatur Poenitentia per Baptismum; unde etiam hic. 2. S. P. Augustinus lib. 3. de Cons. evang. cap. 25. tradit in una eademque apparitione post Resurrectionem Christum protulisse priora ac posteriora verba, hoc est, *quorum remiseritis peccata*, et, *oportebat . . . praedicari in nomine ejus Poeni-*

tentiam. Quapropter de uno eodemque loquitur Sacramento. 3. Ita relata verba ad unam eamdemque spectant apparitionem ut per illa voluerit Christus unum idemque Sacramentum Baptismi commendare; nam Augustinus in ep. 185. alias 50. ad Bonifacium tribunum sive, ut alii legunt, comitem, *Quidquid ab eis*, inquit, *qui post acceptum Baptismum hic vivunt infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.* 4. Idem S. Doctor Christi verba, *Quorum remiseritis etc.* ita explicat tract. 121. in Joan. ut *caritas Ecclesiae* dimittat peccata participum suorum, aliorum autem teneat; unde in illius sententia Poenitentia nullam habet efficaciam.

Resp. ad 1. verba Christi apud Joannem longe diversum habent sensum ab illis apud Matthaeum et Lucam; hic enim praecipit Christus Apostolis annunciare Evangelium omni creaturae, et judaeis ac gentilibus administrare Baptismum in remissionem utique peccati originalis, et aliorum peccatorum quae ante Baptismum commissa sunt; ibi autem confertur Apostolis judiciaria potestas in homines jam baptismate initiatos exercenda; nam quod hoc in loco Christus Apostolis confert, jam illis promiserat Matth. cap. 18. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Caelis etc.* Ast quis non videt fieri hic sermonem de potestate exercenda in fideles subditos Ecclesiae auctoritati?

Ad 2. Admitto sententiam Augustini dicentis, in eadem apparitione Christi post Resurrectionem dictum fuisse Apostolis, *Euntes docete*, et, *Quorum remiseritis etc.* Sed quid proinde? Numquid in una eademque temporis circumstantia non potuit Christus de multis loqui cum discipulis suis?

Ad 3. Bene habet S. Doctor, quaecumque peccata post Baptismum, propter ipsum Baptismum dimitti, quoniam ab ipso tamquam a bonorum omnium radice tamquam a janua per quam ingressus habetur in Ecclesiam, non solum idonei reddimur ad remissionem peccatorum obtinendam per Sacramentum Poenitentiae, sed ad singularum exercitium virtutum, ad perseverandum in accepta justitia, ad vitam ipsam aeternam capessendam, quum nihil horum sine Baptismo haberi possit. *Neque enim*, prosequitur ibi S. Pater, *aliquid prodest non baptizato dicere: Dimitte nobis debita nostra . . . Non autem justificat* (Christus) *nisi corpus suum quod est Ecclesia*. In corpore autem Christi nemo nisi per Baptismum, ut omnes norunt, incipit esse. Sed audi praeclarissimum Ecclesiae lumen in lib. 1. de nupt. et concup. cap. 33. uberius se declarantem: *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Poenitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet? In ipsa quoque dominica oratione . . . quo fructu, quo effectu diceretur: Dimitte nobis delicta nostra, nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? Idemque eleemosynarum largitio et beneficentia quantalibet cui tandem ad dimittenda peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremo Regni Caelorum ipsa felicitas . . . quorum erit nisi baptizatorum?*

Ad 4. In Baptismo peccata remittuntur per Fidem Ecclesiae: ergo ne Baptismus non est Sacramentum ab aliis distinctum? Quemadmodum itaque

Baptismus per se est causa efficiens remissionis peccatorum ante illius susceptionem commissorum, et Fides Ecclesiae caussa est ejusdem remissionis impetratoria, ita Poenitentia est remissionis peccatorum quae post Baptismum patrantur caussa efficiens, caritas vero Ecclesiae est remissionis ejusdem caussa impetratoria. Addi potest: Ecclesia in administrando Sacramentum Poenitentiae solvit a catenis quibus obstringebatur anima peccatorum, adeoque actum caritatis exercet. Quam caritatem profecto non exercet in eos qui in Fide sibi non communicant.

Obj 3. et ultimo. 1. Apostolus in ep. ad Eph. cap. 5. omnem peccatorum remissionem adscribit Baptismo aut semel accepto aut in memoriam revocato; ait enim: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae; ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* 2. Neque reponere juvat tribui ab Apostolo peccatorum remissionem Baptismo tamquam caussae remotae, nam S. P. Augustinus lib. 1. de nupt. et concup. cap. 33. Baptismo tamquam caussae unicae purgationem tribuit omnium delictorum etiam a renatis commissorum; ita enim scribit: *Sic accipiendum est quod ait Apostolus, Christus dilexit Ecclesiam etc. ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum peccata quae omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut Baptisma quoties peccatur, toties repetatur: sed quia ipso quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* 3. Et revera nonne *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit?* Proculdubio, quoniam affirmat id Christus Marci cap. ult. Nonne Baptismus imprimit characterem numquam delendum? Ita tenent omnes Catholici. Ad illud ergo Sacramentum ejusque reminiscentiam omnis spectat mundatio macularum; atque idcirco Poenitentia ab illo non distinguitur.

Resp. ad 1. In eodem cap. 5. ad Eph. hortatur Apostolus recens conversos ad Fidem ut fortes maneant in Fide, Spe, et Caritate, ut opera tenebrarum abjiciant, et non secundum carnem, sed secundum spiritum vivant, hujusque generis alia facienda inculcat. Ut quid ad tam multa fideles excitat? Satis erat in calvinistarum sententia Baptismi commendare reminiscentiam in quo cuncta continentur bona. 2. Jure meritoque Apostolus omnem tribuit Baptismo mundationem etiam peccatorum quae post Baptismum patrantur, quoniam per hoc Sacramentum tamquam per ostium ingredimur in Ecclesiam cui qui insertus non est de nullo participare potest Sacramentum; atque adeo neque per Poenitentiam propria expiare delicta admissa post Baptismum.

Ad 2. Non alio sensu loquitur Augustinus in cit. lib. 1. de nupt. et concup. ubi post allata in argumento verba statim subdit: *Quid enim prodesset vel antè Baptismum Poenitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet?* Relege integram S. Patris sententiam in resp. ad 3. praeced. object. Et lib. 3. cont. duas ep. Pelag. cap. 3. *Si a me*

quisquam quaesierit, utrum per Baptismum salvi facti fuerimus, negare non potero, dicente Apostolo: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti. Sed si quaesierit utrum per idem lavacrum omni prorsus modo jam nos fecerit salvos, respondeo, non ita est. Respondisset hoc modo S. Doctor si calvinistarum, ut ipsi jactant, tenuisset sententiam?

Ad 3. Ex quo Christus Marci cap. ult. dicat, *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit,* non excludit certe jejunium, orationem, abnegationem propriae voluntatis, ac mandatorum executionem, quae omnia in Evangelio tantopere commendantur; cur ergo Baptismus excludere debet Sacramentum Poenitentiae? Item ex quo Baptismus characterem imprimat indelebilem, Calvinistae non denegant Eucharistiam, seu Coenam Sacramentum esse a Baptismate diversum; unde proprietas imprimendi characterem quae reperitur in Baptismo, non video cur impedire debeat ne Poenitentia quoque sit Sacramentum distinctum a Baptismo. Promissio itaque a Christo facta credentibus baptizatis est promissio conditionata, si nempe homines post acceptum Baptismum animati a Fide bona opera exerceant, divinam servent legem, atque si peccaverint, Poenitentiam agant, submittanturque clavibus Ecclesiae, quarum exercitium est penes Sacerdotes successores Apostolorum, Sacramentum Poenitentiae seorsim a Sacramento Baptismi administrantes.

CAPUT III.

De contritione requisita tamquam materia in Sacramento Poenitentiae ad justificationem obtinendam.

Materiam Sacramenti Poenitentiae esse tres poenitentis actus, contritionem videlicet, confessionem, et satisfactionem, res est quae a duobus oecumenicis Conciliis, florentino nempe ac tridentino videtur aperte jam definita, quamvis de Fide id non sit, ut suis locis videbimus. De Confessione et satisfactione in subsequentibus, nunc tantum de contritione. Haec ita a tridentina Synodo definitur sess. 14. cap. 4. *Contritio, quae primum locum tenet inter dictos Poenitentis actus, animi dolor est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Dividitur autem in perfectam, et imperfectam, duplici sensu. Primo dicitur contritio perfecta illa quae ex caritate, non quacumque, sed acri, vehementi, et admodum intensa erga Deum tamquam omnis justitiae fontem proficiscitur. Altera vero quae oritur quidem ex caritate erga Deum dilectum super omnia, sed minus intensa et in gradu remisso. Secundo sensu dicitur contritio perfecta illa quae ex quacumque erga Deum caritate sive intensiori sive minus intensa profluit. Imperfecta autem quae concipitur ex sola consideratione turpitudinis peccati, aut ex solo gehennae metu, vel ex utroque simul, absque ulla prorsus in Deum caritate. Haec imperfecta contritio nunc attritio communiter appellari solet, quamvis et prior a multis veteribus eodem nomine insignire-

tur. De contritione ergo hisce sensibus accepta pertractare hoc in loco constituimus. Sed antequam rem aggrediamur, nonnulla scitu necessaria praemittere oportet.

I. Lutherus ejusque sectatores existimant contritionem etiam priori sensu perfectam, nisi timorem omnem expellat, non modo hominem sive in actuali Sacramenti perceptione sive ante Sacramentum non justificare, sed insuper esse aliquod intrinsece malum, hominem hypocritam reddens, magisque peccatorem. Cujus systematis has afferunt ipsi rationes. 1. Quoniam, inquiunt, quidquid ante justificationem fit in homine peccatum est. 2. Quoniam non poenitentis actibus, non supernaturalibus operibus, tamquam dispositionibus, sed fidei speciali in Dei misericordiam tribuendam esse gratiam arbitrantur. 3. Si loquamur de contritione imperfecta quae ex gehennae timore concipitur, volunt pertinere illam ad Legem mosaicam, non ad Evangelium; imo quum fieri nequeat ut reus cui supplicia proponuntur, nolit, velit, non concutiatur, clamant extortam esse atque coactam; unde ajunt: *Contritio non est opus nostrum, est potius passio nostra qua conterimur et concutimur.* Haec est circa contritionem veterum lutheranorum sententia. Dico, veterum, quoniam nunc complures a magistro recedunt. Catholici e contra impium istud sectariorum systema unanimi consensione rejicientes et execrantes docent contritionem, illam etiam quae ex servili timore concipitur, non solum esse maxime liberam, non extortam non coactam, sed praeterea bonam esse, donum Dei, ac remissionis peccatorum caussam meritoriam. Hoc in loco de ejusmodi argumento non disseremus, quoniam in lib. 30. cap. 14. harum institutionum argumenta dedimus quibus Catholici post Scripturas et Patres demonstrare solent timorem servilem in se bonum esse, Dei supernaturale donum, et viam sternere ad justificationem. In lib. autem 27. cap. 8 satis pro instituti nostri ratione principium illud evertimus quo protestantes affirmant, opera ante justificationem ab homine facta totidem esse peccata. Et in lib. denique 29. cap. 3. ostendimus, Fidem, Spem, Caritatem, Timorem, aliaque opera supernaturalia dispositiones esse ad sanctificantem Gratiam obtinendam; meramque humanae mentis esse praesumptionem posse peccatorem justificari per solam in Dei misericordiam fidem specialem.

II. Exponamus igitur varia catholicorum Theologorum circa hanc materiam placita. Nemo est qui dubitare audeat quin contritio caritate perfecta, priori superius exposito sensu, quae scilicet fertur in Deum super omnia in gradu intenso ac ferventissimo, hominem justificet priusquam Poenitentiae Sacramentum actu recipiat; id enim a tridentina Synodo expresse definitum est his verbis: *Docet* (S. Synodus) *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur etc.* Et merito quidem, nam licet perfecta contritio natura sua vim reconciliandi Deo peccatorem non habeat, habet tamen ex Dei ipsius beneplacito et misericordia, dummodo votum accedendi quamprimum ad Poenitentiae Sacramentum contineat. Unde fit ut justificatio Sacramento Poenitentiae sive in re sive in voto suscepto semper adscribi debeat. Ast cl. Estius veterum secutus Theologo-

rum sententiam quae tenet ad justificationem in Sacramento obtinendam absolute requiri contritionem caritate perfectam, arbitratur remittere quidem illam extra Sacramentum peccata, ut tridentina Synodus statuit, sed non semper, imo *admodum raro, in articulo nempe mortis, aut quando occurrit casus scandali, vel quando quis omnino non potest, aut certe difficillime copiam habere Sacerdotis.* In quo vir doctissimus a Concilii mente et sententia proculdubio recedit.

III. Quoad contritionem imperfectam quae concipitur quidem ex amore Dei super omnia, sed in gradu remisso, sunt Theologi bene multi quos inter Episcopus castoriensis Joannes de Neerkassel in opere inscripto, *Amor poenitens*, qui sibi suadent eam contritionem semper hominem Deo reconciliare, et quidem de lege quadam ordinaria, etiam extra Poenitentiae Sacramentum. Imo complures ex his Theologis quibuscum tamen non facit laudatus Episcopus castoriensis, ex opinione illa concludunt in Sacramento Poenitentiae solum timorem servilem sufficere ad justificationem. Verum Theologi plerique cordatiores de imperfecta contritione hoc sentiunt, quod de lege quadam extraordinaria, in casibus scilicet ab Estio mox recensitis, non autem ordinarie hominem Deo reconciliet extra Sacramentum.

IV. Ante tridentini Concilii tempora Franciscus a Victoria qui obiit anno 1546. discipulus ejus Dominicus Soto, et Andreas Vega primi fuerunt qui contritionem illam imperfectam ex sola turpitudinis peccati consideratione aut ex solo gehennae metu ortam, quavis exclusa Caritate, satis esse in Sacramento Poenitentiae ad reconciliationem cum Deo obtinendam tradiderunt, hac tamen addita conditione, *dummodo poenitens bona fide existimet timorem illum servilem ex Caritate saltem inchoata proficisci: quae bona fides nisi adsit, justificationem non obtineri.* Sed alius ejusdem Francisci a Victoria sodalis, nempe Melchior Canus longius progressus, primus omnium affirmavit attritionem mere servilem sic cognitam satis esse in Sacramento Poenitentiae ad impii justificationem: cujus opinionem deinceps innumeri fere amplexi sunt quorum praecipui fuerunt Gabriel Vasquez, Franciscus Suarez, Gregorius de Valentia, quibus alii inferioris ordinis scholastici et casuistae novitate doctrinae delectati subscripserunt. Atque horum numerus tempore progrediente sic excrevit ut anno 1667. ad vitanda jurgia quae inter veteris ac recentioris sententiae propugnatores in dies augebantur, Alexander Papa VII. operae pretium duxerit utriusque sententiae patronis sub excommunicationis poena edito diplomate indicere, *ut deinceps non audeant alicujus theologicae censurae, alteriusve injuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid in hac re definitum.* Ex quibus apparet, elapso proxime saeculo opinionem attritionis mere servilis sufficientiam propugnantem fuisse inter Scholasticos communiorem. Sed supremo favente Numine quum controversiarum imo contentionum jurgiorumque calor frigescere coeperit, locus datus est veritati ut

pulchritudinem illam quae sibi propria est oculis hominum manifestaret, ejusque suavitatem exhiberet illis gustandam; unde hac nostra aetate communior proculdubio dici potest illa quae Caritatem saltem inchoatam exigit in poenitente ut absolutionis fructum in Sacramento Poenitentiae percipiat.

V. Nonnulli interim recentiores anticipatis eorum praejudiciis mordicus inhaerentes, ut fucum faciant similitudine verborum, tradunt teneri quidem poenitentem praeter timorem servilem ad Sacerdotis pedes secum afferre, aut saltem ibi constitutum animo et corde concipere amorem aliquem, sed amorem tantum spei, quo Deus quatenus est bonus nobis seu nostra beatitudo, diligatur, non autem amorem Caritatis quo diligitur Deus propter se, et quatenus est omnis justitiae fons et scaturigo.

VI. Denique effervescente, ut diximus, disputationum aestu, non defuerunt qui arbitrarentur tridentinum Concilium gravissimam hanc definisse controversiam, ac decrevisse, satis esse peccatori ad suorum scelerum remissionem contritionem illam quae attritio servilis dici solet, omni exclusa Caritate, atque contrariam sententiam affinem esse errori lutheranorum. Ast Theologi longe graviores qui lutherana placita penitius introspexerunt, probe noverunt tridentinam Synodum non solum laxiori illi opinioni non favere, sed praeclara suppeditare argumenta pro sententia contraria.

Ex his quae paullo fusius hactenus exposuimus colligitur quatuor esse circa gravem hanc controversiam praecipuas scriptorum sententias. Prima est multorum veterum qui necessitatem contritionis perfectae ad justificationem in Sacramento consequendam perspicue defendunt. Secunda est illorum qui solam attritionem servilem ab omni Caritate sejunctam satis esse arbitrantur. Tertia attritioni illi formidolosae addit amorem aliquem spei in sensu nuper exposito. Quarta tandem tenet necessariam esse in reo aliquam erga Deum omnis justitiae fontem Caritatem initialem quae vel timorem servilem antecedat, vel ex eodem timore, ut saepius accidere solet, proficiscatur. Augustiniani omnes de quorum numero et instituto nos esse gloriamur, et innumerabiles alii cujusvis ordinis praeclarissimi viri huic postremae sententiae utroque pollice subscribunt. Sed ad rem descendamus.

CONCLUSIO I.

Ad valorem Sacramenti Poenitentiae necessaria non est contritio perfecta.

Prob. 1. Si ad Sacramenti Poenitentiae valorem requireretur contritio Caritate perfecta, finis institutionis hujus Sacramenti plane evanesceret; quod non est affirmandum. Nam finis propter quem Christus Poenitentiae Sacramentum instituit est ut peccata post Baptismum admissa per illud deleantur. Ast si accedenti ad Sacramentum Poenitentiae necessaria esset perfecta contritio, Sacramentum non deleret, sed iam deleta inveniret peccata poenitentis, quum contritio Caritate perfecta, ut inquit tridentinum Concilium, impium justificet antequam Sacramentum suscipiatur.

Nec reponere juvat peccatorum remissionem semper effectum esse Sacramenti, quum contritio perfecta non sit nisi Sacramenti votum contineat. Hoc, inquam, reponere non juvat, nam Sacramenta ita sunt instituta ut usu et applicatione, ordinarie loquendo effectum producant, ut ex Baptismo patet, Eucharistia, Confirmatione etc. Verum in adversariorum systemate Poenitentia in voto semper, in re numquam effectum produceret quia jam productum inveniret; quod consistere nequit.

Prob. 2. Christus Dominus clavium potestatem, et judicium, et ministerium contulit Apostolis eorumque successoribus, dicens, *Quorum remiseritis etc.* Et, *Quaecumque solveritis etc.* Ast vero admissa adversariorum opinione, Apostoli eorumque successores non accepissent clavium potestatem, judicium, ac ministerium, sed haec collata potius fuissent poenitentibus; hi enim ad pedes provoluti Sacerdotum, justificati jam per contritionem Caritate perfectam nihil haberent in quo clavium potestas ac judicium possent exercere. Imo peccata prius soluta essent in Caelo quam per Sacerdotum ministerium solverentur in terra, contra apertam Salvatoris sententiam, *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Caelo.* Hinc non deberet Sacerdos in Poenitentiae administratione dicere, *Ego te absolvo*, sed potius, *Ego te absolutum declaro*: quod certe contrarium est definitioni tridentini Concilii sess. 4. can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum: anathema sit.* Ex his ergo conficitur necessariam non esse ad justificationem in Sacramento Poenitentiae obtinendam, contritionem Caritate perfectam. Cavendum tamen ne cum nonnullis ad definiendum nimis promptis affirmemus refutatam hactenus a nobis opinionem esse a tridentino Concilio vel alio quovis modo damnatam. Nam et ante et post Concilii tempora a gravissimis Theologis atque iis etiam qui Concilio interfuerunt, aut tamquam certa sententia isthaec propugnata est, aut sua probabilitate munitam existimarunt.

CONCLUSIO II.

Attritio mere servilis satis non est ad obtinendam in Sacramento Poenitentiae justificationem.

Prob. 1. Attritio mere servilis non excludit in homine voluntatem peccandi. Sed quod non excludit voluntatem peccandi conferre non potest ad justificationem. In minori demonstranda propositione non immoror, quoniam illa est tridentini Concilii sess. 14. cap. 4. Prob. ergo maj. S. P. Augustinus lib. de Nat. et Grat. cap. 57. *Qui timore supplicii*, inquit, *quod lex minatur non amore justitiae se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus a voluntate peccandi.* Lib. 2. cont. Advers. Leg. et Prophet. subdit. cap. 7. *Desiderium peccandi ... non extinguitur per jubentem litteram timore poenae, sed per juvantem spiritum dilectione justitiae.* In

ep. 144. nunc 145. scribit: *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malae cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri . . . Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem.* Et aliquibus interjectis: *Inimicus ergo justitiae est, qui poenae timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet; tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Quae postrema verba praecludunt aditum adversae sententiae patronis respondendi S. Doctorem loqui de eo qui ob metum poenae temporalis, non alterius vitae suppliciorum abstinet a peccato, gehenna enim non est poena temporalis. Deinde audiant adversarii quid S. Pater serm. 15. de verbis Apost. nunc 151. de Scriptur. dicat: *Hoc interest inter timorem tuum* (peccatorem alloquitur) *timoremque latronis, quod latro timet leges hominum: et ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum: tu autem leges ejus times, ejus poenam times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses?* Hujus generis testimonia innumera reperies si Augustini volumina evolvas. Consentiunt Augustino et alii Patres quorum sententias collectas invenies apud Christianum Lupum, Le Dru, Witasse, aliosque.

Scio nonnullos existimare posse se eludere vim allati argumenti respondendo Augustinum citatis in locis, et alios Patres qui afferri possent, loqui non de timore servili in se et simpliciter, sed de illius servilitate quae hunc actum includat, *peccarem, si possem impune.* Hic timor servilis, inquiunt, non excludit voluntatem peccandi.

Verum decipiuntur apertissime hisce indulgendo subtilitatibus, nam per Augustinum aliosque Patres, quae ex timore fiunt, semper serviliter fiunt. Hinc in psal. 67. S. Pater scribit: *Quod timendo qui facit, serviliter facit.* Et in lib. de spir. et litt. cap. 14. *Mandatum,* inquit, *si fit timore poenae, non amore justitiae, serviliter fit, non liberaliter; et ideo nec fit: non enim fructus est bonus qui de caritatis radice non surgit.* Unde qui a peccato metu gehennae abstinet, etsi expresse non dicat, *peccarem, si fieri posset impune,* dicit tamen implicite et aequivalenter; non secus ac mercator qui tempestate saeviente merces projicit in mare, quique si ore non dicat, *non projicerem, si tempestas non saeviret*, dicit tamen corde et aequivalenter. Et revera, nonne magna servilitas est pluris poenam facere quam culpam?

Prob. 2. Quum lethale peccatum sit aversio a Deo et conversio ad creaturas, nemo peccati sui remissionem sive extra Sacramentum sive in Sacramento consequi poterit nisi avertatur a creaturis, et convertatur inchoate saltem et imperfecte ad Deum; nam centies Prophetae repetunt illud Zachariae cap. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et ego convertar ad vos.* Porro per attritionem mere servilem homo nullo prorsus

modo avertitur a creaturis et convertitur ad Deum, 1. Quoniam homo quamdiu in timore servili persistit, tamdiu ultimum finem reponit in creatura; neque enim alio modo reponitur ultimus finis in Deo, nisi per dilectionem qua homo ille caret, ut supponimus. Hinc S. Thomas post Magistrum suum Augustinum lib. 4. cont. Gent. cap. 72. *Porro*, inquit, *mens nostra debite ad Deum converti non potest sine Caritate*. 2. Quoniam dum ad Deum redire per Sacramentum Poenitentiae contendit, cor ejus adhuc praedominante creaturarum amore inardescit; inter amorem enim Dei et creaturarum nullum datur medium Deum quidem peccator non amat, quum merum habeat in animo timorem servilem: amat ergo creaturam. Verum qui praedominante creaturae amore inardescit, dici certe non potest ad Deum conversus. 3. Quoniam qui solo gehennae timore peccatum detestatur, non quidem peccare, sed ardere tantum timet, ut bene ait Augustinus; unde erit ut leo qui armorum telorumque strepitu commotus timet et revocatur a praeda, sed tamen leo venit, et leo redit. Ast qui non Deum, sed poenam a Deo comminatam timet, ad Deum profecto non convertitur. 4. Quoniam impius qui sola attritione servili motus de peccato suo dolet, vere peccatum non odit; nam ut ait S. P. Augustinus laudata ep. 145. *Tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam*. Dicent ne adversae sententiae patroni hominem qui suum non odit peccatum aversum esse a creaturis, et conversum ad Deum? Nec ergo affirmare poterunt ejusmodi hominem posse remissionem consequi peccatorum vi Sacramenti.

Prob. 3. Certissima res est in conferendis Sacramentis licitum non esse extra casum necessitatis sequi opinionem probabilem relicta tutiori, contraria enim sententia proscripta est ab omnibus veteribus Patribus, Cypriano praesertim in lib. de laps. Ambrosio in lib. de Poenit. Augustino in libris de Bapt. aliis in locis et damnata ab Innocentio 11. atqui sententia affirmans attritionem mere servilem ad justitiam in Sacramento percipiendam sufficere, quamvis probabilis esset (quod tamen ex demonstratis et ex infra dicendis falsum esse patet) in comparatione tamen contrariae tutior non est; nam sufficere timorem servilem, quavis exclusa Caritate omnes nostri apertissime negant, argumentisque quod negant demonstrant; sufficere autem attritionem amori initiali conjunctam, adversarii ipsi concedunt. Dominicus enim Soto qui unus ex primis fuit illius opinionis assertor sub ea tamen conditione quod a Poenitente attritio mere servilis existimetur contritio in 4. sent. d. 18. q. 3. art. 2. *Accedit*, inquit, *quod doctrina haec de attritione quae in Sacramento fit contritio, licet sit vera, non est tamen ita multum vetus: Patres enim antiqui solam contritionem agnoscebant necessariam ad Confessionem. Revera eum qui mihi diceret, non se poenitere propter Deum, absolvere non auderem.* Melchior Canus in Relect. de Poenit. part. 5. *Ponitur contritio pars Sacramenti, quia est certa et indubitata materia. Quod autem attritio justificet, licet verum sit, non est tamen adeo certum et indubitatum; et ideo Concilium florentinum, communisque sententia, tenens certum, dimittens incertum, ponit contritio-*

nem partem hujus Sacramenti. Franciscus Suarez tom. 3. p. q. 90. art. 4. disp. 15. ita scribit: *Licet sit probabilis opinio attritionem cognitam cum Sacramento justificare, tamen non est certa, et potest esse falsa. Hic autem est morale dubium, cum illa opinio non valde antiqua sit nec multum communis.* Paulus Comitolus lib. 1. q. 32. *Plures*, inquit, *magnique Theologi in poenitente, antequam absolvatur, contritionem veram Caritate formatam requirunt. Neque usque adeo certum est, attritionem poenitenti esse satis.* Eadem tradunt Vasquez, Gamachaeus, et alii attritionis servilis defensores. Sententia itaque illa de timoris mere servilis sufficientia rejicienda est, et contraria quae est tutior amplectenda.

Prob. ultimo. Optime Tertullianus Praxeam, Hermogenem, aliosque sui temporis haereticos refellebat, dicens, *esse adulterum quodcumque posterius*, sententia enim haec conformis est praescripto Moysis in Deut. cap. 32. *Interroga . . . majores tuos, et dicent tibi.* At verò opinio tenens timorem omni Caritate vacuum in Sacramento justificare, posterior omnino est et nova. Et quidem 1. Nec ipsum attritionis nomen invenire est in scriptis Patrum aut Theologorum ante saeculum 13. quum primi qui eo usi sunt nomine fuerint Gulielmus Parisiensis, Albertus M. et Alexander de Ales, qui tamen nomine attritionis non intelligebant dolorem ex solo gehennae metu ortum in animo, sed dolorem propter Deum conceptum, qui vel esset in impio ante justificationem, vel saltem esset in gradu remisso. 2. Dum Lutherus susque deque omnia in Ecclesia subverteret, nonnulli Theologi ad rerum confusionem vitandam agnoverunt eam attritionis speciem quae in solo timore servili consistit. Sed numquid affirmarunt eam in Sacramento ad justificationem sufficere? Immo quum idem Lutherus ad invidiam creandam catholicis diceret, *Hinc audaciores et pejores facti finxerunt quamdam attritionem quae virtute clavium, quam ignorant, fieret contritio*, Catholici exclamarunt meram hanc esse calumniam; unde Javellus par. 5. de Sacram. Poenit. *Quanto*, inquit, *eisdem Ecclesiasticis imponit, quod dixerunt, attritionem fieri contritionem.* Quare affirmari tuto potest, ante tridentini Concilii celebrationem, retrocedendo usque ad tempora Christi, nec unum umquam fuisse qui crediderit attritionem mere servilem Sacramento conjunctam esse proximam ad remissionem peccatorum dispositionem. 3. Imo tempore quoque celebrationis Concilii illius Patres et minores Theologos ab opinione quam refutamus alienos fuisse testatur Pallavicinus historiae illius Concilii auctor lib. 12. cap. 10. in haec verba, *Aliquod dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris, in iis quae Granatensis disputavit.* 4. Post Tridentini celebrationem toto saeculo 16. tres tantum vel quatuor reperire est auctores qui attritionem Caritate etiam inchoata, vacuam sufficere cum Sacramento scripserunt, nempe Franciscus a Victoria, Dominicus Soto, Andreas Vega, et Melchior Canus, quamvis duo laudati priori loco Theologi tenuerint valere attritionem servilem in Sacramento ad justificationem, dummodo poenitens bona fide existimet se esse contritum; unde illius opinionis primus architectus fuit proculdubio Melchior Canus magni quidem, sed audacioris et ad novitatem propensioris ingenii, quod de se ipse

confitetur lib. 12. de loc. theol. Cumque id sit dominicum et verum quod est prius traditum, ut inquit citatus ab initio argumenti Tertullianus lib. de praescript. cap. 31. id autem extraneum et falsum quod est posterius immissum, sua sponte sequitur extraneam et falsam esse opinionem illorum qui tenent attritionem mere servilem in Sacramento Poenitentiae sufficere ad sanctificandam animam.

CONCLUSIO III.

Ut quis Gratiam in Sacramento Poenitentiae recipiat, necessaria est contritio imperfecta quae ex Caritate Dei super omnia concipiatur.

Prob. 1. ex Scripturis. Et 1. ex locis illis ubi praecipitur hominibus Caritas Dei super omnia. Deut. cap. 6. sic Moyses populum Israel alloquitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua*. Quod praeceptum renovatum est a Christo Matth. cap. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est maximum, et primum mandatum.* S. Joannes ep. 1. cap. 3. *Qui non diligit* (Deum) *manet in morte.* Apostolus 1. ad Cor. cap. 16. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema.* Millena hujus generis leguntur in veteri ac novo Testamento, quae hoc suppeditant argumentum: Quamvis praeceptum de diligendo Deo quum affirmativum sit non obliget semper, ut inquiunt, et ad semper, nemo tamen negare audebit aliquo tempore obligare, quum illorum Theologorum propositiones quibus affirmarunt vel mandatum illud servari quando alia praecepta observantur, vel obligare tantum in mortis articulo, vel semel in vita, vel post longum temporis spatium, proscriptae jam fuerint ab Innocentio XI. Atqui si ullum est tempus in quo praeceptum Caritatis obstringat, illud profecto est in quo peccator rescissam per peccatum amicitiam cum Deo renovare desiderat. Nam si contrarium affirmes, in horrendum incides absurdum, posse nempe hominem vitam consequi sempiternam absque eo quod toto vitae suae tempore Deum Optimum Maximum vel semel dilexerit, licet per longam aetatem in omne facinus prolapsus, in malitia obfirmatus evaserit. Si enim talis homo timore gehennae in extrema senectute perculsus ad pedes Sacerdotis peccata sua confiteatur, nec minimam habens erga Deum Caritatem, hic sane, juxta adversariorum systema, descendit inde perfecte justificatus. Fingas modo virum illum ad propria revertentem, improvisa morte corripi, non vitam consequetur aeternam? Id adversarii negare non poterunt. Ast nonne horrendum videtur vitam aeternam quae est ipse Deus, *Ego ero merces tua magna nimis*, consequi posse ab eo qui per diutinum imo totum vitae suae tempus numquam actum inchoati saltem amoris erga Deum elicuerit? Neque vero putandum est expositam mox hypothesim meram esse mentis fictionem, ex sufficientia enim attritionis mere servilis cum Sacramento Poenitentiae

conjunctae ad obtinendam cum Deo reconciliationem, ortae sunt monstruosae illae assertiones a laxioribus Theologiae moralis tractatoribus propugnatae, et ab Innocentio XI. ut diximus, anathemate confixae. 2. Ex iis locis quibus docemur hominis reconciliationem a Caritate erga Deum omnino pendere. Prov. enim cap. 8. *Ego*, inquit Sapientia, *diligentes me diligo.* Lucae cap. 7. ait Christus de Magdalena, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Christus idem Joan. cap. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Joan. in 1. ep. cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et cap. 4. *Deus Caritas est, et qui manet in Caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Mitto innumera hujus generis alia omnibus manifestissima. Ex quibus brevis haec exurgit ratiocinatio: Juxta laudata Scripturae testimonia nemo peccator Deo reconciliari potest sine aliqua erga Deum Caritate. Qui in Sacramento Poenitentiae de peccato suo dolet ob timorem dumtaxat gehennae nullam erga Deum habet Caritatem; timor enim gehennae ex amore sui ipsius, non ex amore Dei oritur: ergo etc. Huic argumento robur accedit, si animadvertamus eum qui Deum non diligit saltem imperfecte, diligere creaturam, quod malum est; neque enim inter amorem Dei et creaturarum medium aliquod amorem possumus statuere. Nam ut optime observat S. P. Augustinus lib. 2. de peccat. mer. cap. 18. *Voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, et bona est; et si magis diligimus, magis bona; si minus, minus bona est; aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis vero dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* 3. Ex testimoniis illis quibus affirmatur opera omni prorsus Caritate expertia inutilia esse coram Deo. Christus Matth. cap. 10. inquit: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Et Apostolus in 1. ad Cor. cap. 13. *Si linguis hominum loquar et Angelorum, Caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens: et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum: et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, Caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ex quibus sic argui potest: Juxta laudatas sententias, honorare parentes, diligere uxorem ac filios, habere eximiam Fidem, omnia bona sua distribuere pauperibus etc. si omnia haec Caritate sint expoliata, sunt opera prorsus inutilia, et pro nihilo coram Deo reputantur. Ergo dolere de peccato ob timorem gehennae sine ulla omnino Caritate opus inutile est, nec hominem conducens ad justificationem sive in Sacramento sive extra Sacramentum. Deinde martyrium quod juxta omnes Theologos aequivalet Sacramento Baptismi, si vacuum sit Caritate, nihil omnino prodest. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, Caritatem autem non habuero, nihil mihi podest*: ergo a fortiori nihil proderit timor gehennae si omni sit vacuus Caritate. Neque dicant adversarii loqui Apostolum de

Caritate habituali, nam variis loqui linguis, Fide flagrare ad transferendos montes, bona sua pauperibus distribuere etc. ad actum, non ad habitum pertinent Caritatis; unde et Chrysostomus hom. 32. et S. P. Augustinus serm. de verb. Apostoli de Caritate actuali, non habituali interpretantur Apostolum. 4. Denique idem Paulus in 2. ad Cor. cap. 7. de Poenitentia quae hominem ad Deum convertit, ita loquitur: *Quae enim secundum Deum tristitia est, Poenitentiam in salutem stabilem operatur: saeculi autem tristitia mortem operatur*; atqui tristitia quae de admisso scelere ex solo metu gehennae concipitur, non est secundum Deum, sed est potius tristitia saeculi; quod luculentissime declarat S. Thomas lect. 3. in cap. 7. dicens: *Sciendum est, quod tristitia et gaudium et communiter omnis affectus ex amore causatur. Tristatur enim quis, quia caret eo quod amat. Qualis autem est amor, talis est tristitia ex amore causata. Est autem duplex amor; unus quo diligitur Deus, et ex hoc causatur tristitia secundum Deum. Alter quo amatur saeculum, et ex hoc causatur tristitia saeculi.*

Prob. 2. ex Patribus. Tertullianus lib. de Poenit. cap. 4. *Poeniteat*, inquit, *amasse quae Deus non amat, quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea quibus offendimur, non odisse permittimus*. Clemens Alex. lib. 4. Strom. *In Caritate consummati sunt omnes electi Dei, absque Caritate nihil est gratum Deo.* Cyprianus in lib. de laps. *Convertantur ad Dominum mente tota, et Poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecentur. Illi se anima prosternat*. Ambrosius in ep. ad Horontianum: *Qui non diligit, peccato obnoxius est . . . Caritas peccandi excludit affectum*. Chrysostomus hom. 4. in ep. 2. ad Cor. *Cum peccaveris, ingemisce: non quod poenas daturus sis, nihil enim hoc est, sed quod Dominum Deum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuae appensum, ut Filium quoque suum tui causa tradiderit.* Cyrillus Alex. hom. 8. tradit, *Plenitudinem omnium quae in lege praecipiuntur, effici a studio colendae Caritatis: eam vero qui negligat, vetitis se criminibus alligari.* Et infra: *Lex igitur ad omnem nos virtutem informans, plenitudinem habet in Caritate.* S. P. Augustinus praeter ea quae in superioribus attulimus, haec alia habet preclarissima. In lib. de spir. et litt. cap. 14. *Non enim fructus est bonus qui de Caritatis radice non surgit.* Lib. 15. de Trin. cap. 18. *Nisi tantum impertiatur cuique Spiritus Sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfertur ad dexteram.* Tract. 5. in Joan. ep. *Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli . . . Non discernuntur Filii Dei a filiis diaboli, nisi Caritate*. In expos. ep. ad Gal. *Non aufert peccata nisi gratia Fidei, quae per dilectionem operatur.* Lib. de patient. cap. 22. *Quid est homo utens in hac vita propria voluntate, antequam eligat et diligat Deum, nisi injustus et impius?* Serm. 7. de tempore, nunc 117. in appendice: *Nunc jam ad vos loquor poenitentes qui Poenitentiam in Ecclesia accepistis et agitis . . . Vos modo satis debetis amare Deum, et a timore jam ad dilectionem transire, quia sic legimus in Evangelio de peccatrice illa: Cui*

multum dimittitur, *multum diligit.* Tract. 6. in Joan. *Audi quid dicat Apostolus: Si distribuero omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, Caritatem autem non habeam, nihil sum . . . Si tradidero, inquit, corpus meum ut ardeam, et utique pro nomine Christi . . . ut ardeam, Caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Enarr. in psal. 118. serm. sive concione 23. *Si non diligendo ista facimus, nulla est justificatio.* Enarr. in ps. 103. serm. sive concione 1. *Respice ad munera ipsius Ecclesiae: munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in ceteris Sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est et Simon Magus. Prophetia quale munus est? Prophetavit et Saul malus rex . . . Non ergo se jactet qui forte sine Caritate habuerit hoc munus Dei sanctum, sicut sanctum Baptismum.* Et lib. 2. cont. litt. Petiliani cap. 78. *Teneamus Caritatem, sine qua et cum Sacramentis et cum Fide nihil sumus*. Si omnia quae ad rem nostram faciunt adducere vellem, totus exscribendus esset Augustinus, Doctor Caritatis merito appellatus. His quae recensuimus gemina omnino habent sequentium aetatum Patres, Petrus Chrysologus, Gregorius M. Bernardus, et alii, quorum nomina et sententias brevitati studens omitto. Coetui sanctorum Patrum addi possunt scriptores illi ecclesiastici qui ad justificationem in Sacramento adipiscendam necessariam statuerunt in poenitente contritionem perfectam, quique licet modum excesserint, ut concl. 1. demonstravimus, persuasum tamen habuerunt attritionem mere servilem certe non sufficere. Fuerunt autem hi Hugo a S. Victore, Richardus item a S. Victore, Robertus Pullus, Magister sententiarum, Innocentius III. Guillelmus Altisiodorensis, Albertus Magnus, Alexander Alensis, Vincentius Bellovacensis, Biel, Tostatus, aliique plures quorum nomina recitare superfluum est. Addamus his deinde scriptores non solum doctrina, sed sanctitate quoque percelebres. S. Thomas 3. p. q. 85. art. 3. *De Poenitentia*, inquit, *possumus loqui quantum ad actus quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur, quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor . . . 2. Actus est motus Fidei. 3. Est motus timoris servilis quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. 4. Actus est motus Spei quo quis sub spe veniae consequendae assumit propositum emendandi. 5. Actus est motus Caritatis quo alicui peccatum displicet et secundum seipsum, et non jam propter supplicia. 6. Actus est motus Timoris filialis quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet, quod actus poenitentiae a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato, a timore autem filiali sicut ab immediato et proximo principio.* S. Thomas a Villanova conc. in Domin. Passion. docet accedentem ad Sacramentum Poenitentiae debere *de peccato dolere prout est offensa Dei*, *sic ut etiamsi nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus aut judicium, etiam displiceret peccatum, quia Deus est offensus.* S. Bernardinus senensis inter plura quae ad rem nostram habet, 1. tom. serm. 12. scribit: *Ex his aperte elici potest quod qui conteritur principaliter propter timorem inferni, et non propter Amorem Dei, non est in statu sa-*

lutis, *quia non dolet amore Dei*, *sed amore sui*. S. Antoninus tit. 14. quart. part. cap. 5. multa disputat similia iis quae mox recitavimus ex Angelico Doctore, deinde describit Poenitentiam ortam ex timore omni Caritate vacuo, et tandem concludit: *Inutilis esset tibi talis poenitentia.* Et ne singulos recenseam, S. Franciscus Salesius lib. 2. de Amore Dei cap. 19. non dubitat affirmare Poenitentiam de peccatis intuitu poenarum sine ullo Dei amore consimilem esse poenitentiae damnatorum, adeoque non valere ad impii justificationem. Brevi dicam. Ante tridentini Concilii tempora ignota erat Theologis, ut jam animadvertimus, adversariorum nostrorum sententia; post tempora autem Concilii tridentini quamvis illius opinionis defensorum numerus fere in immensum excreverit, non defuere tamen et Episcopi sapientissimi et integrae academiae et Theologi praestantissimi qui irritos reddiderunt adversariorum conatus. Nos aliquorum nomina dumtaxat recensebimus, Archiepiscopi nempe rhemensis Le-Tellier, Colberti archiepisc. rothomagensis, de Noailles archiepisc. parisiensis, Neercbassel archiepisc. ultrajectensis, Bossuet episcopi meldensis, de Rastigne archiepisc. turonensis, ne singulos enumeremus. Et theologicis academiis duas celebriores commemorare sufficiat, lovaniensem scilicet atque sorbonicam. Inter Theologos eminent ex nostratibus Franciscus Fervaquius, Christianus Lupus, Episcopus porphyriensis Le-Drou, Piette, Van-Roy, Berti, ut alios inferioris ordinis praeteream. Si quis vero nomina omnia illustrium virorum quales sunt Launojus, Morinus, Juvenin etc. qui pro aris et focis hanc nostram sustinuere sententiam, nosse desiderat, adeat cl. scriptorem Carolum Witasse qui huic confirmandae illustrandaeque sententiae egregiam navavit operam. Interim ex iis quae contracta oratione recitavimus, satis apparet Ecclesiae Traditionem a temporibus Apostolorum usque ad hanc nostram aetatem tenuisse semper, non interrupta serie, ad justificationem in Sacramento Poenitentiae obtinendam, necessariam esse Caritatem inchoatam saltem et initialem.

CONCLUSIO IV.

Amor requisitus in Sacramento Poenitentiae ad justificationem, est amor non spei, sed Caritatis.

Prob. 1. omnibus illis Scripturarum locis ad superioris conclusionis confirmationem allatis; in iis enim ad reconciliationem cum Deo obtinendam 1. inculcatur amor ille quo solo veteris legis cultores poterant justificari. Ast in V. T. non rependebatur justificatio amori spei et concupiscentiae, sed amori Caritatis, ut omnes norunt. 2. Commendatur amor ille quo homo cor suum avertat a creaturis, et ad Deum convertat. Amor autem spei, seu concupiscentiae quum feratur in Deum prout est bonus nobis, cor a creaturis non avertit, nec illud proinde convertit ad Deum. 3. Amor ille praecipitur qui sit erga Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus. Quis vero inficias ibit, ejusmodi amorem esse amorem Caritatis primo ac maximo mandato contentum?

Prob. 2. ex adductis superiori concl. Patrum testimoniis quorum sententia in hoc recidit, 1. Ut nihil sit sine Caritate Deo gratum, ipsaque perficiat electos. 2. Ut qui sine Caritate erga Deum est, sit inimicus ejus, et maneat in morte. 3. Ut nemo in Dei redeat amicitiam nisi a timore gehennae, et ab amore creaturarum ac sui ipsius ad Dei transeat dilectionem, quum scriptum sit, *Cui multum dimittitur, multum diligit.*

Prob. 3. Concilii tridentini auctoritate, in cujus sess. 6. agens cap. 6. de dispositionibus ad justificationem requisitis, tamquam proximam dispositionem recenset amorem quo peccatores *Deum ut justitiae fontem diligere incipiant.* Ast quis non videt ejusmodi dilectionem esse amorem non spei, sed Caritatis? 1. Quoniam Concilii Patres motum dilectionis a motu spei aperte distinguunt, ut decretum illud legenti luculentissime patet. 2. Quoniam si ea dilectio amor esset spei, Concilii Patres bis quidem spem, Caritatem autem numquam exigerent a peccatore ut ad justificationem disponatur; nam in verbis illis, *disponuntur ad justificationem peccatores . . . dum ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur etc.* per adversarios etiam in sequentibus verbis, *illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*, spes insinuatur. Bis itaque spes, numquam Caritas tamquam dispositio ad justificationem commendatur, quod absurdissimum est. 3. Quoniam diligere Deum tamquam omnis justitiae fontem est proprie diligere Deum propter seipsum, adeoque amor est Caritatis qui fertur in Deum et in eo quiescit, non amor concupiscentiae qui in Deum quidem fertur, sed ad hominem ut in ipso quiescat redit.

Prob. 4. ex Angelico Doctore qui lib. 4. cont. Gent. cap. 7. *Mens nostra*, inquit, *ad Deum converti non potest sine Caritate.* Et. 3. p. q. 84. art. 3. *Poenitentia est cum fide passionis Christi, per quam justificamur a peccato, et cum spe veniae, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad Caritatem.* Et ibid. art. 10. *Ad veram poenitentiam Caritas requiritur sine qua non delentur peccata.* Poenitentia autem quae pars est Sacramenti, non falsa, sed vera esse debet poenitentia, adeoque etc.

CAPUT IV.

Adversantium contra superius statutas conclusiones referuntur simul ac refutantur argumenta.

Obj. 1. cont. 1. concl. I. S. Patres, Augustinus praesertim et Gregorius M. ille serm. 67. de Scripturis, alias 8. de verb. Domini, hic hom. 20. in Evang. aperte docent accedentem ad Poenitentiae Sacramentum vivum esse debere. Audias Augustinum praefato sermone dicentem: *Qui confitetur, fora prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret. Vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in Confessione sui accusatio, Dei laudatio est.* Ante Sacramentum autem nemo vivificatur absque contritione perfecta. 2. Neque reponere juvat poenitentem juxta laudatos Patres vivum esse debere vita

quadam imperfecta quae habetur per amorem initialem, quum affirment vivum esse debere vita quae a Caritate profluit erga Deum super omnia dilectum, quae vita proculdubio perfecta est. 3. Hinc veteres praeclarissimi Theologi incipiendo ab Ugone a S. Victore, et deinceps non aliam circa dispositionem ad justificationem in Sacramento obtinendam tenuere sententiam.

Resp. ad 1. S. Augustinum et Gregorium exigere a peccatore qui crimina sua confitetur, vitam quidem, sed imperfectam et inchoatam quae profluit a Caritate erga Deum super omnia, sed initiali et in gradu remisso et minus intenso. Patet id ex citato in argumento Augustini loco, ubi sic loquitur: *Dicit ergo aliquis: Quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait: Quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo? Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulat vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est: Quae solveritis, soluta erunt? Nisi quod ait Dominus continuo ad discipulos: Solvite illum, et sinite abire.* Peccator itaque ante absolutionem Sacerdotis adhuc vinculis irretitus tenetur, unde vita quam habet dum delicta sua confitetur adhuc est imperfecta, perficietur autem per potestatem Ecclesiae.

Ad 2. Sicuti non omnis Caritas perfecta est, habet enim illa gradus suos, et inchoata Caritas inchoata justitia est, provecta Caritas provecta justitia est, perfecta Caritas perfecta justitia est, ut Augustinus inquit, sic vita quae a Caritate proficiscitur, non semper ita perfecta est ut hominem formaliter, ut inquiunt, Deo reconciliet. Sed de hoc argumento sermo redibit in sequentibus.

Ad 3. Fateor magni nominis viros eam tenuisse sententiam quam nos impugnamus, sed adversarii nostri fateri quoque ingenue debent nihil quod solidum sit sive ex sacris Litteris sive ex sanctis Patribus sive ex theologica ratione umquam protulisse, quum nos e contra et Christi verbis, et efficaciae Sacramenti Poenitentiae, et generali aliorum Sacramentorum conditioni, et auctoritati Patrum innitamur.

Obj. 2. cont. 2. concl. 1. Si attritio servilis non sufficit ad justificationem in Sacramento assequendam, vera erit sententia Lutheri timorem servilem ut malum damnantis. Id est haereticum: ergo etc. 2. Dum Caritatis initialis defensores discrimen assignare conantur inter suam Lutherique sententiam, verba inaniter fundunt, discrimen autem non assignant. 3. Et quidem si attritio formidolosa ad reconciliationem non sufficit, sua sponte consequitur esse malam; ideo enim non sufficit, quoniam ajunt non excludere voluntatem peccandi. Quod autem voluntatem non excludit peccandi nonne malum est? 4. Verum qui tenent timorem gehennae voluntatem peccandi non excludere, decipiuntur apertissime, nam id omne timor gehennae excludit quod a Deo suppliciis puniendum est; a Deo puniendum est supplicio, non modo peccatum exterius patratum, sed etiam voluntas peccandi: ergo etc. 5. Ideo inchoati amoris defensores attritionem servilem

non sufficere affirmant, quoniam existimant illam plene voluntariam non esse. Atqui hoc damnatum est in Luthero a tridentino Concilio sess. 14 cap. 4. dicente: *Quamobrem falso docent haeretici, contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam:* ergo etc.

Resp. ad 1. Ex quo attritio mere servilis ad justificationem in Sacramento non sufficiat, nonnisi stulta illatione colligitur illam esse malam. Nam fides, spes, oratio, jejunium, aliarumque exercitamenta virtutum non sufficiunt ad justificationem, numquid proinde hae aliaeque virtutes malae sunt? Accipe latissimum inter nos et Lutherum discrimen. Hic delirabat timorem gehennae non solum non disponere ad justificationem, sed praeterea malum esse ex intrinsecis suis, hominem facere hypocritam, illumque ad desperationem inducere; nos e contra de fide esse testamur timorem servilem bonum esse, utilem, supernaturalem, imo et hominem ad justificationem disponere, licet remote tantum, non proxime. Quid igitur commune habet cum Luthero nostra sententia?

Ad 2. Nos verba inaniter fundere, nec discrimen inter nostram Lutherique sententiam assignare, mera adversariorum calumnia est quae allata mox responsione exsufflatur.

Ad 3. Ejusdem furfuris est et hoc tertium. 1. Enim eleemosyna, oratio, jejunium voluntatem peccandi per se non excludunt: ergo opera haec abjiciamus. Impia consecutio. 2. Non solum in naturalibus, sed in supernaturalibus quoque primordia rerum sunt imperfecta, neque proinde sunt mala. Talis est timor gehennae, quum sit imperfectus voluntatem peccandi non excludit, sed non inde sequitur esse malum. Imo utilis est et bonus, quoniam locum parat Caritati quae peccandi removet voluntatem; unde S. P. Augustinus optime inquit quod nisi timore incipiat homo colere Deum, non perveniet ad amorem qui Filios Dei discernere facit a filiis diaboli.

Ad 4. haec sit responsio. Attritio mere servilis si vehemens sit conatur quidem id omne excludere quod aeternum meretur supplicium. Sed nec obtinet nec obtinere potest per se quod conatur; atque adeo vim suam impendit ut voluntatem excludat peccandi; ast non proinde illam removet per se aut removere potest a peccatore. Et ratio est, quoniam timor servilis non valet per se carnalem cupiditatem ab anima hominis removere. *Regnat enim carnalis cupiditas*, inquit S. P. Augustinus Enchir. cap. 117. *ubi non est Dei Caritas;* atque idcirco talis timor utilis procul-dubio est, sed non excludit voluntatem peccandi. Excludet autem quando Dei Caritatem in cor hominis introducet.

Ad 5. Quando alicujus sententiae advocati ad calumnias contra adversarios confugiunt, argumentum exhibent luculentissimum existimandi perditae caussae se esse patronos. Ita nunc contra nos faciunt attritionis servilis defensores, calumnias scilicet ingeminando, insimulant nos lutheranorum erroris, quasi cum ipsis dogmatizemus attritionem servilem coactam esse et extortam, non liberam ac voluntariam. Ast talia adversum nos effutientes, in caput suum turpissime mentiuntur. Nam longe aliud est dicere attritionem servilem non esse plene voluntariam, aliud vero esse coactam

et extortam. Hoc somniabat Lutherus, unde ajebat hominem non active, sed mere passive se ad illam habere. Verum numquid simile quidpiam nos affirmamus? Imo negantes timorem servilem esse coactum, cum sanctis Patribus et Augustino praesertim tenemus illum non esse plene voluntarium, quum sit permixtus ex voluntario et involuntario. Audias S. Doctorem concion. 11. in psal. 118. *Qui timore poenae, non amore justitiae opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi. Ac per hoc legis quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus.*

Obj. 3. cont. eamd. 2. concl. aliqua in medium proferentes Scripturarum testimonia quibus timor impense commendatur. Ita Prov. cap. 14. *Timor Domini fons vitae, ut declinent a ruina mortis.* Eccl. cap. 1. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Cap. 21. *Qui timet Deum, convertetur ad cor suum.* Et cap. 25. *Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei.* Isaiae cap. 26. *Sicut quae concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic . . . concepimus* (in timore) *et peperimus Spiritum.* Matth. cap. 10. Christus inquit: *Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Hujus generis bene multa sunt in Scripturis utriusque Testamenti quae satis apte demonstrant timorem gehennae, quavis exclusa amoris scintilla, hominem in Sacramento sanctificare.

Resp. 1. Si allata Scripturarum testimonia de timore mere servili accipi velint, nil aliud profecto demonstrant quam timorem servilem esse utilem, bonum, et supernaturalem, quum ab eo sumi fere semper soleat justificationis exordium; neque enim vel minimum verbum est in laudatis textibus quod insinuet adnexam esse timori justificationem formaliter.

Resp. 2. Ceterum attente legenti loca Scripturae liquido apparet, in laudatis sententiis sermonem fieri de timore initiali, non de timore mere servili, quod apparet tum ex eo quod in singulis sermo habeatur de timore Domini, non de timore poenarum, tum ex eo quod in locis iisdem timori conjungatur dilectio.

Resp. 3. Ideo Deus tam saepe in Scripturis praecipit nobis timere, quoniam a timore assurgimus in castum amorem, juxta illud Deut. cap. 30. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem, et malum: ut diligas Dominum Deum tuum.* Sed rem totam declarat more suo, nempe sapientissime S. P. Augustinus serm. 18. nunc 161. de verb. Apost. dicens: *Cum Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego sum, male times? Ista non dicam. Plane times, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te. Si non te videret Deus, quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice teipsum. Faceres? Si faceres, ergo poenam times, castitatem nondum amas, Caritatem nondum habes, serviliter times, formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido cu-*

stodiat te, et perducat ad dilectionem. Hactenus S. Doctor exponens Christi verba in argumento allata: unde bonus est timor, sed non justificat nisi perducat ad dilectionem.

Obj. 4. adv. eamd. 2. concl. nonnulla sanctorum Patrum testimonia. Origenes lib. 3. in Job circa finem, *Timor,* inquit, *judicii, atque formido futurorum omnem timorem corruptibilem et carnalem in oblivionem deducit, atque foras mittit.* Basilius in psal. 33. *Quemadmodum qui corporis membra habent clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent, sic ii quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati ex perturbationibus occasionem vitant.* Consimilia habet Ambrosius in psal. 108. Hieronymus in cap. 1. Malachiae scribit: *Vult primum Deus, ut filii ejus simus, et bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, ut saltem servos non habeat, et a malis per suppliciorum formidinem recedamus.* Gregorius M. lib. 2. in 1. Reg. cap. 2. *Tunc quippe peccare desinimus, cum superna gratia mollitis cordibus, futura tormenta formidamus.* Gemina his sunt propemodum innumera in scriptis veterum Patrum. Atque in iis adversarii nostri propriae opinionis fulcrum invenire confidunt. Sed quod magis admiratione dignum videtur provocant praecipue ad Magni Augustini auctoritatem quem totum suum esse jactitant, unde multa S. Patris excerpta in medium producunt. Et I. quidem laudant quod habet in psal. 63. *Ama, et time. Ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus: nec corrumperis ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo.* II. serm. 18. nunc 161. de verbis Apost. *Timor quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te: et sic volentem peccare animum interiorem non sinit.* Serm. 13. nunc 156. itidem de verbis Apostoli: *Ne possideat diabolus cor tuum, praecedat servus in corde tuo.* III. tract. 9. in ep. Joan. *Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit.* IV. denique in lib. de catech. rudib. cap. 17. tria distinguit hominum genera ad christianam Religionem venientium. Primi generis sunt nonnulli qui christiani fiunt ut placeant hominibus, a quibus vel aliquod expectant in praemium, vel minas timent et poenas. Secundi generis sunt alii qui putant solis christianis temporalia commoda reservata esse. Hinc Deum timent, et christianum nomen non irrident. In tertia denique classe illos collocat qui christianam amplectuntur Religionem commoti timore gehennae, et spe futurae beatitudinis illecti. Primi ac secundi generis homines non bonos christianos esse definit. De tertii autem generis christianis haec inquit S. Pater: *Qui propter beatitudinem sempiternam, et perpetuam requiem quae post hanc vitam Sanctis futura promittitur vult fieri christianus, ut non eat in ignem aeternum cum diabolo, sed in Regnum aeternum intret cum Christo, vere ipse christianus est: cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur etc.* Qui ergo per Augustinum ad Baptismum accedit timore gehennae, et spe beatitudinis commotus, est vere christianus, justificationem nempe consequitur per Sacramentum Baptismi: atqui per nos aeedem requiruntur in Poenitentia ac in Baptismo dispositiones ad

justificationis gratiam obtinendam. Sicut ergo satis est timor et spes in Baptismo, ita timor et spes sufficiens dispositio est in Poenitentia ad gratiam consequendam.

Resp. singulas Patrum sententias brevissime expendendo. Comparat Origenes timorem gehennae cum metu damni temporalis, aitque illum longe isto majorem esse. Ast quid hoc ad rem nostram? Ad summum timor gehennae prae timore temporalis damni facit hominem abstinere exterius a peccato. Basilius vel intelligendus est de timore quatenus ab opere malo exterius facit hominem continere, juxta effatum illud S. P. Augustini, *Poenae timore fit, ut non impleatur foris negotium malae cupiditatis*, vel loquitur de timore aliquam includentem scintillam Caritatis, quum timorem de quo loquitur appellet ibidem timorem perfectum, fundamenta instituendae nostrae vitae jaciens. Hieronymus laudato in argumento testimonio, si bene perpendatur, distinguit filios Dei a servis. Quinam sunt filii Dei per Hieronymum? Qui voluntate, non timore, legem divinam implent. Implere divina praecepta non timore, sed voluntate, est ex Caritatis motivo operari: opponitur ergo Hieronymus adversariorum sententiae. Ad M. Gregorii testimonia confugere pro tuenda attritionis servilis sufficientia idem est ac se legitima auctoritate destitutos esse fateri. Quid enim solemne magis apud Gregorium quam necessitas Caritatis ad obtinendam cum Deo reconciliationem? Quod vel ex allatis in argumento verbis apparet, ait siquidem S. Pontifex, tunc hominem ob metum gehennae a peccatis abstinere, quando corda nostra superna Spiritus S. gratia emolliuntur, quae phrasis Caritatem proculdubio significat. Descendamus tandem ad Augustinum nostrum, nam complura quae ex Patribus afferri possunt excerpta ex iis quae modo attigimus, facilem habent intelligentiam, imo illa eadem explicant etiam mentem Augustini...

Ad 1. itaque. Commendat quidem Augustinus timorem tamquam bonum et utilem, sed non dicit sufficientem esse ad justificationem. Imo laudatis in argumento verbis timori conjungit amorem, dicens, *Ama, et time*, ut in obiectionis fronte perlectum est. *Ibi time malum, ibi ama bonum... audeo dicere, si timore gehennae non facis malum, est quidem in te Fides; quia credis futurum Dei esse judicium: gaudeo Fidei tuae, sed adhuc timeo malitiae tuae*, inquit S. Doctor serm. 19. nunc 178. de verb. Apost. Et re quidem vera hortatur Augustinus in obiecto loco Christi-fideles non timere praesentem mortem, qui timor vanus est et inutilis; et nihil amplius.

Ad 2. sensus duorum textuum qui secundo loco objecti sunt traditur apertissime ab ipso S. Parente qui post laudata primo loco verba subdit: *Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, et veniat Caritas: intret in cor tuum, et quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat ne faceres, Caritas id agit ne velis facere, etiamsi impune possis admittere*. Ante verba autem recitata secundo loco scripserat Augustinus: *Qui adhuc ideo bene agit, quia poenam timet, Deum non amat, nondum est inter filios: utinam tamen vel poenam timeat...*

Fac, fac vel timore poenae si nondum potes amore justitiae. Veniet domina (Charitas) *et servus* (timor) *abscedet.* Commendat ergo Augustinus timorem quatenus locum praeparat Caritati quae justificando homines facit filios Dei, non quatenus timor ipse justificet.

Ad 3. Eodem prorsus sensu intelligenda sunt quae tertio loco objiciuntur, ut patet ex iis quae e vestigio subdit S. Pater: *Sunt homines qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam . . . Ipse est timor ille qui introducit Caritatem: sed sic venit ut exeat. Si enim adhuc propter poenas times Deum, nondum amas quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves* etc. Quod si placeat insistere similitudine medicamenti, *Occupet cor tuum timor: et inducta Caritate succedat cicatrix ferramento medici . . . timor medicamentum, Caritas sanitas*, ait ibidem S. Doctor.

Ad 4. solvendum non una adhiberi potest responsio. Et 1. S. Doctor laudato in libro loquitur de cathecumeno qui ad Baptismum suscipiendum disponi debet, ut ex verbis ipsis apparet. Ast longe minus ad Baptismi quam ad Poenitentiae Sacramentum digne suscipiendum requiritur, quum Poenitentia sit baptismus quidam laboriosus. 2. Sed ea missa solutione quam nonnulli tradunt, dico illum qui metu gehennae et futurae beatitudinis spe ad suscipiendum Baptisma movetur, appellari ab Augustino verum christianum, quatenus movetur non motivo temporali et vana spe, *humana nempe commoda cupiens, vel incommoda fugiens*, ait ibidem, sicut ii quos in priori et secunda classe collocat, sed motivo supernaturali proveniente ex Fide qua docetur manere justis aeterna proemia, supplicia vero aeterna peccatoribus. An vero talis metus talisque spes sufficiat ad aeternam salutem S. Pater non inquirit, quum id scopus ejus non ferat, exigit tamen ut qui salutem consequi vult, *plus amet Dominum quam timeat gehennam*, ita ut peccare nolit etiamsi posset impune. 3. Ex quo in vero christiano supponat S. Doctor spem supernae beatitudinis, supponere videtur etiam motum aliquem Caritatis; alioquin nullum inter secundi ac tertii generis catechumenos poneret discrimen, nam in secunda classe eos reponit *qui meliori quidem spe, sed non minori periculo . . . jam Deum timent, et non irrident christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam;* unde timorem gehennae et spem aeternae vitae habent, licet spei temporalis felicitatis admixtam: atque adeo catechumeni tertii generis habent per Augustinum timori gehennae ac spei aeternae beatitudinis conjunctam Caritatem. 4. Denique Augustinus illos quos in tertia classe recenset, veros appellat christianos. Ast eodem S. Doctore teste, nemo sine Dei amore verus esse potest christianus, ut patet non ex uno sed ex pluribus ejusdem libri de catechizandis rudibus capitibus, et ex lib. 3. de Bapt. cap. 19. ubi sic loquitur: *Qui sunt veri christiani, nisi de quibus Dominus dicit, qui diligit me, mandata mea custodit? Quid est autem custodire mandata ejus, nisi in dilectione persistere?*

Obj. 5. cont. eamd. 2. concl. Poenitentia Sacramentum est mortuorum; ast si ad illud digne suscipiendum attritio mere servilis non sufficeret, Sa-

cramentum non esset mortuorum, sed vivorum. II. in terrena republica duae sunt viae ut mali cives probe vivant, timor et amor: ergo etiam in republica christiana duplex haec via tenenda est ut peccatores justificentur, vel amor Dei vel timor gehennae. III. est antiquissimum vulgare proloquium, quod ad Poenitentiae Sacramentum accedens ex attrito fit contritus. Qui ergo timorem mere servilem ad pedes affert Sacerdotis absolutionis virtute justificatur ac si esset contritus.

Resp. ad 1. Qui attritionem de suis peccatis habet initiali amori conjunctam, adhuc mortuus est spiritualiter antequam ad Poenitentiae Sacramentum accedat. In eo percepta forma absolutionis, qui mortuus erat Deo statim vivificatur, atque hoc sensu Poenitentiae Sacramentum dicitur mortuorum.

Ad 2. Latissimum inter terrenam ac christianam rempublicam discrimen intercedit. In illa quum suprema potestas secretas cordium dispositiones ignoret, attenditur ad publicum bonum externum officium, quamvis majori sint digni laude qui amore patriae et virtutis potius quam formidine poenae leges observant. Sed in republica christiana Deus qui scrutatur renes et corda vult ut nos delectet per aliquam Caritatem pulchritudo justitiae. Quod si poenas comminatur transgressoribus, facit id ut occasionem habeant sese ad Deum convertendi per Caritatem; unde ait Augustinus lib. 1. de Doctr. christ. cap. 15. *Magnum timorem incutit negligentibus, ut se ad diligentiam convertant.*

Ad 3. dico 1. posse nos impune proloquium illud rejicere quum nullum fulcrum habeat aut in Scripturis aut in sanctis Patribus, et in se admodum aequivocum sit. Nam illo eodem proloquio quis uti posset ad demonstrandum solam attritionem naturalem modo honestam sufficere ad reconciliationem in Sacramento Poenitentiae. 2. Veteres recentioresque Theologi axioma illud usurpantes, nomine attritionis non intelligunt timorem mere servilem, ut adversarii arbitrantur, sed timorem ex motivo Caritatis initialis conceptum; sensusque est amorem initialem praeexistentem in poenitente roborari virtute clavium, et ad maturitatem perduci, ita ut dignus sit reconciliari cum Deo.

Obj. 6. adv. 3. concl. I. Caritas seu amor benevolus per se et ex intrinsecis suis abolet ab anima omne peccatum. Quare si necessaria sit in poenitente, justificatus ille erit ante Sacramenti perceptionem. II. neque reponere juvat peccatorum abolitionem propriam esse Caritatis habitualis vel actualis perfectae, non vero actualis et imperfectae. Nam luculentissima sunt testimonia Scripturarum, puta Prov. cap. 8. Sapientia inquit: *Ego diligentes me diligo.* Joan. cap. 19. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et ut plura omittam, Petrus in 1. ep. cap. 4. *Caritas operit* (hoc est tollit) *multitudinem peccatorum.* Quae Scripturarum locutiones aperte significant omnem Caritatem etiam minimam ab anima omnem tollere maculam peccati. III. et jure quidem, nam qui Caritatem habet erga Deum quamvis in gradu remisso, diligit Deum extensive seu appretiative, ut inquiunt, hoc est, super omnia, atque sincere Dei nomen

invocat. Ast qui Deum super omnia diligit, ac sincere invocat nomen illius, nonne exauditur et a Deo diligitur, juxta Scripturas? Proculdubio, quoniam qui hoc modo Deum diligit dat animae suae vitam spiritualem. Et quidem integram et perfectam, quia quaevis Caritas etiam minus intensa et initialis discernere facit filios Dei a filiis diaboli. Non est autem Dei filius qui justificationis gratia caret, ac proinde Caritas initialis extra Sacramentum de lege ordinaria justificat. Quod si necessaria sit in poenitente accedente ad Sacramentum Poenitentiae, ubi est clavium potestas et efficacia Sacramenti? IV. hinc S. P. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 18. *Nullum est*, inquit, *isto Dei dono*, nempe Caritate, *excellentius . . . quod dividit inter filios regni aeterni, et filios perditionis aeternae*. Quod repetit tract. 5. in ep. Joan. hisce verbis, *Non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi Caritate*. Et serm. 158. de Scripturis, alias 16. de verb. Apost. cap. 7. *Fides quae per dilectionem operatur, si est in vobis, jam pertinetis ad praedestinatos, vocatos, justificatos*. Eadem habent et alii Patres ut Chrysostomus, Gregorius, aliique.

Resp. ad singula, atque ad primum. 1. Caritas quae omne removet ab anima peccatum, est vel Caritas habitualis vel actualis perfecta; ejusmodi enim sancta delectatio consistere nequit in una eademque anima cum peccato; unde tridentinum Concilium sess. 14. cap. 4. inquit, *aliquando contingere contritionem Caritate esse perfectam, hominemque Deo reconciliare priusquam Sacramentum actu suscipiatur*. 2. Caritas actualis etiam imperfecta quum feratur in Deum super omnia diligendum, licet in gradu remisso, stare non potest cum actu peccati, actus enim Caritatis actum peccati excludit, ut per se patet. 3. Caritas actualis imperfecta ab anima excludit affectum ad peccatum, hic enim est amor praedominans creaturae, ille vero amor Creatoris super omnia quamvis minus intensus. 4. Ast Caritas actualis si sit imperfecta et initialis, licet tot bona producat, non proinde tamen maculam seu reatum peccati ab anima tollit nisi accedat Sacramentum efficacia sua. Audi S. P. Augustinum de se hoc idem humiliter confitentem, qui in lib. 8. confes. cap. 12. narrat se ante Baptismum Fidem habuisse quae per dilectionem operatur: *Flebam*, inquit, *amarissima contritione cordis mei*. Et rursus lib. 9. cap. 1. ubi narrationem suae conversionis prosequitur: *Sagittaveras tu cor nostrum Caritate tua . . .* Et iterum ejusdem libri cap. 4. *Gaudens in Fide laudavi nomen tuum*. Sed quoniam Caritas illa tum satis robusta non erat, tenebatur adhuc vinculis peccatorum suorum quae soluta non sunt nisi in actuali susceptione Baptismi; quare subdit ibidem: *Et ea Fides me securum esse non sinebat de praeteritis peccatis meis quae mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant*. Addere possumus exemplum Pauli qui quando dixit, *quid faciam Domine*? proculdubio Caritatem erga Deum inchoatam habebat, et nihilominus tunc peccata ei remissa sunt quando baptizatus est ab Anania qui Actor. cap. 22. dixit illi, *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua*.

Ad 2. His jactis principiis nullo negocio solvitur argumentum ex allatis

Scripturarum testimoniis atque ex aliis quae afferri possent depromptum. Nam singuli ex Scripturis allati textus intelligendi sunt vel de Caritate habituali vel de Caritate actuali perfecta, non de amore initiali de quo nos loquimur. Et revera laudatis in locis sermo fit de homine qui sermonem Christi, nempe divinam legem observat, qui manet in Caritate, et qui manet in Deo, per quos certe characteres gratia habitualis vel actualis perfecta describitur: unde nil mirum si ante Sacramentum justificat. Quod si velis ea intelligere testimonia de Caritate tantum initiali, animadvertere debes illam reconciliare hominem Deo si cetera quae necessaria sunt adhibeantur; atque hoc sensu diligit Deus diligentes se, apud illos manet etc. Nam iisdem prorsus locutionibus utitur Scriptura etiam ubi loquitur de timore, *Timor Domini expellit peccatum*, Eccli. cap. 1. Quomodo per adversarios expellit peccatum? Hominem disponendo ad gratiam. De Fide inquit Apostolus in ep. ad Rom. cap. 3. *Arbitramur justificari hominem per Fidem.* Numquid per solam Fidem sine Caritate? Absit. Et de Spe idem Apostolus ibid. cap. 8. *Spe salvi facti sumus.* Sicut ergo timor, Fides, Spes tollunt peccatum, justificant, salvant, quoniam ad reconciliationem, justificationem, salutem disponunt; ita et Caritas initialis facit ut Deus diligat hominem, apud illum mansionem faciat etc. quatenus disponit, extra Sacramentum remote, in Sacramento vero proxime ad justificationem.

Ad 3. In tertio solvendo argumento non immorabor. Nam qui diligit Deum super omnia, ejusque invocat nomen, habens in corde Caritatem dumtaxat initialem a Deo diligitur, ab eoque exauditur, sed non ita ut diligatur et exaudiatur perfecte, quod ad reconciliationem extra Sacramentum requiritur. Diligetur autem a Deo ab eoque perfecte exaudietur, si efficacia accedat Sacramenti, vel Caritas ita augeatur ut perfecta omnino evadat. Hoc eodem sensu excipiendum est illud quod addunt, dare sibi vitam spiritualem eum qui initiali Caritate præditus est; dat nempe sibi vitam spiritualem inchoatam et imperfectam, et similiter filius Dei appellari potest dispositive, ut inquiunt, non formaliter. Totum hoc negocium paucis explicat Bellarminus de Justif. cap. 13. *Deus prior diligit nos, et diligendo facit justos, sed paulatim, et per certa media; quos enim diligit, primum vocat ad Fidem, tum Spem, et timorem, et dilectionem inchoatam inspirat, postremo justificat, et Caritatem perfectam infundit.* Et ante illum S. P. Augustinus tract. 5. in ep. Joan. *Numquid mox ut nascitur* (Caritas), *jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.*

Ad 4. respondeo 1. sanctos Patres in argumento laudatos, Augustinum videlicet, Chrysostomum, Gregorium, Petrum Chrysologum, Bernardum, et alios qui citari solent, inculcare ubique in eorum operibus praeceptum Caritatis, praesertim ad veniam peccatorum a Deo obtinendam. Qua fronte ergo adversarii ad Patrum nunc provocant auctoritatem, quum a justificatione excludant Caritatem omnem in poenitente? 2. Sancti Patres

locis in argumento citatis proculdubio loquuntur de Caritate acri, intensa, et perfecta. Et quo ad Augustinum spectat, ipsae phrases quibus utitur et ea quae antecedunt ac subsequuntur satis demonstrant de qua Caritate praefatis in argumentis ipse loquatur. Nam primo loco sermonem facit de dilectione sive Caritate quae *facit nos in Deo manere, et ipsum in nobis: per quam nos tota inhabitat Trinitas:* quae procul dubio est Caritas habitualis. Secundo loco loquitur de Caritate quae fuit *in Abel* dum offerebat Deo de pinguibus sui gregis odoratissimum sacrificium, et quam haberet qui *idoneus esset mori pro fratre*: quae est Caritas perfecta, dicente eodem et citato in tractatu, *Si quis tantam habuerit Caritatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo Caritas.* Tertio denique loco verba facit de Caritate per quam anima *omnium justorum Creatorem* scit, *ipsum* esurit, *ipsum* sitit, ut satietur *praesentia Dei*: quae Caritas prorsus perfectissima est, solorumque propria perfectorum. Nil mirum ergo si de talibus affirmat esse filios Dei, jamque pertinere ad justificatos. Quod si haec loco de Caritate inchoata accipi velint, tunc sensus est: si timori aeternorum suppliciorum non succedat aliqua Caritas saltem inchoata, iste timor per se non sufficit, relinquitque adhuc taliter timentes sub potestate diaboli captivos, devinctos antiquorum funiculis peccatorum. Haec quoad S. P. Augustinum. Joannes Chrysostomus loquitur et ipse de Caritate perfecta, ut ipsa verba indicant hom. 7. in 2. ad Tim. *Caritatis fervor, quocumque inciderit, omnia perimit: ubi Caritas est, omnia sublata sunt mala.* Et Gregorius M. comm. in cap. 3. lib. 1. Reg. *Ex vi conversionis magnitudo deletur criminis: vis autem conversionis est affectio Caritatis.* 3. Sancti Patres in Caritate reponunt spiritualem vitam, filiationem Dei, salutem aeternam, utique, sed juxta Caritatis ejusdem gradus. Si Caritas acris sit, vehemens, et perfecta, homo vitam spiritualem ac Dei filiationem habet formaliter, etiam extra Sacramentum. Hoc idem evenit homini habenti Caritatem inchoatam si Sacramenti addatur efficacia. Si vero non accedat ad Sacramentum, Caritas illa ad vitam spiritualem et Dei filiationem disponit tantum remote. Atque hoc sensu nonnulla Patrum testimonia sunt exponenda. Interim adnotandum hic erit ad vitandas adversariorum cavillationes, quod licet contritio quae ex motivo inchoatae tantum Caritatis concipitur, de lege ordinaria extra Sacramentum impium non justificet, facit tamen id de lege extraordinaria, si nempe inveniatur impius in casu necessitatis, et una cum initiali Caritate votum concipiat Sacramenti. Hinc orta in Ecclesia est antiquissima illa consuetudo Deo per preces et oblationes commendandi animas illorum qui absque Sacramento Poenitentiae quod desiderarunt ex hac vita discesserunt, quoniam existimatum est semper in extrema periodo habuisse illos attritionem ex inchoata Caritate conceptam, unde in Concilio 4. carthag. can. 79. haec fuit lata lex: *Poenitentes qui attente Poenitentiae leges exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.*

Obj. 7. adv. eamd. 3. concl. Ut in praeconcepta opinione adversarii

persistant, recurrunt modo ad parabolas quae in Evangelio leguntur, in quibus proprium systema vivis coloribus depictum se invenisse gloriantur. Et I. inquiunt: Lucae cap. 15. parabola narratur de filio prodigo qui postquam in regione longinqua procul a patre omnem substantiam suam dissipasset, et in extremam redactus esset egestatem, in se reversus ne fame tandem periret, dixit, *Quod mercenarii sunt in domo patris mei qui pane abundant, et ego fame pereo! Surgam, et ibo ad patrem meum;* quod continuo praestitit, et res accidit ei ex voto, quoniam benigne a patre exceptus est, et in pristinum statum restitutus. Hinc arguunt: Christus in hac parabola Sacramentum Poenitentiae mox instituendum adumbravit, ac proinde filius prodigius figura fuit poenitentis. Hic in pristinum filii statum fuit restitutus, quamvis ad patrem, non amore ductus, sed timore mortis, ne fame scilicet periret, rediit: ergo etc. II. nec dici potest prodigum filium aliquali amore commotum ad patrem rediisse, nam causa paternae laetitiae in reditu filii fuit quia filius mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Inventus autem fuisset, etiamsi solo mortis timore rediisset ad patrem. III. et in parabola commendatur revera summa patris benignitas erga filium; quod certe non fieret si filius ex amore erga patrem in sinum ejus rediisset. IV. est et alia parabola Matth. cap. 18. quae adversariorum systema confirmare videtur. Parabola autem haec est. Oblatus est regi servus qui debebat ei decem millia talenta. Quum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus venumdari cum uxore et filiis. Servus autem procidens ad pedes ejus, dicebat: *patientiam habe in me, et omnia reddam tibi* quod satis fuit ut dominus dimitteret illi omne debitum. Quis est, quaeso, rex hujus parabolae nisi Deus? Et servus nonne est homo poenitens? Sicut ergo rex debitum dimisit petenti veniam ex timore, non ex amore, ita reconciliatur Deus peccatori ex timore redeunti ad ipsum, non ex amore.

Resp. ad 1. Hoc argumentum multis modis solvi potest. Et 1. quidem falsum omnino est in allata parabola Poenitentiae Sacramentum aut hominem poenitentem praefigurari; docet enim ibi Christus, peccatores ad meliorem frugem revertentes benigne et cum gaudio esse excipiendos. Cumque ne umbra quidem in allata parabola de potestate clavium habeatur, consequens fit non fieri ibi sermonem de peccatoribus ad Sacramentum accedentibus, sed de peccatoribus quibuscumque, etiam veteris Testamenti in quo Sacramentum illud non habebatur. Nam quum scribae et pharisaei reprehenderent Christum, quod peccatores reciperet et cum illis manducaret, Christus ad eorum reprehendendum supercilium, parabolas affert de ove et dragma perditis, subinde inventis, et de prodigo filio ad patrem redeunte; aitque sic laetari Angelos in Caelis de uno peccatore poenitentiam agente, quomodo gavisi sunt pastor, mulier, et pater de recuperatis ove, dragmate, et filio. 2. Si parabola in sensu adversariorum accipiatur, dicendum erit solum timorem sine ulla prorsus Caritate satis esse ad justificationem, etiam extra Sacramentum; immo obtineri eamdem justificationem solo timore naturali, per ipsos enim filius ad patrem rediit, dumta-

xat ne fame periret. 3. Decipiuntur adversarii dum putant prodigum filium solo timore commotum ad parentis sui pedes rediisse; caepit quidem illius poenitentia a timore, sed longius progressa transiit deinde ad amorem, ut patet ex illis verbis, *Pater, peccavi in caelum, et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus*; unde S. P. Augustinus lib. 2. in Evang. quaest. 33. scribit, tunc solum poenitentiam egisse, quando dixit Patri, *Pater, peccavi in caelum, et coram te*, etc. Nam *cetera verba*, ait S. Pater, *sunt poenitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis. Non enim jam dicit Patri, sed dicturum se esse promittit cum venerit.*

Ad 2. Prodigus filius inventus utique fuisset etiamsi solus timor eum duxisset ad patrem. Sed interim ex jam observatis apparet, rediisse amore erga optimum patrem commotum. Deinde parabolae scopus non est modum edocere quo ad Deum per poenitentiam reverti oporteat, sed gaudendum esse de peccatoris conversione, abstrahendo a modo quo peccator converti debet.

Ad 3. Non video cur patris benignitas commendanda non sit si perditus filius ex amore ad ejus redeat pedes ut prodigus fecit, quemadmodum illa verba indicant, *Pater peccavi in caelum, et coram te.*

Ad 4. Scopus illius parabolae non est indicare partes quae in vera poenitentia per Sacramentum requiruntur, sed est docere dumtaxat remittendas esse invicem acceptas injurias si Deum volumus misericordem erga nos experiri, ut patet ex ejusdem parabolae conclusione, *Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*. Petrus enim interrogaverat Christum quoties dimittendum esset fratri peccanti? an septies? Respondit Christus: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*: ac statim subdit laudatam in argumento parabolam. Hic obiter nota, quod si parabola in sensu adversariorum esset accipienda, non solum sequeretur timorem mere naturalem de quo solo commemoratio fit in parabola, tam in Sacramento quam extra sufficere ad justificationem, sed praeterea non requiri spem obtinendae veniae, non vitae mutandae propositum, non doloris efficaciam, quum nihil horum in parabola occurrat. Multa alia minoris momenti quae attritionis formidolosae defensores opponere solent contra nostram sententiam, ex jactis hucusque fundamentis explicari facile possunt, et recensita et soluta videri possunt apud praeclarissimos scriptores Le-Drou, Juvenin, Drouen, Berti, Witasse, aliosque. Similiter frivola nonnulla quae contra postremam statutam a nobis thesim afferri solent ab adversariis et praesertim ab Honorato Tournely, praeoccupata a nobis sunt in solutione argumentorum contra tertiam thesim. Reliquum est ut modo seorsim disputemus majori qua fieri poterit brevitate de mente Concilii tridentini circa controversiam hanc celebrem redditam a Theologorum illorum numero qui vel proprio ingenio magis quam auctoritati in rebus etiam gravissimis ut plurimum fidere solent, vel absque ullo praemisso examine, praecendentium scriptorum se submittunt judicio, argumenta ac rationes ab illis allatas sedulo ac diligenter exscribentes.

CAPUT V.

An tridentinum Concilium sufficientiae attritionis servilis faverit.

Quoniam attritionis servilis sufficientiae in Sacramento Poenitentiae fautores nil aliud in hac controversia magis habent in ore quam illorum opinionem consecratam jam atque definitam solemni decreto fuisse a tridentino Concilio, initialis vero amoris sententiae in pravis lutheranorum dogmatibus fuisse conclamatum, operae pretium ducimus ut in illius Concilii mentem circa materiam hanc sedulo ac diligenter hoc in loco inquiramus. Quod si omni partium studio seposito, abjectisque praejudiciis fiat, eo rem venturam esse confido ut attritionis initialis sententia non modo a quavis censura immunis evaserit, sed praeterea inter Synodi Patres fuisse illam communem, eorumque menti in definitionibus de justificatione omnino cohaerentem. Atque ut id probe assequamur, 1. falsa lutheranorum dogma summatim breviter iterum recensebimus. 2. Decretum tridentinae Synodi recitabimus impiae lutheranorum doctrinae oppositum. Docebant itaque haeretici, contritionem quae paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, locum in vera Poenitentia non habere, esse coactam et non liberam, hominem ad gratiam non praeparare, imo inducere ad desperationem, illumque hypocritam et magis peccatorem efficere. Nec mirum, reponebant enim totum justificationis negocium in speciali quadam fiducia divinae misericordiae. Concilium e contra allata vera contritionis definitione lutheranicae opposita doctrinae, statuit primum locum illam habere inter poenitentis actus, ac subinde declarat, *hanc contritionem, non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud etc.* Definitam praeterea contritionem dividit in perfectam et imperfectam dicens: *Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando Caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad gratiam Dei in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit: hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt.* Hactenus Decretum. Si quis lutheranorum recensitos errores accurate perpendens cum Concilii doctrina contulerit, Patrum tridentinorum mentem

per seipsum assequi facile poterit, nullaque a nobis addita animadversione deprehendet, non adversariorum, sed nostram potius consecrare ac definire voluisse sententiam; sin minus fatebitur sententiam nostram Concilii doctrinae esse omnino conformem.

Sed primo ingenue fatendum est, Patrum tridentinorum scopum non fuisse scholasticas definire quaestiones aut scholarum sententiis prejudicium afferre, sed haereticorum errores recidere et extirpare, ut testis est disertissimus Cardinalis Pallavicinus hist. Conc. lib. 4. cap. 10. unde non est cur adversarii unam vel alteram illius decreti voculam, ut nostrae sententiae invidiam conflent, avide arripiant, et in pravum sensum detorqueant, ita enim non cordati Theologi, sed garruli sophistae se gerere solent. Quare sicuti nos illorum opinionem a Patribus tridentinis damnatam esse minime contendimus, quamvis gravissimi id affirment scriptores, ut Joannes Morinus de contr. et attr. cap. 10. sic et illi desinant tandem ac vereantur exclamare sententiam nostram in lutheranorum errorum damnatione esse involutam. Ceterum si illius decreti sensum penitius rimari velimus, quemadmodum luculentissime apparet, Patres Concilii intentos unice fuisse in haereticis proscribendis dogmatibus, ita non minus clare patebit fecisse id principiis inter Theologos ea aetate communibus, ex quibus resultat sententiam amoris initialis menti ac doctrinae Patrum tridentinorum esse undequaque conformem.

Et intendisse Concilium serpentes haereticorum errores, intactis scholarum relictis sententiis, dumtaxat evellere, paullo ante diximus nec opus est ut repetamus. Ast numquid lutherani docebant ad justificationem in poenitente Caritatem requiri initialem, ut nos affirmamus, ex timore gehennae aut turpitudinis peccati consideratione conceptam? Apage nugas. Immo volebant Poenitentiam nonnisi amore et quidem perfecto concipi et fiduciae conjuncto mereri justificationem; adeoque eum qui sibi contritionem parare vellet in amaritudine animae suae, reddi hypocritam magisque peccatorem. Et in Assert. art. 4. aperte ajebat lutherus: *Verum est imperfectam Caritatem esse impedimento ad introitum Regni, propter vitium* (nempe timorem gehennae) *quo imperfecta est*. Hoc ergo damnans Concilium, ac definiens timorem ex gehennae aut turpitudinis peccati consideratione conceptum, bonum esse, supernaturalem, ac donum Spiritus S. comprimit quidem novatorum audaciam, non consecrat novam Theologorum doctrinam. Aliud enim est dicere attritionem etiam servilem bonam esse, et donum Spiritus Sancti, et aliud sufficere in Sacramento ad reconciliationem. Nam Fides etiam, Spes, eleemosyna, aliaque similia, bona sunt ac dona Spiritus S. nec proinde valent per se in Sacramento justificare.

Quod vero sententia de Caritate initiali sit oecumenici Concilii decreto omnino conformis, res mihi videtur majoribus theatris manifesta. Et 1. quidem, illius contritionis motum tamquam Sacramenti Poenitentiae materiam Concilium agnoscit, *quae fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarius*. An ne dicent adversarii ante Sacramenti Poenitentiae institutionem satis fuisse ad veniam peccatorum impetrandam attritio-

nem mere servilem? 2. Eam exigit sacra Synodus in poenitente contritionem, *quae non solum cessationem a peccato, et vitae novae propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium continet.* Sed per solum timorem servilem, sicuti non excluditur voluntas peccandi, ita vitae veteris, nempe peccati odium haberi non potest, ut in superioribus fuse demonstravimus. 3. Timorem illum tridentini Patres pro Sacramenti materia commendant et admittunt, *quo utiliter concussi Ninivitae ad Jonae praedicationem, plenam terroribus Poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt.* Affirment, si possunt, adversarii, timorem Ninivitarum omni prorsus expoliatum fuisse Caritate. Numquid defectui amoris supplere tunc poterat Sacramentum, quod non extabat? Principia ergo quibus ad haereticorum refellendos errores tridentinae Synodi Patres utuntur talia sunt quae confirmant, non destruunt nostram sententiam. His breviter hoc modo perpensis, nunc controversiam in gratiam tyronum ad scholasticam methodum redigamus. Sit itaque

CONCLUSIO

Tridentinum Concilium non solum non definivit attritionis servilis sufficientiam, sed e contra multa habet ex quibus necessitas infertur amoris initialis.

Prob. I. concl. pars 1. Existimant attritionis servilis defensores Concilium tridentinum illorum definiisse opinionem, quoniam statuta initio decreti necessitate contritionis in Sacramento Poenitentiae dividunt illam in perfectam quae aliqualem continet Caritatem, et in imperfectam omni prorsus amore vacuam quae servilis attritio nominari solet, atque decernit utramque ad Sacramentum sufficere perficiendum: atqui non percipiunt ipsi vel potius percipere nolunt mentem Concilii. Nam falsum omnino est a contritionis imperfectae notione decretum illud excludere amorem initialem, adeoque per imperfectam contritionem intelligere attritionem mere servilem. Et sane, Concilium contritionem in genere definiens *animi dolorem, et detestationem de peccato commisso*, subintelligit absque dubio, *prout est offensa Dei.* Quod adeo verum est, ut Theologi lovanienses art. 4. definitioni illi addiderint, *propter Dei offensam*, probe noscentes agere tridentinos Patres de dispositionibus ad Gratiam adversus protestantes, justificationem repetentes ex sola Fide cum exclusione Caritatis, juxta illud Lutheri in cap. 2. ep. ad Gal. *Sophistae caeci* (Theologi nempe catholici) *somniant, Fidem non justificare, nisi ornata sit operibus Caritatis:* ex quo falso principio deducebant, *peccatorem non posse dolere de peccato ob Dei offensam ex ejus amore, antequam remissum sit peccatum*, scribit Tapperus in expos. citati art. 4. Quare decernens Concilium adversus haereticos unam ex dispositionibus ad justificationem esse contritionem, hoc est, *dolorem ac detestationem de peccato commisso*, subintelligere debuit, *prout est offensa Dei*; atque idcirco dispescens subinde contritionem in perfe-

etam et imperfectam, in utraque includit animi dolorem et detestationem de peccato commisso prout est offensa Dei. Detestari peccatum prout est offensa Dei pertinet ad Caritatem, ut ait S. Thomas. Itaque utraque contritio, juxta mentem Concilii, continet Caritatem, cum hoc tantum discrimine quod contritio perfecta intensam admodumque ferventem, imperfecta verò minus intensam atque remissam habeat Caritatem, ut fuit illa qua Ninivitae ad praedicationem Jonae concussi plenam terroribus egerunt poenitentiam, et veniam a Deo obtinuerunt. Hinc Patres Concilii in reformatione decreti quod jam adornaverant, ne ab attritione omnem Caritatis scintillam excludere viderentur, ubi antea posuerant, *qui servilis timor dicitur*, postea verba haec abrasa omnino voluerunt, ut narrat Pallavicinus hist. Conc. lib. 11. cap. 10. II. Altera caussa quae ansam praebet adversariis affirmandi eorum sententiam fuisse a Concilio approbatam est, quoniam sess. 14. cap. 4. de attritione dicitur, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, sed donum Dei esse, et sufficere ad justificationem: atqui hoc mendacium est apertissimum ex importuna verborum Concilii intelligentia exortum; nam primo attritio de qua sermo fit in laudato decreto, quum omnem peccandi voluntatem excludat, esse non potest mere servilis, ut in superioribus diximus. Deinde verò non inquit Concilium attritionem ad justificationem in Sacramento obtinendam *sufficere*, sed tantum *disponere*, quae duo longe distare nemo non videt, quum Fides quoque et Spes et oratio disponant, quamvis non sufficiant ad justificationem; unde a decreti specimine verba illa, *sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*, quae prius apposita fuerant, ut omnem de medio tollerent aequivocationem Concilii Patres abstulerunt, ut Pallavicinus animadvertit loco nuper laudato. III. Pluribus demonstratum est in superioribus, opinionem de attritionis servilis sufficientia novam esse, a nudius, tertius inventam, et a primis illius architectis cum animi trepidatione propositam ingenue fatentibus licet non esse *expressam evangelicam assertionem, aut ecclesiasticam definitionem, neque apud Augustinum aliumve hujus classis auctorem reperiri, sed solum esse scholasticam collectionem*, ut Soti verbis loquar. Ast talis opinio numquid definita a tridentino Concilio dici potest? Hinc Alexander VII. praecipit ne una litigantium pars alteram censura aliqua notet, *donec a S. Sede fuerit aliquid hac de re definitum*. Desinant ergo attritionis propugnatores jactare a partibus suis stare Concilium.

Prob. altera concl. pars. I. sess. 14. cap. 1. haec sacrosancta Synodus habet: *Fuit quidem Poenitentia universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent . . . ad Gratiam et justitiam assequendam necessaria . . . ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pro animi dolore detestarentur*: atqui detestari nequit peccatum sub hoc aspectu, *quatenus est offensa Dei*, per solam attritionem servilem, nisi aliqualis etiam intercedat Caritas, quod fatentur praeter S. Thomam, post Augustinum, aliosque Patres, praecipui etiam adversae sententiae patroni. Et S. Thomas quidem, ne repetam quae superius allata sunt ex Patribus, 3. p. q. 85. art. 3. et 4. *Poenitentia*, inquit,

est cum Fide passionis Christi, per quam justificamur a peccatis, et cum Spe veniae, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad Caritatem. Et ex adversariorum classe duorum nomina dumtaxat recitare sufficiat, Becani videlicet qui de Sacram. Poenitentiae cap. 30. inquit: *Detestatio peccati, ut est offensa Dei, est actus Caritatis, ut omnes concedunt*: et Vasquesii qui in 3. p. q. 86. art. 2. *Omnes*, ait, *praeter Alexandrum, fatentur, quod impossibile sit ut actus odii peccati, prout est offensa Dei, sit alterius virtutis quam Caritatis.* Concilii ergo doctrina astruit potius quam destruat nostram sententiam. II. idem Concilium sess. 6. cap. 6. loquens de Sacramento Baptismi, singulos gradus quibus ad justificationem ascenditur, veluti graphice delineans, primo loco exigit in catechumeno Fidem, qua credendum est revelatis et promissis a Deo, ac praesertim justificari hominem per Redemptionem. 2. Recenset timorem divinae justitiae quo peccatores utiliter concutiuntur 3. Docet eosdem peccatores a timore perculsos transire ad spem qua eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. 4. Tum concipere *in corde Caritatem, qua Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*; hisque munitos praesidiis, justificationem denique obtinere. Ex quibus hoc exurgit scholasticum argumentum: Ad justificationem in Sacramento Baptismi consequendam, praeter Fidem, Timorem, et Spem, necessario requiritur Caritas qua Deus tamquam omnis justitiae fons diligi incipiat: ergo etiam in Sacramento Poenitentiae. Numquid dicent adversarii, in hoc differe utrumque Sacramentum, quod ibi, non hic Caritas requiratur? Sed si ita respondent, decipiuntur 1. Quoniam Concilium sess. 14. cap. 2. discrimen assignans inter utrumque Sacramentum nequidem cogitavit dicere, Baptismo, non autem Poenitentiae praemittendam esse Caritatem. 2. Quoniam recuperari nequit, juxta Concilium, amissa novitas per Baptismum olim acquisita, *nisi magnis nostris fletibus et laboribus.* Ast magni fletus et labores lapsis post Baptismum nihil sunt per Apostolum sine Caritate. 3. Quoniam Poenitentia a Concilio post veteres Patres dicitur laboriosus quidam Baptismus, atque idcirco potiora ad justificationem in Poenitentiae quam in Baptismi Sacramento requiruntur. 4. Denique quoniam gravius peccat homo post acceptum Baptismum, quam constitutus in infidelitate, quum *Gratiae Dei*, ut ait S. Synodus, *quam acceperunt ingrati Spiritum S. contristent, et templum Dei violare non vereantur.* Quare si Baptismi comes debet esse Caritas saltem initialis, multo magis Poenitentiae. III. canone ejusdem sess. 3. haec statuit S. Synodus: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus S. inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Hoc in canone sermo fit generatim de modo consequendi Gratiam justificationis. Hoc in canone inter dispositiones ad justificationem requisitas praeter Fidem et Spem recensetur etiam dilectio: ergo etc. Atque ita verum est quod ab initio demonstrandum suscepimus, Concilium nempe tridentinum non solum adversariorum opinionem non definiisse, ut inaniter jactant, sed e contra sententiae nostrae impense favisse.

Adversariorum argumenta proponuntur ac refutantur.

Obj. 1. Falsum omnino est, tridentinam Synodum in decreto sess. 14. loqui de attritione quae aliqualem conjunctam habeat Caritatem, ut nonnulli contendunt, nam de illa imperfecta contritione ibi sermo instituitur quae ex gehennae et poenarum metu vel ex peccati turpitudine communiter concipitur. Haec autem alia non est quam attritio servilis. Cumque definiat utramque contritionem sive perfectam sive imperfectam materiam esse Sacramenti, consequitur utramque sufficere ad reconciliationem. 2. Et re quidem vera, ex decreto quod nunc inter acta Concilii continetur abrasa fuerunt illa verba, *cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat*, quae antecedenter in eodem decreto a Patribus posita fuerant, ut narrat Pallavicinus. Declararunt itaque se verba facere de attritione quae omnem excludat dilectionem. 3. Deleverunt quoque ex eodem decreto verbum, *sufficit*, quod in privata congregatione Theologi posuerant, ac in ejus locum substituerunt verbum, *disponit*. Ast si Patres loqui intendissent de attritione quae amorem initialem includeret, cur verbum illud abrasissent? Noverant proculdubio attritionem amori conjunctam satis esse ad justificationem. 4. Concilii Patres initio sess. 14. protestantur se ob publicam utilitatem tradere velle exactiorem et pleniorem de iis quae ad Poenitentiam spectant definitionem. At ubinam esset plenior haec et exactior definitio, si necessaria foret initialis Caritas ad justificationem? Nam ne verbum quidem de illa habetur in laudata sessione.

Resp. ad 1. Multa in superioribus allata sunt quae demonstrant venerandam Synodum ab attritione quae ex turpitudinis peccati consideratione aut ex gehennae metu communiter concipitur non excludere Caritatem initialem; quibus hoc aliud addi potest. Quid, quaeso, Concilium ad contritionem in genere requirit? Ex tradita contritionis definitione duo necessario requiruntur, animi nempe dolor de peccato commisso, et propositum non peccandi de cetero. Atqui haec eadem Concilium tribuit attritioni, sess. enim 14. cap. 4. de illa inquit: *Si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae etc.* Et can. 5. addit: *Si quis dixerit, eam contritionem etc. cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem etc. anathema sit.* Ast duae illae conditiones in contritione generatim accepta supponunt Caritatem erga Deum: hanc ergo supponunt etiam in contritione imperfecta. Quod si dicant attritionem quoque servilem excludere voluntatem peccandi, reprehensorem habebunt Augustinum dicentem lib. de nat. et grat. cap. 57. *Qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiae se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus* (est) *a voluntate peccandi.* Et serm. 169. de Script. alias 15. de verb. Apost. *Qui timore poenae non concupiscit, puto quia concupiscit.* Dispescens ergo Concilium contritionem in perfectam et imperfectam, satis ostendit quod utraque ut sit pars Sacramenti includere debeat Caritatem, acrem quidem, ferventem et intensam si contritio perfecta sit, minus intensam et remissam si sit imperfecta.

Ad 2. Si tridentini Patres verba in argumento allata abraserunt, ut se de nuda attritione servili verba facere significarent, cur ex eodem decreto abstulerunt etiam verbum, *solum*, ubi dicunt attritionem ex turpitudinis peccati consideratione vel ex metu poenarum concipi? Rursus si de attritione omni dilectione vacua loqui volebant Patres, cur ab eodem decreto illa quoque verba expunxerunt, *qui servilis timor dicitur*? Caussa itaque propter quam laudata in argumento verba ex decreto abstulerunt est, quoniam, *abstractive*, ut inquiunt, loquendo, contritio imperfecta seu attritio quum non raro a timore mere servili oriatur, accurata non fuisset ista locutio: contritio imperfecta *vix concipi potest sine aliquo dilectionis in Deum motu*, ut recte observavit Joannes Aemilianus tudedanus antistes apud Pallavicinum. Et quoniam Lutherus de qualibet attritione sive amori conjuncta sive ab eo separata dogmatizabat facere hominem hypocritam magisque peccatorem, de attritione in abstracto seu generatim considerata Concilii Patres prudentissime pronuntiarunt esse donum Dei, ac Spiritus S. impulsum verissimum.

Ad 3. In tertio refellendo argumento non immorabor. Nam veteres non infimae notae scholastici in eam abiere sententiam ut crederent amorem Dei etiamsi super omnia non satis esse ad justificationem in Sacramento Poenitentiae recipiendam nisi plures habeat gradus. Vide quae ab initio hujus controversiae diximus. Ut itaque Concilii Patres in proposito sibi scopo de non afferendo Theologorum opinionibus vel minimo praejudicio perseverarent, ex allato decreto deleverunt verbum, *sufficit*. Ita Tudedanus episcopus apud Pallavicinum.

Ad 4. Supposito semel quod tridentini Patres contritioni imperfectae adjunctam crediderunt Caritatem aliquam initialem, ut hactenus demonstratum est, jam patet definitionem de iis quae ad Poenitentiae Sacramentum spectant pleniorem esse atque exactiorem, etiamsi de Caritate initiali expressam non faciat commemorationem. Haec enim dicens Concilium digitum intendit ad sess. 6. ubi necessitatem dilectionis ad justificationem in genere jam definierat.

Obj. postremo. I. fundamentum praecipuum ex sess. 6. cap. 6. deductum ab assertoribus Caritatis initialis omnino corruit. Actus enim amoris, juxta Tridentinum in laudata sessione, requiritur quidem necessario ad justificationem; ast necessitas isthaec est necessitas quaedam convenientiae, et congruitatis, non necessitas absoluta: quare etiam attritio servilis absque ullo dilectionis actu aliquando sufficit. II. quod si velit quis contentiose affirmare loqui Concilium de necessitate absoluta, non proinde finem sibi propositum consequetur; ibi namque videtur sermonem fieri de justificatione extra Sacramentum, non in ipso Sacramento consequenda; agit quippe Concilium de cathecumenis qui Baptismum suscipere proponunt, non qui actu suscipiunt; ait enim, *denique dum proponunt suscipere Baptismum.* III. statuit quidem tridentina Synodus contritionem amori conjunctam materiam esse Sacramenti, sed numquid proinde aliam excludit materiam, contritionem scilicet omni vacuam dilectione? Non enim dicit, *solam* contritionem etc.

Resp. ad 1. adversariorum expositio cap. 6. sess. 4. mera est et ineptissima cavillatio. Nam 1. eodem modo Concilium affirmat necessariam esse ad habendam Dei gratiam dilectionem, quo dicit necessariam esse Fidem, Spem etc. actus autem Fidei, Spei etc. necessarii sunt necessitate absoluta, non necessitate convenientiae. 2. Sacrosancta Synodus ad decernendam ibidem necessitatem Fidei, Spei, et Caritatis adhibet vocem, *oportet*. Ast vox haec necessitatem denotat absolutam, non congruitatis, ut in can. 3. ejusdem capitis: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus S. inspiratione atque adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, atque poenitere posse, sicut oportet, ut ei Gratia justificationis conferatur, anathema sit.* 3. Quum in decreto laudati cap. 6. prius efformato nulla sanctae dilectionis mentio fieret, Concilii Patres addita voluerunt illa verba, *illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*; ajebant enim, inquit Pallavicinus hist. Conc. lib. 8. cap. 13. *quia si poenitentia tota esset ex timore, sine amore justitiae, et dolor esset propter poenam tantum, et non propter Dei offensam, infructuosa esset.*

Ad 2. Inanis prorsus est adversariorum illa Concilii interpretatio. 1. enim Patres de ea loquuntur justificatione circa quam turpiter errabant lutherani et calvinistae, ut laudato loco legitur. Hi autem errabant circa justificationem quae in actuali Sacramenti confertur susceptione. 2. Dum Concilium loquitur de Fide, aliisque dispositionibus necessariis ad justificationem, vult ut ejusmodi dispositiones habeantur in actuali Sacramenti susceptione: ergo a pari, etc. 3. Si adversariorum consisteret argumentum, sequeretur Patres Concilii fuse loquutos fuisse de dispositionibus ad justificationem de via extraordinaria consequendam, nihil vero dixisse de dispositionibus ad recipiendam Gratiam praerequisitis de via ordinaria, in actuali nempe susceptione Sacramenti; quod est absurdissimum.

Ad 3. Si quae ad mentem Concilii exponendam diximus, bene perpendantur, satis superque patebit eam fuisse Patrum intelligentiam, ut vellent solam contritionem unitam Caritati materiam esse Sacramenti Poenitentiae. Nec officit vocem illam, *solam*, non usurpasse, alioquin dicendum foret nec tridentinam Synodum nec Eugenium IV. in instr. pro armenis adaequatas tradidisse Sacramentorum materias, quoniam vocem exclusivam, *solam*, non adhibuerunt.

Antequam autem manum de tabula tollam, non abs re erit ad tyronum utilitatem animadvertere complures esse nostrae sententiae Theologos et quidem praeclarissimos qui Concilii tridentini mentem interpretantes, contritionis imperfectae seu attritionis nomine intelligi posse attritionem mere servilem concedere non detrectant, sed non proinde sequi ajunt S. Synodi Patres statuisse servilem ejusmodi attritionem satis esse per se ad justificationem in Sacramento Poenitentiae obtinendam. Nam si Concilium, inquiunt, affirmat attritionem esse donum Dei, impulsum Spiritus S. etc. hoc idem dicit etiam de Fide, Spe, aliisque dispositionibus, nec proinde per se sufficiunt ad justificationem. Si tradit attritionem disponere poenitentem ad justificationem in Sacramento recipiendam, eam dispositionem vult esse dum-

taxat remotam, atque hoc esse perfectam inter et imperfectam contritionem discrimen, quod illa extra Sacramentum, supposito tamen Sacramenti voto, justificet, haec autem extra Sacramentum disponat tantum, seu praeparet hominem ad recipiendam in Sacramento justificationem, quatenus a Deo obtinet adjutorium ad habendam Caritatem ejusdem Dei super omnia saltem initialem; non secus ac si quis de Fide diceret, *et quamvis extra Sacramentum hominem ad justificationem per se perducere nequeat, tamen illum ad Dei Gratiam in Sacramento impetrandam disponit.* Neque verum est, addunt, antithesim instituere Concilium, ut adversae sententiae patroni cavillantur, inter attritionem extra Sacramentum, eamdemque attritionem in Sacramento; si enim id esset, fuisset a Patribus dicendum, *tamen eum ad Gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam perducit*; maluerunt autem dicere, *disponit*, atque expunctum voluerunt verbum, *sufficit*, idque ut tacite huic objectioni, *si attritio extra Sacramentum per se non sufficit ad justificationem, consequitur esse omnino inutilem*, obviam irent. Si namque disponit, seu praeparat peccatorem ad Dei Gratiam in Sacramento recipiendam, certe inutilis non est, neque damnata ut lutherani et calvinistae blaterabant. Atque haec satis sint de controversia quae attenta veterum Patrum et Theologorum traditione facilis est, sed celebris intricataque cavillis, atque subtilitatibus laxiorum praecedentis aetatis casuistarum evasit.

CAPUT VI.

De altera Sacramenti Poenitentiae parte, nempe de Confessione.

De priori Sacramenti Poenitentiae parte idest de contritione, ob contradicentium numerum atque auctoritatem, satis fuse pro instituti nostri ratione pertractavimus. Nunc paullo arctius de altera ejusdem Sacramenti parte, nempe de Confessione, disserendum erit, atque exordium a nomine ducentes animadvertere juvabit partem hanc quae a latinis *Confessio* dicitur, a graecis appellari εξομολογεδιν, *Exomologesim*, quod nomen, sicuti et latinum Confessio, proprie peccatorum alteri factam significat manifestationem. Ita nomen illud accipitur Matth. cap. 18. Jacobi 5. et in Actibus Apost. cap. 19. unde nil mirum si graeci Patres Irenaeus, Epiphanius, aliique eam tribuerint saepe voci huic significationem, quos secuti postea Patres latini vocem ipsam Exomologesim totidem syllabis ad exprimendam peccatorum enumerationem alteri factam a graecis mutuo acceperunt, quos inter Tertullianus lib. de orat. cap. 7. Cyprianus lib. de laps. multique alii; quamvis nonnulli tum ex graecis tum ex latinis vocem Exomologesim adhibuerint quandoque ad totam exprimendam Sacramenti Poenitentiae actionem, contritionem, confessionem, ac satisfactionem complectentem. Sed de nomine plura disserunt Morinus, Juvenin, Berti, alii. Potest autem Confessio de qua loquimur, cum Catechismo romano p. 2. num. 51. optime definiri, *Sacramentalis peccatorum, quae post Baptismum patrata sunt, accusatio facta Sacerdoti ad illorum remissionem virtute clavium Ecclesiae consequendam.*

Actus hic dicitur *sacramentalis acousatio*, quoniam recensentur a poenitente peccata non ad satisfaciendum alterius curiositati, non ad renovandam sibi ipsi pravam delectationem, sed eo animo ut se reum transgressae legis confitendo, vindictam de illis in se sumat, et per Sacramentum veniam obtineat a Deo. Additur, *peccatorum suorum*, hoc est, non alienorum, sed a se patratorum, et quidem post Baptismum, quoniam quae ante Baptismi susceptionem patrata sunt, per ipsum regenerationis lavacrum dimittuntur. Dicitur, *facta Sacerdoti*, quia hic dumtaxat minister est a Christo constitutus hujus Sacramenti tamquam judex ac medicus ad absolvendum reos, infirmosque a spirituali morbo sanandos. Concluditur denique, *ad illorum remissionem*, ut Sacramenti finis exprimatur, neque enim Confessio isthaec similis est illi quae fit coram judice civili a quo nil aliud reus expectare potest quam supplicium et poenam, sed Confessio haec de qua loquimur fit ad absolutionem delictorum, et animae medelam obtinendam.

Ex hac definitione probe assecuta multarum pendet solutio quaestionum quae de Confessione institui solent a theologicae moralis tractatoribus. Et 1. quidem, ut nonnullas brevissime et obiter attingam, ex quo Confessio fieri debeat ad remissionem peccatorum, facile intelligitur peccata omnia tum lethalia tum venialia esse illius materiam; singula enim remissione egent, dicente Christo Apostolis suis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: qua in sententia licet peccatorum nomine veniant praecipue lethalia, nil impedit tamen quin venire possint etiam venialia, quoniam et haec peccata revera sunt. Quum tamen venialia hominem a Gratia et Caritate non excludant, ac per humilitatem, orationem dominicam, aliosque virtutum actus dilui possint, horum Confessio in Sacramento libera erit poenitenti nisi praeceptum urgeat ecclesiasticum, lethalia vero necessario Sacerdoti sunt enuntianda, ut suo loco demonstrabimus. 2. Si Confessio est peccatorum accusatio facta Sacerdoti, jam quisque percipere poterit solum Sacerdotem ministrum esse hujus Sacramenti, ad virorum laicorum etiam sanctitate eminentium exclusionem; nec immerito, quoniam Christus solis Apostolis eorumque successoribus, non laicis dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc.* Quod si antiquitus, urgente necessitate, poenitentes nonnulli propria confitebantur peccata laicis, illorumque veniam a Deo obtinebant, illorum remissio non Confessioni per se, sed contritioni ab humilitate excitatae tribuenda est; neque enim umquam extitit praeceptum aliquod ecclesiasticum, multoque minus divinum de Confessione peccatorum facienda laicis. 3. Quod Confessio de qua loquimur sit accusatio sacramentalis, importat ut vera sit et integra, si enim mutila esset vel redundans, aut speciem reticeret peccatorum vel numerum, jam non esset amplius sacramentalis seu pars Sacramenti; quum Sacramentum ex re mendaci vel minime plena componi non possit. Nam qui mortalem noxam cujus conscius est, aperte negat, turpiter mentitur. Qui mortale aliquod accusat cujus reus non est, judicem decipit, caussaque est ut clavis erret. Si vero non omnia quoad speciem ac numerum peccata pandantur, quomodo Sacerdos judicis ac medici munere fungi poterit? Reliqua corollaria quae ex

allata definitione sequuntur, exposita vide apud praeclaros de re sacramentaria scriptores, Morinum, Juvenin, Drouenium, Berti, aliosque. Nos interim partem hanc Sacramenti Poenitentiae ab haereticorum contradictionibus vindicabimus.

Joanni Dallaeo calvinisticae sectae propugnatori zelantissimo sacramentalis Confessio quomodo in usu est apud Catholicos tantopere displicuit ut quatuor adversus illam composuerit libros in quibus per totam retro antiquitatem excurrens, omnem impendit conatum ut demonstret Catholicorum sententiam omni carere vetustatis momento; e contra falsi sui dogmatis adstipulatores multos se invenisse confidit. Et primo in montanistis, novatianis, et audianis, qui Ecclesiam exercuerunt secundo, tertio, et quarto saeculo, tum in valdensibus, wiclefistis, et hussitis, sequentibus temporibus, denique postremis hisce saeculis in Luthero atque Calvino. Sed perperam, nam ex iis quae paullo post disputabimus, liquido apparebit, sacramentalem Confessionem solidissima habere in Scripturis ac Traditione monumenta, nec quidquam nostro de hac re dogmati officere montanistarum, novatianorum, aliorumque similium sententiam; quoniam praeterquam quod hi ab Ecclesia tamquam haeretici fuere proscripti, frustra sibi blanditur Dallaeus sectatores in sui patrocinium advocatos tam male de Confessione sentisse ut ipse arbitratur. Montanistae siquidem ac novatiani credebant dari peccata quaedam quorum remittendorum solus Deus, non Ecclesia potestatem habeat; omnium interim peccatorum etiam irremisibilium Confessionem a poenitentibus exigentes, ut videre est apud Tertullianum lib. de Pud. cap. 3. et Ambrosium lib. 2. de Poenit. cap. 5. Audianorum curiosum quemdam ritum describit Theodoretus in lib. 4. haer. fab. cap. 10. narrans solitos illos fuisse sacros libros in duas partes collocare, inter quos consistentes peccata sua confitebantur, *deinde concedebant veniam*. Cl. meldensium episcopus Bossuetius lib. 11. Variat. erudite demonstrat valdenses sacramentalem Confessionem numquam abjecisse, sed vetasse dumtaxat ne qui sectae nomen dederant, improbis ministris, communionis praesertim romanae quos indignos et avaros existimabant, propria panderent peccata. Wiclefus quamvis docuerit Confessionem auricularem non ex divina, sed ex ecclesiastica esse institutione, atque *homini debite contrito inutilem esse atque superfluam*, eam nihilominus numquam damnavit. Joannes autem Hus nonnisi per calumniam inter suos recensetur a Dallaeo, ut invicte demonstrant fratres wallemburgici. Quinimo nec ipse Lutherus sacramentalis Confessionis hostis omnino haberi potest, in lib. enim de capt. babyl. in parvo catechismo et alibi saepe, illius usum commendat quam maxime, ac morti proximus eam edidit coram sectae suae ministro ad aures more Catholicorum. Nec obstat quod in articulis a Leone X. damnatis eam appellet *cruentissimam carnificinam*, nam ut crearet Ecclesiae catholicae invidiam, tradebat discipulis suis in nostra communione a fidelibus exigi illorum etiam peccatorum Confessionem quae post diligens examen memoriae non occurrunt, atque hoc est quod ab ipso cruentissima carnificina appellatur. Qui ergo adversus secretam Confessionem quae in usu est apud Catholicos temere prorsus et audacter insurrexerit fuit

proculdubio Joannes Calvinus qui in suis institutionibus docet et inculcat esse omnino *de medio tollendam tamquam Ecclesiae noxiam, et rem pestilentem*. Atque haec est traditio quae favet Joanni Dallaeo. Sed tandem ad rem nostram descendamus.

CONCLUSIO I.

Confessionis sacramentalis necessitas demonstratur ex novo Testamento.

Prob. tribus notissimis testimoniis. I. Christus Dominus Matth. cap. 18. suos Apostolos alloquens, *Amen dico vobis*, inquit, *quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in Caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Caelo.* Et Joan. cap. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Haec sane verba á Christo in Apostolorum persona omnibus novi Testamenti Sacerdotibus dicta fuisse communis Patrum et Ecclesiae sensus semper tenuit, ut cap. hujus libri 1. animadvertimus: eisdemque verbis Apostolis ac Sacerdotibus solvendi vel retinendi peccata potestatem contulisse patet ex facto Pauli cum incestuoso corinthio, quod legitur in ep. 1. ad Cor. cap. 5. in haec verba, *Absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi, ut praesens.* Ast vero quomodo eam exercere possent auctoritatem presbyteri, si hominum impiorum delicta ignorarent? Praesertim cum potestas per allatam sententiam Sacerdotibus collata judices eos et medicos constituat animarum. Non possent autem aequum proferre judicium incognita caussa nisi poenitentes propria panderent crimina, neque attemperatam parare medicinam animabus nisi vulnera non manifestarent. Quare tridentinum Concilium sess. 14. cap. 5. merito inquit: *Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita caussa exercere non potuisse, neque aequitatem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac singillatim, sua ipsi peccata declarassent*; contra protestantium opinionem affirmantium habere Sacerdotes vi verborum Christi facultatem reos absolvendi qui in genere et non in specie propria enunciant peccata. II. in Actibus Apost. cap. 19. legitur: *Multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos.* Hic sermonem de sacramentali Confessione fieri sensus ipse verborum litteralis satis ostendit. 1. Quoniam de credentibus, adeoque baptizatis narratur propria fuisse confessos peccata: qui character Sacramento Poenitentiae quod solis administrandum est regeneratis, vere et proprie convenit. 2. Quoniam phrasis illa, *confitentes, et annuntiantes actus suos*, nil aliud quam singulorum enumerationem peccatorum potest significare; quum ad eam timore perculsi quod daemones improborum exorcistarum corpora invaderent fuerint adacti; unde in syriaca versione habetur, *annuntiabant delicta sua.* 3. Quoniam actuum nomine venire nequeunt miracula, ut Lutherus ac Brentius ad argumenti vim eludendam somniarunt, quum ridiculum sit ipsorum cre-

dentium actus appellare miracula. 4. Denique quia Chrysostomus, Basilius, Oecumenius, quibus major quam protestantibus fides habenda est, de Sacramentali Confessione, et quidem singulorum in specie actuum interpretantur. III. Jacobus in sua catholica ep. cap. 5. praecipit fidelibus ut propria confiteantur peccata, *Confitemini alterutrum peccata vestra;* Confessionem proculdubio intelligens sacramentalem. Nam loquitur ibi Apostolus de infirmo cui presbyteri Sacramentum administrant extremae Unctionis, atque adeo cui veniam petere peccatorum quam maxime congruit. Hinc veteres plures, ut auctor librorum de visitatione infirmorum inter opera Augustini, Venerabilis Beda, Hugo Victorinus, aliique de Sacramento Confessionis laudatam exposuere Jacobi sententiam. Nec refert quod sacer ibi dicat auctor, *Confitemini alterutrum*, quum hic verborum sensus sit, *Confiteatur homo homini*, *reus judici*, *aegrotus medico*, ut Alcuinus exponit.

CONCLUSIO II.

Eadem catholica veritas invicte demonstratur Ecclesiae Traditione.

Prob. per singula saecula brevissime excurrendo. Ex saeculo christianae Ecclesiae primo pro Confessionis sacramentalis necessitate sequentes advocari possunt locupletissimi testes. S. Barnabas cujus ep. videri potest apud cl. Cotelerium num. 1. scribit: *Confitemini peccata vestra*. Clemens Rom. Episcopus in ep. 2. ad Cor. *Postquam*, inquit, *ex hoc mundo egressi fuerimus, nec confiteri peccata, nec poenitentiam agere poterimus*. Auctor ep. ad Jacobum, perperam Clementi tributae, sed ob magnam illius auctoritatem, a Rufino latinitate donatae, sic habet: *Si forte in alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animae suae curam gerit, confiteri haec ei qui praeest . . . quo possit Fide integra, et operibus bonis poenas aeterni ignis effugere*. Et quamvis scripta haec illorum auctorum sub quorum nomine circumferuntur, opera genuina non essent, quum tamen nemine dissentiente antiquissima sint, invictum exhibent pro catholica Fide argumentum.

II. ejusdem fidei de secretorum peccatorum Confessionis necessitate saeculi secundi testes erunt celeberrimi duo scriptores Irenaeus et Tertullianus, quorum prior lib. 1. adv. haer. cap. 9. narrat Marcum quemdam valentinianum et magum nonnullas simplices praestigiis suis seduxisse simul ac compressisse mulieres quae fraude detecta, *Saepissime conversae ad Ecclesiam Dei, confessae sunt, et secundum corpus exterminatas se esse ab eo, et velut cupidine inflammatas, valde illum dilexisse*. Quod idem narrat de uxore quoque cujusdam diaconi quae *omne deinceps tempus in Exomologesi consummavit, plangens, etc.* Interpretantur haec protestantes aliaque similia Patrum testimonia non de privata et secreta, sed de publica, juxta veterem Ecclesiae disciplinam, peccatorum Confessione. Sed in primis, quamvis ita se res haberet ut ipsi contendunt, quid inde? Confessio peccatorum quae antiquitus in usu erat, sive publice a poenitentibus sive

privatim et ad aures fieret, quum proprio fieret Pastori vel Sacerdoti cuilibet ad munus hoc deputato satisfactionis mensuram decernenti, semper sacramentalis erat; unde sacramentalis Confessio jam existebat, quod in praesentiarum inquirimus. Neque enim nunc de modo, sed de necessitate confitendi peccata disputamus. Deinde, non fiebat certe a fidelibus publica suorum delictorum Confessio nisi praecessisset Confessio privata; ex recitata enim serie peccatorum Sacerdos ad id delegatus ea seligebat quae juxta prudentiae leges, absque famae et vitae jactura ad reliquos terrendos fideles, per publicam Confessionem manifesta fieri poterant. Mulieres enim illae quae a Marco seductae conversae sunt ad Deum, non publici, sed occulti sceleris ut erat incestus, saepe Exomologesim prius fecerunt. Quod semel adnotasse sufficiat ad demonstrandum quam perditae causae patroni sint protestantes. Alter ejusdem secundi saeculi testis erit, ut ajebam, Tertullianus qui antequam in amentiam incideret montanistarum, librum scripsit de Poenitentia in quo omnia peccata non publica modo et palam patrata, sed etiam occulta et secretissima Sacerdotum judicio ac auctoritati, ut illorum poena luatur, subjicienda esse tradit. Sic enim inquit cap. 4. *Omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per judicium destinavit, idem et veniam per Poenitentiam spopondit.* Et cap. 9. ad idem rediens argumentum, scribit: *Tantum relevat Confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciae. Hujus igitur poenitentiae secundae, et unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia prueferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus qui magis graeco vocabulo exprimitur, et frequentatur, Exomologesis est, quae delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio Confessione disponitur, Confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi et humilificandi disciplina est.* Et ne quis suspicetur loqui Tertullianum de peccatorum Confessione quae facienda est soli Deo per Sacerdotis exclusionem, addit subinde eos qui Domino confitentur *Praesbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari:* et eos qui confiteri detrectant, *pudoris magis memores esse quam salutis, velut illi faciunt qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescentia sua pereunt etc.* Quae omnia certe demonstrant loqui illum de Confessione *quae fit uni vel alteri fratri, quoniam in uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus; ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras.* Quid pro catholica sententia luculentius dici potest?

III. transeamus nunc ad saeculum tertium, et primus in aciem prodeat Eusebius caesariensis qui H. E. lib. 6. cap. 34. de Philippo Augusto qui christianus haberi volebat (ignoratur an sincere vel ficte) narrat, quod *quum ad Pascha cum christianis celebrandum ingredi vellet, eum ab Ecclesiae aditu prohibuerit Episcopus* (Fabianus) *quod multis criminibus inquinatus esset, nec eum admiserit antequam Confessionem fecisset, et iis*

qui humanitus lapsi fuerant, et in ordine poenitentium stabant, sese adjunxisset. Non minus luculenter Origenes hom. 11. in psal. 37. explicans illa verba, *Iniquitatem meam ego cognosco*, loquitur: *Si autem sui accusator fiat* (homo) *dum accusat semetipsum, et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente; qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam: ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias, et sequaris: si intellexerit, talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat, et curari . . . multa hoc deliberatione et perito medici illius consilio procurandum est.* Habes in hac Origenis sententia integrum Catholicorum systema, Confessionem videlicet publicam necessariam non esse uti privatam, illique hanc esse praemittendam. Praeclara habet etiam hom. 2. in Levit. Sequitur illustre Cypriani testimonium ex lib. de laps. excerptum, in quo adversus illos insurgit qui posteaquam ad idola aliquo modo deflexerant, ad Ecclesiam reversi poenitentiam agere renuebant. Ita autem eos alloquitur: *Quanto et Fide majores, et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, Exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, parvis licet, et modicis vulneribus exquirunt? Scientes scriptum esse: Deus non irridetur; derideri et circumveniri Deus non potest . . . Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum admitti Confessio ejus potest; dum satisfactio et remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* In ep. ad Antonianum hortatur Sacerdotes ut benigne excipiant peccatores qui poenitentiam agere volunt, hanc afferens rationem, *quia apud inferos Confessio non est, nec Exomologesis illic fieri potest.*

IV. saeculo quarto floruit S. Hilarius pictaviensis qui comm. in cap. 18. Matth. catholicum dogma mirifice confirmat. Sic enim ait loco citato: *Ad terrorem metus maximi quo in praesens omnes continentur, immobile severitatis apostolicae judicium praemisit, ut quos in terris ligaverint, idest peccatorum nodis innexos reliquerint: et quos solverint, Confessione videlicet*, (non concessione, ut pro lubitu suo legit Dallaeus) *veniae receperint in salutem; hi apostolicae conditione sententiae, in Caelis quoque aut soluti sint aut ligati.* Haec perspicua sunt nec expositione indigent. S. Athanasius ejusdem saeculi scriptor serm. ad illa verba, *Invenietis pullum alligatum; solventes, adducite mihi*, ita fatur: *Si nondum soluta sunt vincula tua, trade teipsum discipulis Jesu; adsunt enim qui nos solvant, accepta ea a Salvatore potestate.* Quae sententia ut et illa Hilarii nostram confirmant expositionem verborum Christi, *Quaecumque ligaveritis etc.* S. Basilius in regulis brevior. num. 110. hanc instituit quaestionem: Num conveniat dum soror *Presbytero confitetur, etiam antistitam*

ipsam adesse? quaestio supponit jam consuetudinem propria peccata confitendi Presbytero. Quaerit ulterius num. 288. *An qui peccata sua confiteri vult, omnibus indifferenter, et quibuslibet ea confiteri debeat, an certis quibusdam*? Respondet autem: *Propositum benignitatis in iis qui peccant, perspicuum est ex eo quod scriptum est: Nolo mortem peccatoris etc. Quoniam igitur etiam conversionis modus accomodatus esse debet ei qui peccat, et praeterea opus est fructibus dignis poenitentiae, necessario* (notet hoc Dallaeus) *necessario iis peccata aperiri debent, quibus concredita est dispensatio mysteriorum Dei.* In ep. autem ad Amphilochium modum tradit faciendi ex Patrum disciplina publicam Confessionem, cavitque ne mulierum publicentur adulteria. S. Ambrosius non scripto modo, sed et facto demonstrat occultorum peccatorum Confessionis necessitatem. Scripto quidem, nam in lib. de poenit. cap. 16. scribit: *Si quis igitur occulta* (non multa, ut contra omnium codicum fidem legit Dallaeus) *crimina habens, propter Christum tamen studiose poenitentiam egerit, quomodo ista recipit, si ei communio non refunditur*? Lib. 2. cap. 1. *Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra,* utique coram Ministro Dominum repraesentante, quum nemo confiteri erubescat peccata immediate Deo qui scrutatur renes et corda. Et cap. 6. *Si vis justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum.* Mitto alia hujus generis multa. Facto autem, quoniam Paulinus testis oculatus gestorum Ambrosii, in hujus vita ad S. Augustinum diligentiam sancti viri extollit in Confessionibus excipiendis peccatorum; sic enim scribit: *Erat gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus. Siquidem quotiescumque illi aliquis ad percipiendam Poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret: videbatur enim sibi cum jacente jacere: causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli apud quem intercedebat, loquebatur.* Adstipulatur et S. Gregorius Nyssenus ejusdem saeculi scriptor in serm. contra eos qui acerbe judicant, in quo exhortatur fideles ad Confessionem ne a morte dum minus cogitant subripiantur, *Afflictioni,* dicens, *participem, et socium sume Sacerdotem, ut Patrem . . . audacter ostende illi quae sunt recondita: animi arcana, tamquam occulta vulnera, medico detege, etc.* Adde Concilium laodicenum paullo ante magnam nicaenam Synodum celebratum, in quo statuit, proportionatam quoad tempus et modum assignandam esse poenitentiam peccatoribus in oratione et humilitate Confessionis perseverantibus, quod fieri profecto non poterat sine peccatorum distincta enumeratione. Claudat hujus saeculi scriptorum agmen S. Joannes Chrysostomus qui licet obierit initio saeculi quinti, anno videlicet 407. pleraque tamen sua antecedenti saeculo lucubravit. Is ergo hom. 30. in Gen. necessitatem auricularis Confessionis astruit, et temporis quo in Ecclesia graeca fieri solebat, luculentissime meminit. Ait enim: *Quia ad magnam hanc hebdomadam, Dei gratia, pervenimus, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continendae sunt preces, faciendaque diligens et pura peccatorum Confessio.* Neque putet Dallaeus de Confessione soli Deo facienda sumenda esse verba S. Doctoris. Namque ne id faciamus, impediunt

quae sequuntur: *Scit inimicus noster, quod per tempus illud possumus de iis quae ad nostram attinent salutem, loqui, et peccata declarare, seu aperire, et detegere vulnera medico, et sanitatem consequi.* Deo autem qui omnia novit, lingua et sermone non declarantur peccata, nec deteguntur vulnera aut aperiuntur. Multoque minus accipi sententia potest de confusa quadam ac generica Confessione. Hom. siquidem 9. in cap. 6 ep. ad Hebr. de eodem loquens argumento scribit: *Sin autem dicit: Sum peccator; ea autem per species non cogitat, et supputat, et non dicit: Hoc et illud peccatum admisi, numquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.* Hom. 6. de muliere Samaritana affirmat, peccatum ab ea muliere Christo ad puteum sedenti manifestatum, peccatum fuisse occultum; indeque occasionem arripit exhortandi fideles ut omni deposita verecundia propria manifestent delicta Sacerdoti. En illius verba: *Coepitque deinceps aperire peccata sua mulier: coepit deinceps confiteri, ac dicere: Non habeo virum. Imitemur et nos hanc mulierem Samaritanam, et ob propria peccata non erubescamus. Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, et poenitentiam agere; in die illa, non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante, traducetur.* Homo autem ille cui Chrysostomus propria confiteri peccata exhortatur fideles, non homo quilibet, sed Presbyter et Pastor est cui contulit Dominus purgandi animas ab earum maculis potestatem; unde in lib. 2. de Sacerdotio, *Pastori*, inquit, *multa opus est prudentia, ac sexcentis oculis, ut undique animae statum circumspiciat*. Et lib. 3. *Corporis lepram, addit, purgare; imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, judaeorum Sacerdotibus licebat. Hi vero* (Novi nempe Testamenti) *non lepram corporis, sed immunditiam animae, non purgatam probandi, sed potius purgandi potestatem acceperunt.* Mitto alia multa quae eloquentissimus Doctor habet his consimilia; unde non est cur Dallaeus de tanti viri glorietur auctoritate.

V. in judicium nunc veniant testes omni exceptione majores qui floruerunt saeculo Ecclesiae quinto, et a supremo totius Ecclesiae Hierarcha Innocentio I. ducamus exordium. Hic in ep. ad Decentium. ita loquitur: *De poenitentibus vero qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanae Ecclesiae consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere aestimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem poenitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubet dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane, si quis in aegritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschae relaxandum, ne de hoc saeculo absque communione discedat.* Hic commemoratur apertissime Confessio, et quidem facienda Sacerdoti cui judicandi, et satisfactionem imponendi potestas insit, peccatorum etiam occultorum *sive ex gravioribus sive ex levioribus* etc. Eodem saeculo scribebat Doctor Maximus Hieronymus qui explicans illa cap. 10. Ecclesiastae verba, *Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti*

linguam, sequentia tradit: *Si quem serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, et non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri Magistro voluerit confiteri, Magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat aegrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicinam non curat.* Lib. autem 3. Comm. in Matth. cap. 16. *Illum locum Episcopi et Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de pharisaeorum assumunt supercilio: ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur . . . Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se Sacerdotibus; et si lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant: non quo leprosos Sacerdotes faciant et immundos; sed quo habeant notitiam leprosi et non leprosi . . . Quomodo ergo in leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit; sic et hic alligat vel solvit Episcopus et Presbyter non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit vel solvendus.* Haec profecto Hieronymi sententia, ut eam legenti patet, peremptoria non secus ac reliquorum Patrum mihi videtur. Accedat testibus advocatis auctoritas magni Augustini. Hom. enim 49. inter L. nunc serm. 392. de divers. qui tamen inter dubios ab aliquibus numerari solet, de adulteris scribit: *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu commaculastis, si praeter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite poenitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat; Occulte ago, apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscat, quia in corde ago. Ergo sine caussa dictum est, quae solveritis in terra, soluta erunt in Caelo? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae?* Neque S. Doctor pro solo adulterio, sed pro singulis adversus Decalogum peccatis allatam tradit regulam. Nam hom. sequenti, nunc serm. 351. de divers. *Tertia actio*, inquit, *est poenitentiae, quae pro illis peccatis subeunda est, quae Legis Decalogus continet, et de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* Et hom. 27. pariter inter L. nunc serm. 352. de divers. *Elevatus est Lazarus, processit de tumulo: et ligatus erat, sicut sunt homines in Confessione peccati agentes poenitentiam. Jam processerunt a morte: nam non confiterentur nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto et tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiae suae? Quae solveritis, inquit, in terra, soluta erunt et in Caelo.* Sunt in Augustini scriptis pro catholica sententia alia bene multa, sed haec pauca sufficiant. Audiamus modo S. Leonem Rom. Pont. cognomento Magnum qui in ep. 136. inquit: *Illam etiam contra Apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi . . . modis omnibus constituo submoveri; ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta Confessio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta.* Et in ep. 138. *Mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus hanc Praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri Confessione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconcilia-*

tionis admitterent. Non opus est sequentium saeculorum Patrum recitare sententias, quum protestantes ultro concedant post quintum Ecclesiae christianae saeculum tyrannicum illud, ut a Calvino appellatur, jugum fuisse plerisque fidelibus impositum, donec aucta paullatim prava illa consuetudine, Innocentius III. in lateranensi Concilio legem tulit qua quilibet fidelis necessariam esse ad aeternam salutem Confessionem peccatorum auricularem, de Fide divina credere teneatur. Sed ex allatis hactenus Sanctorum Patrum testimoniis facile animadvertere quisque potest, qua bona fide Calvinus, Dallaeus, aliique novatores ubi de rebus gravissimis examen instituunt, incedant. Et quod magis mirari subit est, quod viri magno ceteroquin ingenio praediti, non animadverterint quod si in lateranensi Concilio lex non modo nova, sed gravissimum imponens onus lata fuisset, inter Episcopos aut Presbyteros, sive etiam laicos, aliqui saltem qui reclamassent, proculdubio inventi fuissent. Si enim ex quo statutum fuerit ut quotannis quilibet fidelis proprio Sacerdoti Confessionem faceret peccatorum, tot ortae sunt inter Christianos quaerimoniae, putandum ne est neminem adversus legem tam importabile onus, ut protestantes ajunt, imponentem, insurgere voluisse? Sed ira qua in Catholicos feruntur eorum impedit animum ne possit cernere verum. Patienter interim nunc audiamus jactata a protestantibus argumenta quibus tam inconcussum catholicae Fidei dogma evertere moliuntur.

CAPUT VII.

Solvuntur argumenta Adversariorum.

Quae ex sanctis Scripturis adversus secretae Confessionis necessitatem afferre solent Protestantes enodata vide capite hujus libri 2. Modo audiamus quid habeant ex Traditione. 1. Quod institutum est ab Ecclesia, ab eaque abrogatum, nec juris divini est, nec absolute necessarium. Ejusmodi autem est auricularis Confessio. Nam instituta primitus fuit saeculo tertio ab Ecclesia, et saeculo quarto fuit de medio sublata, narrante Socrate hist. lib. 4. cap. 10. cui assentitur Sozomenus, tum primum fuisse Confessionem institutam, *quo tempore novatiani se ab Ecclesia sejunxerant, et recusaverant cum iis communicare, qui tempore persecutionis lapsi erant:* quod tertio Ecclesiae saeculo accidisse norunt omnes. Sequenti autem saeculo constantinopolitanam sedem occupante Nectario, fuisse ab Episcopis abrogatam affirmat ibidem laudatus historicus in haec verba: *Episcopi qui nunc Ecclesias regunt, cum hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii Episcopi temporibus abrogarunt, propter facinus*: et hic narrat stuprum a Diacono matronae illatum. 2. Neque ad argumenti vim infringendam reponere valet abolitam tunc fuisse consuetudinem publice recitandi nonnulla peccata quae in auriculari Confessione audita secreto fuerant a Poenitentiario. Nectarius enim consilio motus ejusdem Presbyteri Eudoemonis, ut Socrates notat, Presbyterum ipsum Poenitentiarium excipiendis Con-

fessionibus destinatum, ab ecclesiastico Canone voluit prorsus expunctum; unde et publicam et privatam de medio sustulit Confessionem. 3. Praesertim cum observet Socrates, *factam fuisse deinceps liberam cuique facultatem, pro arbitrio et animi sui conscientia ad Sacramentorum accedere communionem*; ac proinde absque ulla Confessione peccatorum. 4. Et revera intendisse Nectarium tum publicam tum privatam de medio tollere Confessionem non obscure significat laudato loco Socrates, quum de Eudoemone a quo hanc audivit historiam, conquestus graviter fuerit quod post poenitentiarii abolitionem, nulla deinceps viguerit reprehensio. Viguisset autem, si sublata publica Confessione, remansisset privata.

Resp. Non una est doctorum virorum ad hoc argumentum responsio, et uno modo Baronius et Canus, alio Bellarminus et Petavius, alio vero Morinus ac Valesius protestantium arma ex officina hujus historiae deprompta confringunt. Si quis responsiones singulas a laudatis scriptoribus erudite exornatas scire desiderat, nec tempus in magnis auctorum suorum evolvendis voluminibus terere velit, adeat cl. Theologum Joan. Laurentium Berti, qui eas in epitomen redactas libratissimo judicio critico examini subjicit. Nos qui compendiaria pro more nostro methodo utimur, sic rem totam breviter exponimus. Confessionem secretam a primo jam Ecclesiae saeculo penes fideles extitisse, ex non obscuris Scripturae sententiis et Patrum testimoniis luculentissimis paullo superius allatis jam demonstravimus, quibus addi potest historicus ipse Sozomenus qui lib. 7. cap. 16. ubi factum idem ex Socrate narratum ita ex interpretatione Valesii describit: *Ego vero dicam quod sentio: quum in nullo penitus peccare divinioris cujusdam naturae sit... poenitentibus vero, etiamsi saepius deliquerint, veniam dare, Deus praeceperit: cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat grave, ac molestum ab initio jure merito visum est Sacerdotibus tamquam in theatro, circumstante totius Ecclesiae multitudine, etc.* Ex quibus apparet, ab initio et non post Decii persecutionem, peccatorum institutam fuisse Confessionem quae non tamquam in theatro, et circumstante totius Ecclesiae multitudine, sed secreto, et ad aures fieret Episcopi vel Sacerdotis. Arbitror enim sub ipsis Ecclesiae incunabulis quum apud fideles rara admodum essent gravia peccata, solos Episcopos poenitentium consuevisse audire Confessiones. Sed quum in dies crescente multitudine credentium, numerus quoque adaugeretur peccatorum, Ecclesiae Antistites facultatem coacti sunt communicare Presbyteris ad multorum excipiendam Exomologesim. Praeterea primis illis temporibus, non solum auricularem Confessionem, sed publicam quoque poenitentiam in sollemniorum criminum satisfactionem in usu fuisse, dubitandum non est. Nam licet non multi, antequam deciana ingrueret persecutio, non pauci tamen in idololatriam labebantur quos sine publica poenitentia reconciliatos fuisse quis umquam crediderit? Ante oculos Antistitum erat exemplum incestuosi apud Paulum Apostolum. Nec obscure id insinuare videtur Socrates loco supra citato ubi sic loquitur: *Episcopi qui jam praesunt Ecclesiis, quamvis ad longinquum temporis spatium, hoc tenerent institu-*

tum , tamen temporibus Nectarii Episcopi abrogarunt . Quum autem impiissimo Decio imperante , dira mota esset contra Christianos persecutio quae plurimos in moribus corruptissimos invenit, incredibile dictu est quam multi a Fide ubique defecerint . Qua de re propter lapsorum multitudinem qui ad Ecclesiam redire postulabant, necesse fuit ut Presbyter Poenitentiarius, quem ab initio extitisse paullo ante dicebam, in Ecclesiis speciali quodam titulo constitueretur, ut novatianis qui de Catholicis, quod nimis facile lapsos reciperent , conquerebantur, omnis schismatis tolleretur occasio . Hujus autem Poenitentiarii munus erat, auditis secreto lapsorum Confessionibus pro scelerum magnitudine et qualitate satisfactorias imponere poenas ; ac sedulo invigilare ne quis ad sacram synaxim , nisi injunctas poenas prius persolvisset, accederet; ita ut munus ejus primarium ac singulare esset poenitentiis agendis praesidere ; nec nisi, per accidens, ut inquiunt , secretam audiret Confessionem , sine qua luendas poenas assignare non potuisset. Hinc a Socrate et Sozomeno Poenitentiarius , de quo loquuntur , dicitur Presbyter qui moetaniae , *penitentiae* , non Exomologesi , *Confessioni*, praesidet ; quamvis utroque fungeretur, ut diximus , munere. Atque in hoc Theologos fere omnes consentientes habemus. Quaestio ab his agitari solita dumtaxat est, an inter Poenitentiae quam Presbyter ille assignabat partes locum haberet nec ne nonnullorum scelerum publica coram populo Confessio ; affirmativam plerisque, negativam vero nonnullis propugnantibus . Arbitror ego affirmativam sententiam esse probabiliorem , si de sceleribus illis loquamur quae publica erant et scandalum attulerant pusillis, dummodo imperialium legum poenis non subjicerentur . Consule Bellarminum, Petavium, Morinum, alios. Regente autem saeculo quarto C. P. Ecclesiam Nectario, factum illud accidit, quod Socrates, Sozomenus, ac Nicephorus narrant, de stupro a Diacono nobili cuidam foeminae illato, quae exigendae poenitentiae causa in templo morabatur ; quodque divulgatum vel Poenitentiarii Presbyteri culpa vel levitate mulieris (id enim ad rem nostram non facit) laicorum animos adversus Ecclesiae Ministros exulceravit: cui non mediocri probro, ut Nectarius occurreret, consilio usus Eudoemonis, Presbyteri Poenitentiarii nomen et munus ex ecclesiastico Canone delevit ; ad cujus exemplum nonnullae aliae orientales Ecclesiae idipsum fecerunt, perseverante interim eodem Presbytero in Ecclesia occidentali, et Romae praesertim ubi publica poenitentia paullo mitior erat. Legatur loco citato Sozomenus. Ex his ad hunc modum expositis, et etiam, quantum sat est demonstratis, argumentum cui tantopere fidit Calvinus, iam sua sponte evanescit. 1. Quoniam Presbyter Poenitentiarius decianae persecutionis occasione constitutus, nec novum in Ecclesia munus assumpsit, neque ad privatas tantum fidelium excipiendas Confessiones, sed ut publicis praesideret poenitentiis, in locum Episcopi, fuerat constitutus; unde sedente illo in Ecclesia muneri suo obeundo , sedebant utique et alii Presbyteri secretis fidelium Confessionibus excipiendis destinati. 2. Quando Nectarius imprudenti Eudoemonis consilio Presbyterum illum ex albo Ecclesiae delevit, non auricularem Confessionem , sed publicam tantum poenitentiam, rigoroso illo,

quo diximus, modo inductam abrogavit, restituta in pristinum antiqua Ecclesiae disciplina et consuetudine. Neque enim unicus ille Poenitentiarius quem abolevit Nectarius, audiendis Confessionibus in populosissima urbe, qualis Constantinopolis erat, extabat. Quis portentum istud crediderit? 3. Bene ajunt laudati superius historici quod Presbytero Poenitentiario sublato, facta cuique libertas est ad sacra mysteria pro conscientiae suae testimonio accedendi. Nam non tenebantur amplius fideles gravium licet criminum rei laboriosam, ut antea subire poenitentiam antequam divinis communicarent mysteriis. Sed non inde consequitur, absque praevia peccatorum Confessione illorum participes esse potuisse. 4. Ex submoto illo Presbytero, actuum fidelium tam rigoroso censore frequentiora proculdubio fiebant gravissima crimina occulta, ad quorum expiationem per rigorosam illam poenitentiam non amplius tenebantur; unde merito a Socrate Eudoemon novi hujus consilii architectus, tamquam sanctae disciplinae eversor redarguitur.

Obj. 2. nonnullorum auctoritatem Patrum; exordiumque ducunt a S. Joanne Chrysostomo qui Nectario in constantinopolitana sede immediate successit. I. S. Doctor hom. 5. contr. anomoeos inquit: *Quamobrem etiam atque etiam hortor, rogo, et oro, ut frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo: conscientiam tuam expande coram Deo, ostende ipsi vulnera, et ab eo medicamenta postula: ostende, non exprobranti, sed curanti: licet enim taceas, ipse novit omnia . . .* Hic sane Chrysostomus omnem coram Ministro faciendam scelerum Confessionem excludit, quum Deo tantum manifestanda peccata commendet cum exclusione Confessionis non modo publicae, sed et auricularis. II. clarius adhuc id repetit catech. 2. ad Illuminan. in haec verba: *Neque hoc tantum est admirabile, quod nobis peccata dimittat, verum, quod et ipsa non revelet . . . nec accedentes cogat in medio patrata edicere, sed sibi soli rationem reddere jubeat, et sibi confiteri.* Per haec excludit Chrysostomus Confessionem publice faciendam hominibus, sed numquid in locum ejus faciendam substituet Confessionem privatam coram Sacerdote? Minime. Sed confiteri praecipit tantum propria scelera Deo. III. hom. 4. de Lazaro ita scribit: *Cur igitur, quaeso, pudescis, et erubescis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Imo vero ei qui Dominus est, et qui tui curam gerit, et humanus est . . . . Non enim cogo te in medium prodire theatrum; nec multos adhibere testes: mihi soli dic peccata privatim, ut sanem vulnus, teque dolore liberem.* Si soli Deo privatim peccata sua homo, non homini dicere debet, ubi est Confessio illa secreta Catholicorum? Eadem habet S. Doctor hom. 11. in psal. 50. hom. 20. in Gen. et alibi passim. IV. Concinunt et alii Patres. Magnus Origenes hom. 11. in Levit. sibi montanistarum objicit errorem dicentium, solum Baptismum institutum fuisse ad delenda peccata, nec tamen errorem illum refellit, dicendo esse etiam Confessionem. S. Basilius in psal. 37. docet, ad veniam obtinendam peccatorum sufficere Confessionem coram Deo ad imitationem Davidis dicentis, *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Gregorius Nyssenus in ep. ad Letojum observat, in ca-

nonibus poenitentialibus nullam peccato avaritiae poenam infligi; adeoque non exigi ut de illo coram Presbytero Confessionem edamus. Ambrosius quoque in cap. 22. Lucae, *Lacrymae*, inquit, *lavant delictum*, *quod voce pudor est confiteri*. Julianus Pomerius de vita contemplat. duas tradit esse vias obtinendi remissionem peccatorum, videlicet *Confessionem*, aut *emendationem*. Ubi est ergo inculcata a Catholicis Confessionis necessitas? Beda denique in Lucam lib. 5. explicans illa Christi verba, *Ite ostendite vos Sacerdotibus*, docet Sacerdotibus manifestanda esse haeresis, schismatis, et judaismi peccata; *cetera vero vitia per seipsum interius*, *in conscientia et intellectu Dominus sanat et corrigit*. Haec potiora sunt quae ex Sanctis Patribus protestantes adducunt adversus secretam scelerum Confessionem.

Resp. necesse minime est singula Chrysostomi in argumento allata testimonia ad trutinam revocare, sed ad argumenti vim elevandam satis erit nonnullas praemittere adnotationes quibus bene perpensis difficultas omnis evanescet. 1. Itaque animadverto sanctum illum Doctorem secretam peccatorum Confessionem multis in locis commendare, affirmans ubique datam a Christo fuisse Sacerdotibus ligandi atque solvendi potestatem. Et e contra nullibi affirmat non esse Ministro Christi peccata detegenda vel neminem teneri peccata sua Sacerdoti revelare, vel simile quidpiam. 2. Loquitur saepe Chrysostomus ut et alii Patres de cordis contritione a fideli procuranda propter admissa peccata quae in memoriam revocanda sunt coram Deo, ut singula lacrymis expientur compunctionis; unde peccatorum confessio prius Deo, deinde ad pedes Sacerdotis Dei Ministri facienda est. Atque hoc sensu intelligi debent locutiones illae Chrysostomi quibus hortatur fideles ut dum soli sunt in cubiculo, clauso super se ostio, et jacentes in lecto, conscientiam suam coram Deo expandant, illique propria aperiant vulnera; et quae habet in hom. ad Illiminandos seu Cathecumenos qui Sacramenti Poenitentiae participes esse non possunt. 3. Quum pudor propria manifestandi flagitia vel facinora plurimos retrahat a Sacramento Poenitentiae, totus est S. Doctor ut animos peccatoribus addat ad frenum excutiendum pudoris, seria illa et quidem vera animadversione, se non hominibus, non publice, ac veluti in theatro, non suis conservis a quibus irrideri possint, sed soli Deo aperire in Sacramento Poenitentiae peccata, quum Christi Minister unam cum eodem Christo gerat personam, a quo nec irrideri nec publica fieri scelera quantumvis magna metuere possint. Hinc comparatione utitur magnae illius confusionis quam in die judicii sustinere reprobi debent, ut inde deducat longe majorem futuram in illa die erubescentiam quam nunc uni Sacerdoti peccata manifestare. Hinc etiam Ministrorum Christi tribunal foro terreni judicis comparat, coram quo, et in plurium praesentia testium propria crimina sontes revelare coguntur ut poenam eis debitam subeant; quum e contra apud Sacerdotes Dei Ministros peccata sponte enuncientur ut de illis reportetur absolutio. 4. Ad hanc confirmandam interpretationem juvabit etiam animadvertere, juxta Chrysostomum aliosque graecos Patres, dici a solo Deo fieri quae per illius Ministros exercentur; unde eloquentissimus ille Doctor hom.

85. in Joan *Neque Angelus*, inquit, *neque Archangelus quidquam in his quae a Deo sunt*, *efficiunt*; *sed Pater*, *Filius*, *et Spiritus Sanctus omnia facit. Sacerdos et linguam et manus praebet etc.* Quapropter Sacerdos poenitentiarius sic fidelem ad eum accedentem alloquitur: *Frater*, *cur accessisti ad Deum*, *et ad me? Ne*, *quaeso*, *erubescas; non enim mihi peccata enuntias*, *sed Deo*, *apud quem consistis.* Ita in Euchol. graecor. edito a Goario. Non est ergo cur Dallaeus in auctoritate Chrysostomi tantopere glorietur. Atque haec ad Chrysostomum. Veniamus modo ad reliquos Patres. Turpiter mentitur Dallaeus dum tam fidenter affirmat Origenem montanistarum dissimulasse objectionem; ibidem enim haec e vestigio subdit: *Est adhuc septima*, *licet dura et laboriosa*, *per poenitentiam remissio peccatorum*, *cum lavat peccator in lacrymis stratum suum . . . et cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* Quid protestantes mirantur si Basilius loco in argumento allegato Confessionem auricularem ad delenda peccata non urget? Loquitur ibi namque de poenitentia Davidis cujus tempore certe instituta adhuc non erat sacramentalis Confessio. Ceterum illius aperte meminit in QQ. brevior. et in ep. ad Amphil. ut capite antecedenti animadvertimus. Gregorii Nysseni sententia in ipsum Dallaeum intorqueri facile potest; postquam enim tradiderat, in Canonibus poenitentialibus impositam a Patribus non fuisse determinatam poenam vitio avaritiae, propter inexplebilem illius affectionem, canone 6. subdit, *Curari tamen avarum*, *dummodo per enumerationem aperiat peccatum suum Sacerdoti.* Quid est, quaeso, aperire peccatum suum per enumerationem Sacerdoti, nisi Confessio auricularis? Ambrosius cordis conversionem per lacrymas agnoscit, sed necessitatem confitendi Sacerdoti peccata non negat, ut ex num. praecedenti et ex aliis locis evincitur. Si Dallaeus studio partium abreptus integram Pomerii sententiam legere non neglexisset, abstinuisset puto ad illius provocare auctoritatem. Primo itaque lib. 1. cap. 7. inquit: *Porro illi*, *quorum peccata humanam notitiam latent*, *nec ab ipsis confessa*, *nec ab aliis publicata*; *si ea confiteri aut emendare noluerint*, *Deum quem habent testem*, *habituri sunt ultorem.* Non hic agnoscit Pomerius sacramentalis necessitatem Confessionis? Deinde disjunctiva illa, *aut*, in verbis a Dallaeo relatis hunc habent sensum: Homines Deum habebunt ultorem, si aut propria non confiteantur peccata, aut etiam confessa non emendaverint. Quoad Bedam, vel Dallaeus vult sanctum hunc Patrem per leprae nomen publicos intelligere contra Fidei doctrinam errores, vel peccata ab iis qui sunt in Ecclesia, patrata. Si primum, loquitur Beda de reconciliatione eorum qui extra Ecclesiam sunt, non de sacramentali absolutione. Et de ea quidem reconciliatione intelligi debet, quoniam ibi scribit: *Quisquis vel haeretica pravitate*, *vel superstitione gentili*, *vel judaica perfidia*, *vel etiam schismate fraterno*, *quasi vario colore*, *per Domini gratiam caruerit*, *necesse est ad Ecclesiam veniat*, *coloremque Fidei verum*, *quem acceperit*, *ostendat.* Si vero alterum, solvat Dallaeus quae Beda in ep. Jac. cap. 5. habet: *In hac sententia*, *Confitemini alterutrum peccata vestra*, *illa debet esse discretio*, *ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coaequalibus confiteamur*,

eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris leprae immunditiam, juxta legem, Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter et quanto tempore jusserit, purificari curemus.

Obj. ultimo. Insignis canonista Gratianus dissertissime affirmat, quaestionem hanc de auriculari Confessione Sacerdoti facienda, aetate sua, saeculo nimirum 12. fuisse adiaphoram, et in utramque partem disputabilem. De Poenit. enim disp. 1. num. 87. hanc dirimendam proponit quaestionem: *An sola cordis contritione, et secreta satisfactione, absque oris Confessione possit quisque Deo satisfacere*, et ait duplicem sibi contrariam esse de ea quaestione opinionem, unam illorum qui affirmant, alteram vero eorum qui negant posse sine oris Confessione peccatorem Deo satisfacere; et inquit: *Sunt qui dicunt, quemlibet criminis veniam, sine Confessione facta Ecclesiae et sacerdotali judicio, posse promereri*, atque in hujus confirmationem sententiae plurima ex sanctis Patribus et antiquis Canonibus affert monumenta, post quae concludit: *Luce clarius constat, cordis contritione, non oris Confessione peccata dimitti*. Recitat subinde contrariae opinionis momenta dicens: *Alii e contrario testantur, dicentes, sine Confessione oris neminem a peccato posse mundari, si tempus satisfaciendi habuerit*. Atque ad hanc muniendam non minora numero et gravitate profert ex Patribus et Canonibus argumenta, et concludit: *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia innitatur, breviter exposuimus: cui autem harum potius adhaerendum sit, lectoris judicio reservatur; utraque enim fautores habet sapientes ac religiosos viros*. Fuit itaque ea aetate quaestio de Confessionis sacramentalis necessitate mere scholastica. Quomodo ergo nunc haereticus a Catholicis habetur qui sacerdotalis Confessionis denegat necessitatem? Numquid nova facta est Ecclesiae revelatio? 2. Gratianus illorum recitatis argumentis qui Confessionis admittunt necessitatem, de suo subdit: *Praemissis itaque auctoritatibus pro manifestis criminibus, manifesto probatur offerenda satisfactio, et oris Confessio: latentia vero peccata non probantur Sacerdoti necessario confitenda, et ejus arbitrio expianda*. Quare et illi qui Confessionis admittebant necessitatem non omnia peccata pandenda esse putabant. 3. Ut denique Gratianus demonstret quaestionem hanc esse mere disputabilem, Canonem affert ex poenitentiali Theodori cantuariensis: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dixerunt, ut graeci: quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere sancta Ecclesia.* Unde saeculo 12. non integra latina Ecclesia, et nullimode graeca, necessitatem agnoscebat Confessionis in recentiorum sententia Catholicorum.

Resp. hoc argumentum cui adversarii, ac inter eos Dallaeus praesertim, tantopere fidunt nullius ponderis est, si ab initio animadvertatur non eamdem quae nos inter ac protestantes, sed longe diversam fuisse quaestionem de qua ibi fuse disputat Gratianus. Controversia nostra est an sacramentalis Confessio Sacerdoti facienda, lapsis vel in re vel in voto ad salutem consequendam sit necessaria. Quaestio autem de qua Gratianus fuse pertractat, quaeque suis temporibus celebris habebatur est, an vis pecca-

torum expiatrix cordis contritioni insit, an vero sacerdotali judicio. Patet id ex titulo quaestionis loco in argumento laudato propositae, qui sic habet: *An aliquis possit promereri veniam criminis absque Sacerdotali judicio.* Et multi quidem docti ac pii viri aetate Gratiani erant qui supposita sacerdotalis absolutionis necessitate, de qua nemo ambigebat, arbitrabantur, non absolutionem illam quae Sacramenti forma continetur vim habere et efficaciam remittendi peccata, sed cordis contritionem, satisfactionemque secretam Deo a poenitente datam, ante sacramentalem Confessionem; ita ut ad Sacerdotis pedes accedens poenitens jam esset Caritatis energia justificatus. Alii e contra non minus sapientes ac pietate ornati viri contrarium tenebant, existimantes vim et efficaciam remittendi peccata, cordis supposita contritione, sacerdotali tribuendam esse absolutioni. Et quoniam adiaphora erat, et in utramque partem quaestio disputabilis, prudentissime Gratianus definiendam reliquit arbitrio lectoris. Hunc autem statum fuisse quaestionis, ex argumentis et auctoritatibus quae pro utraque disputantium parte a Gratiano afferuntur, colligi facile potest. Ceterum duo tamquam certa de suo statuere videtur Gratianus. Primum, cordis contritionem necessariam esse homini ad peccatorum remissionem, supposita etiam oris Confessione Sacerdoti facienda. Nam inquit ibidem: *Sine interiori poenitentia nullus umquam Deo poterit reconciliari.* Et part. 2. impius *reconciliabitur, modo in seipso puniat peccatum contritione cordis, et secreta satisfactione.* Alterum vero, peccatorum Confessionem esse ad salutem omnino necessariam. Capite siquidem 60. docet, quod *sine Confessione oris, et satisfactione operis peccatum non dimittitur*. In cujus confirmationem assertionis, comparationes aliquot affert quae necessitatem astruunt Confessionis. Comparat enim ibi primo poenitentes cum Lazaro qui licet a Christo potenti sua virtute ad vitam revocatus, per manus tamen Apostolorum fuit a vinculis solutus; unde et peccatores a contritione quidem ad vitam revocantur spiritualem, sed absolvi a Sacerdotibus debent. Deinde subdit, quod sicut leprosi a Christo mundati missi fuerunt ad Sacerdotes, ita et peccatores ad pedes sistere debent Sacerdotum post conceptam corde contritionem. Ac denique Confessionem comparat Circumcisioni in hoc, quod quemadmodum jam justificatus debuit, ex Domini praecepto circumcisionem in corpore suo admittere, sic et peccatores de propriis contriti sceleribus debent illa ad Sacerdotum deponere pedes. Quibus recitatis subdit: *His auctoritatibus asseritur, neminem sine poenitentia et Confessione propriae vocis a peccatis posse mundari*. Quod si quis regerat haec a Gratiano non ex sua, sed ex illorum dici sententia qui justificationem a cordis contritione repetebant, nolo cum illo funem ducere contentionis, sed ex hoc ipso deduco quod initio ajebam, utramque scilicet disputantium partem sacramentalem supponere Confessionem. Atque hoc significare voluit Gratianus paragr. 3. *Quae in assertione hujus sententiae dicta sunt partim veritate nituntur, partim pondere carent. Sine contritione enim cordis nullum peccatum posse dimitti; occulta autem peccata secreta satisfactione, publica quoque manifesta poenitentia expiari debere, firmissima constat ratione subni-*

xum. Porro sine Confessione oris si facultas confitendi non defuerit, aliquod grave delictum expiari, auctoritati penitus probatur adversum.

Ad 2. Per solam verborum quae in argumento allata sunt lectionem perspicuum est Gratianum per manifesta crimina peccata intelligere lethalia de quorum gravitate non dubitet poenitens: atque haec oris exigere Confessionem ac satisfactionem operis: per peccata vero latentia dubioprocul intelligit venialia quae necesse non est ut clavibus Ecclesiae subjiciantur. Nisi hic sit verborum sensus, male admodum auctorum quorum exponit sententiam, mentem expressisset. Haec enim ex sententia illorum dicit qui non cordis contritioni, sed Confessionis oris vim tribuebant remittendi peccata.

Ad 3. Inprimis clausula illa, *ut graeci*, et adverbium, *fere*, per errorem canoni adjecta sunt Theodori cantuariensis. Nam τὸ *ut graeci*, et τὸ *fere*, non habentur in poenitentiali Theodori, ut in editione notatur gregoriana, desiderantur in Concilio 2. cabillonensi ex quo desumptus est Canon; et apud Brochardum et Jvonem ita legitur: *Quidam Deo solummodo confiteri deberi dicunt peccata: quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent.* Qua posita animadversione, jam Dallaei argumentum evanescit. Deinde admissa etiam lectione prout a Dallaeo recitatur, nihil inde concludi poterit. Affirmat Canon communem Ecclesiae sententiam esse confitenda esse Sacerdoti peccata, repugnantibus licet quibusdam graecis. Ast nonne communis sequenda est Ecclesiae sententia, et non illa quorumdam graecorum a fide aberrantium? Denique in illo quoque Theodori canone sermo fit de vi effectrice expiationis peccatorum, an cordis contritioni vel Confessioni oris sit adscribenda, ut ab initio diximus. Atque haec satis sint pro praesenti controversia. Reliqua vide apud Juvenin, Drouenium, Witasse, Berti, qui fuse totam hanc exponunt materiam.

CAPUT VIII.

De tertia Sacramenti Poenitentiae parte, nempe de Satisfactione.

Jam ab initio diximus tres esse Sacramenti Poenitentiae partes, cordis videlicet Contritionem, Confessionem oris, et operis Satisfactionem. De duabus prioribus satis. Superest nunc ut nonnulla dicamus de tertia parte, nimirum de Satisfactione. Atque ab illius idea et notione incipiendum est. Duobus autem modis satisfactio de qua nos loquimur, considerari potest, hoc est vel in genere, vel prout pars est Sacramenti. Priori modo considerata definiri potest: *Voluntaria poena in se sumpta ad injuriam irato Numini illatam compensandam*; *et poenam redimendam pro peccato commisso promeritam*. Si vero consideretur prout Sacramenti pars est, recta erit definitio: *Poena a Dei Ministro poenitenti imposita ad satisfaciendum Deo ob injuriam illi illatam, iramque ipsius placandam, cum proposito non peccandi de cetero*. Atque Satisfactio hoc sensu accepta a Patribus crebro poenitentia appellatur, juxta illud Auctoris de vera et falsa

poenit. cap. 8. *Poenitentia est quaedam dolentis vindicta voluntarie in se punientis, quod commisisse se dolet.*

Sententiam modo exponamus Catholicorum, quam cum falso haereticorum dogmate comparabimus, ut invictis istud refellamus argumentis. Catholicorum ergo doctrina est, hominem peccando praeter reatum seu maculam in anima, contrahere quoque debitum duas dandi poenas, aeternam unam, alteram temporalem. In Sacramento Poenitentiae remitti ajunt culpam et supplicium aeternum, debitum tamen adhuc remanere poenae temporalis quae vel in hac vita luenda sit vel in purgatoriis ignibus. Addunt posse quidem fidelem temporales hasce poenas ob peccatum commeritas voluntariis animi et corporis afflictationibus, imo et tribulationibus atque vitae hujus aerumnis a Deo immissis, ab eoque patienter toleratis, diluere. Id tamen non impedire quin Sacerdos a Deo in Sacramenti administratione judex constitutus poenas peccatoribus ad ejus genua provolutis satisfactorias, quantum prudentia suggesserit, imponere possit ac debeat; neque hoc satisfactioni a Christo Domino pro omnium hominum peccatis Deo in Ara Crucis oblatae vel minimum derogare, quum satisfactio quaevis vel voluntaria vel a Sacerdote imposita vim suam a meritis et passione Christi quae nobis applicantur, totam vim habeat et energiam. Talis est Catholicorum de Satisfactione doctrina, ut ex tridentini Concilii sess. 14. a can. 12. ad 15. inclusive, luculentissime apparet.

Contrariam tamen huic complures haeretici tum priscis tum recentioribus saeculis tradiderunt. Et primi quidem fuerunt audiani, teste Theodoreto lib. 4. haeret. fabul. quibus postea adhaeserunt manichaei qui ad eorum venientibus sectam culpam omnem ac poenam antea contractam absque ulla satisfactionis umbra relaxabant, ut ita plures nanciscerentur sectatores. Sed facto potius quam sententia impiam illam adoptavere consuetudinem. Qui primi pessimum dogma in systema redegerunt, fuerunt Lutherus, Melancton, Zuinglius, Calvinus, quibus subscribunt modo protestantes omnes, instaurato a Joanne Dallaeo calvinisticae sectae ministro praeceptorum errore. Fundamentum autem cui tota machina haec haereticorum innititur est, quod justificatio impii, juxta eorum falsa principia, habetur per solam firmam constantemque fiduciam in Christum, ut de justificatione agentes animadvertimus, qui quum pro omnibus plenissime ac superabundanter satisfecerit, vi illius satisfactionis remittitur homini peccatori reatus omnis ac poena sive haec aeterna sit sive temporalis; atque adeo injuria infinitae illi satisfactioni fieret si titulo satisfactionis homo poenitens vel voluntarie in se susciperet vel Sacerdos ei imponeret luendas poenas. Si objiciatur antiquissima Ecclesiae consuetudo injungendi poenas canonicas poenitentibus, aut Scripturarum auctoritas jejunia, orationes, et eleemosynas commendantium, facile ab iis se expedire arbitrantur respondendo, praecipi haec a Deo et ab Ecclesia tum ad publicum poenitentiae testimonium exhibendum, tum ad vitam immunem a vitiis deinceps servandam. Haec illi quae a nobis invictis refellenda sunt argumentis; unde

CONCLUSIO I.

Dimisso peccato quoad reatum, remanet in poenitentibus adhuc luenda poena temporalis.

Prob. 1. Post remissa peccata in multis temporalem poenam luendam remanere in altera vita, omnia illa argumenta probant quibus Catholici adversus veteres ac recentiores haereticos existentiam demonstrant Purgatorii in quo nonnullorum animae justorum dant dimissae culpae commeritas poenas quas si in hac temporali vita exsolvissent, statim post mortem ad intuitivam Dei pervenissent visionem.

Prob. 2. ex veteri Testamento. Exod. cap. 32. narratur filios Israel in deserto aurei vituli adoratione in Deum turpissime peccasse; propter quod ad iracundiam idem Deus provocatus se delere velle dixit populum a facie terrae. Sed servo suo Moyse intercedente, infandum remissit illis facinus, addendo tamen, *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.* Remanserat ergo aliquid in filiis Israel post peccatum, quod Dei merebatur animadversionem, quodque aliud esse non poterat nisi temporalis poena peccati. Ingratus ille populus murmurationibus suis Dei iram iterum provocavit ad falsam relationem illorum qui cum Caleb Jephone filio missi exploratores fuerant in terram Chanaan, affirmans sibi melius cessisse si mortuus fuisset in Ægypto, vel in vasta ista periret solitudine, antequam Dominus illum induceret in terram hanc quae monstra hominum alit de genere giganteo, suosque devorat postquam illos peperit, habitatores: iterumque ad Moysis preces placatus dimisit illis etiam hanc noxam: *Dimisi juxta verbum tuum.* Verum subdit: *Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, et signa quae feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices . . . non videbunt terram etc.* Et nemini revera ex illis datum est in terram ingredi Chanaan, duobus tantum exceptis, Josue atque Caleb. Quod idem accidit Moysi et Aaron, primo ob defectum Fidei ostensum ad aquas contradictionis, huic ob scandalum quod praebuit dum aureum aedificavit vitulum: quibus jam culpam Deus dimiserat ipsorum; verumtamen in peccati ejusdem poenam datum non est illis terram attingere promissionis. Peccavit David et quidem peccato gravissimo, ut in lib. 2. Reg. cap. 12. legitur. Admonitus autem a Nathan, quum corde vere contrito dixisset, *Peccavi Domino*, adjecit Propheta, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. En condonatum quoad reatum aeternumque supplicium Davidi peccatum: *Non morieris.* Et nihilominus debitum in illo temporalis poenae luendae remansit; unde e vestigio subdit Propheta: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur*, ut reapse accidit cum incredibili patris dolore. Idipsum aliud Davidis exemplum confirmat, quando dimissa ei culpa per populi enumerationem contracta, data ei per Gad Prophetam optio est ut ex tribus propositis malis eligeret unum. Numquid temporales hae poenae ab istraelitis, Moyse, et Davide exactae, correptiones

fuere paternae, ut Calvinus nimis fidenter affirmat, non judicis ultiones? Legantur loca Scripturae unde allata exempla accita sunt, et ubique pro causa poenarum culpa assignatur dimissa.

Prob. 3. ex N. T. Apostolus in ep. ad Rom. cap. 5. ad Cor. et alibi saepe tamquam firmissimum Fidei dogma credendum nobis proponit non modo originale peccatum, sed et temporales poenas illud comitantes: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors etc.* Adamo certe grande illud peccatum dimissum fuit, ut post Sapientiae Auctorem Patres omnes testantur. In filiis Adam dimittebatur in lege naturae per aliquod hoc fine Deo oblatum Sacrificium, per circumcisionem a Deo praeceptam in lege mosaica, ac tandem in nova Lege per Sacramentum Baptismi. Et nihilominus mors aliaeque temporales poenae peccati grassatae sunt in Adamo et in hominibus reliquis tempore Legis tum naturae tum scriptae, et adhuc in Lege Gratiae in nobis vigent. Falsum est itaque, dimissa culpa aeternoque supplicio poenas temporales non remanere luendas, et ad supplicium quidem peccati, non ad virtutis exercitamentum, ut calvinistae arbitrantur; quum infantes qui teterrima aliquando morte decedunt sint exercitii virtutis incapaces. Praeterea Petrus in ep. 1. cap. 3. loquens de Christi post mortem ad inferna loca descensu, inquit: *His qui in carcere erant spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*. Quae verba juxta Patrum expositionem et praecipue S. P. Augustini in ep. 164 alias 99. ad Evod. qui pro spiritibus in carcere accipiunt animas in corpore inclusas, est enim caro quasi ergastulum animae; significant multos diluvii tempore fuisse qui cordis dolore propria detestantes peccata, veniam a Deo obtinuerunt, et salvi facti sunt. Sed interim puniti fuere temporali morte non secus ac qui nullam egerunt poenitentiam, in poenam incredulitatis eorum.

Prob. 4. Eadem semper fuit ac plane constantissima Patrum Ecclesiae doctrina. Nam S. Joannes Chrysostomus hom. de Poenit. et Confes. *Ne peccantes*, inquit, *et inulti manentes, nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium; sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri: propter hoc imponit poenam.* S. P. Augustinus in psal. 50. scribit: *Aliquando Deus cui ignoscit in futuro saeculo, corripit eum de peccato in isto saeculo. Nam et ipsi David cui dictum jam fuerat per Prophetam, Dimissum est peccatum tuum, evenerunt quaedam quae minatus erat Deus propter ipsum peccatum.* Et in tract. 124. in Joan. *Cogitur homo*, inquit, *tolerare etiam remissis peccatis, quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim poena quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena.* Eadem lib. 22. cont. Faustum cap. 67. Gregorius M. lib. 14. Moral. cap. 27. *Nequaquam igitur peccato parcitur; quia nullatenus sine vindicta laxatur: sic David audire post Confessionem meruit, Dominus transtulit peccatum tuum; et tamen multis post cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatu culpae quam perpetraverat, exsolvit*. Superfluum est in re tam manifesta aliorum Patrum recitare sententias.

Prob. ultimo theologica ratione quam tridentini Patres a Chrysostomo, Augustino, aliisque veteribus mutuatam, in haec verba tradunt: *Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti injurii, et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fraeno quodam coercent hae satisfactoriae poenae, cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt.*

CONCLUSIO II.

Sacerdos potest ac debet injungere poenitentibus poenas satisfactorias.

Prob. 1. Scripturis. Matth. cap. 18. Christus Dominus alloquens in persona Apostolorum Ecclesiae suae Ministros inquit: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Caelo.* Haec significant habere Sacerdotes Dei Ministros potestatem solvendi atque ligandi. Solvunt autem dum poenitentibus per absolutionem peccata dimittunt: ligant ergo dum vel absolutionem denegant vel satisfactorias poenas eisdem imponunt. Hoc autem sensu evangelicam intelligendam esse sententiam, praeter tridentinum Concilium sess. 14. cap. 9. declarant veteres Patres. Sic Augustinus noster hom. 1. inter quinquaginta, nunc serm. 351 de divers. de poenitentibus disserens, *Constituto*, inquit, *in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis et Sanguinis Domini ... Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae ... sententiam, veniat ad Antistites per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: et tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Praepositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum.* Et Leo M. in ep. 51. ad Theodorum: *Mediator Dei et hominum hanc Praepositis Ecclesiae tradidit potestatem* (ligandi videlicet atque solvendi) *ut et confitentibus actionem Poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Eadem praeterea Scriptura praeclarum potestatis clavium a Christo Ecclesiae Ministris collatae exhibet exemplum in persona Apostoli Pauli quando habita a Corinthiis notitia de viro incestuoso, ita ad eos ep. 1. cap. 5. rescripsit: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens eum qui sic operatus est. In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Sane verba haec, *judicavi: in nomine Domini: congregatis vobis: cum virtute Domini Jesu*, non aliud nisi pote-

statem a Christo acceptam significant tradendi incestuosum Sathanae in interitum carnis. Videamus modo quid per haec, *tradidi Sathanae in interitum carnis*, sit intelligendum. Chrysostomus, Theodoretus, aliique greci Patres verba illa significare putant doemonis obsessionem, unde aegritudo et molestia ab eo illata oriatur. Plerique interpretes per interitum carnis in manibus Sathanae significari volunt anathema. Ambrosius in lib. 1. de Poenit. cap. 17. dicit esse non consummatam absumptionem carnis, sed castigationem. S. P. Augustinus lib. 3. cont. ep. Parm. cap. 1. ait esse poenam, poenitentiam, emendationem. Et in lib. de Fide et bon. oper. cap. 26. docet esse excommunicationem seu sanctorum privationem mysteriorum: *Nisi essent quaedam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis vobis, et meo spiritu tradere ejusmodi hominem Sathanae in interitum carnis etc. Unde etiam dicit, Ne lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam super immunditiam et fornicationem quam gesserunt*. Vide etiam Origenem hom. 24. in Levit. Pacianum Barcinonensem in Paraen. de Poenit. Quaevis autem harum expositionum admittatur, verum semper est exercuisse Paulum in incestuosum corinthium Ecclesiae claves a Christo acceptas ut illum ad poenitentiae addiceret laborem.

Prob. 2. Ecclesiae Traditione. Concilium carthaginense 3. hanc regulam tulit: *Poenitentibus secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernentur*. Concilium laodicaenum: *His qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, et oratione, Confessione, ac poenitentia malorum suorum perfectam conversionem demonstrant, pro qualitate peccati poenitentiae tempus attribuendum est*. S. Basilius in Regul. brevior. interr. 106. *Pro qualitate*, inquit, *delicti tempus poenitentiae impendatur. Hoc sit in judicio positum eorum qui praesunt, vel quanto tempore, vel quali modo poenitere debeant qui delinquunt*. Innocentius I. in ep. ad Decent. cap. 7. *De pondere aestimando delictorum Sacerdotis est judicare . . . actum debere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem*. S. P. Augustinus praeter superius allata, Ench. cap. 65. scribit: *Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quaecumque alia signa procedit, cum sit coram illo cui dicitur, Gemitus meus a te non est absconditus, recte constituuntur ab iis qui Ecclesiis praesunt, tempora poenitentiae, ut fiat etiam satis Ecclesiae in qua remittuntur ipsa peccata*. Notae sunt omnibus Cypriani quaerimoniae adversus eos qui pro gravissimis culpis leviores imponebant poenitentiae labores.

CONCLUSIO III.

Opera quaevis poenalia vim habent Deo satisfaciendi.

Prob. 1. ex V. T. ubi Deus per os Prophetarum saepe hortatur homines ut poena redimant peccata. Ita Deus per Danielem alloquitur Na-

buchodonosorem cap. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, *et iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Prov. cap. 13. *Redemptio animae viri divitiae suae*. Et cap. 16. *Misericordia et veritate redimitur iniquitas*. Redemptio porro animae, quum pretii includat solutionem, vim proculdubio habet satisfaciendi.

Prob. 2. ex N. T. ubi celebris est Joannis Baptistae sententia quae Lucae cap. 3. prostat: *Facite fructus dignos poenitentiae*. Ea namque verba non solam vitae mutationem, aut aliorum exemplum, et aedificationem Ecclesiae important, ut calviniani contendunt, sed poenitentiae praeterea labores ut injuria divinae Majestati illata compensetur; unde Gregorius M. hom. 20. in Evang. *Aliud est*, inquit, *fructum facere poenitentiae*, *aliud fructum dignum facere poenitentiae*. *Ut enim de dignis poenitentiae fructibus loquamur*, *sciendum est*, *quod quisquis illicita non commisit*, *huic jure conceditur ut licitis utatur*, *sicque opera pietatis faciat*, *ut tamen si voluerit*, *ea quae mundi sunt non relinquat*. *At si quis in fornicationis culpam*, *vel fortassis*, *quod gravius est*, *in adulterium lapsus est*, *tanto a se licita debet abscindere*, *quanto se meminit et illicita perpetrasse*. Pulchra est expositio in hunc locum S. Joannis Chrysostomi quae exstat hom. 10. in Matth. quem locum consulas.

Prob. 3. veterum Patrum consensione. Tertullianus in lib. de Bapt. *De praeteritis*, inquit, *satisfacimus afflictione carnis et spiritus*. Lib. de Poenit. cap. 9. scribit: *Haec omnia Exomologesis*, *ut Poenitentiam commodet*, *ut de periculi timore Dominum honoret*, *ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur*, *et temporali afflictione aeterna supplicia*, *non dicam frustretur*, *sed expungat*. Et paullo post: *Delictum nostrum Domino confitemur*, *non quidem ut ignaro*, *sed quatenus satisfactio Confessione disponitur*. Plura alia habet his consimilia in eodem libro. Cyprianus in ep. 55. ad Cornel. Papam acriter redarguit eos qui immature, hoc est ante expletam satisfactionem lapsis concedunt indulgentiam, atque inter alia inquit: *Intercedunt*, *ne exoretur precibus*, *et satisfactionibus Christus*. *Elaborant*, *ne vulneratos divina clementia in Ecclesia sua curet*, *ne Deo indignanti satisfaciat*. *Datur opera*, *ne satisfactionibus*, *et lamentationibus justis delicta redimantur*, *ne vulnera lacrymis abluantur*. *Pax vera falsae pacis mendacio tollitur*. In lib. de Lapsis easdem ingeminat quaerimonias, illos redarguens qui nimia indulgentia sinunt peccatores delicta non redimere satisfactionibus. Hieronymus Comm. in Malach. *Qui peccator est*, inquit, *et quem propria conscientia mordet*, *cilicio poenitentiae accingatur*, *et plangat tam sua delicta quam populi*, *atque iterum ingrediatur Ecclesiam de qua fuerat ejectus*, *et cubet in sacco*, *ut praeteritas delicias per quas Deum offenderat*, *vitae austeritate compenset*. Ambrosius scribens ad virginem quae virginitatis jacturam fecerat, ait: *Tu proprii facti judex esto crudelior*, *lugubris tibi accipienda est vestis*, *mens*, *et membra singula digna castigatione punienda*... *Talis actio poenitentiae*, *si fuerit perseverans*, *audebis sperare*, *etsi non gloriam* (virginitati debitam) *certe poenae evacuationem*... *Grande scelus*

grandem habet necessariam satisfactionem. Augustinus hom. 50. inter 50. nunc serm. 351. de divers. *Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de iis quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Et lib. de Continentia cap. 6. *Si displicerent, inquiunt,* (peccata) *nullo modo ea fieri ... permitteret: quasi vero Deus impunita peccata esse permiserit, etiam in eis quos a supplicio sempiterno remissione liberat peccatorum. Nullus quippe debitae gravioris poenae accipit veniam, nisi qualemcumque etsi longe minorem quam debeat, solverit poenam.* Gregorius M. part. 3. Pastoralis inquit: *Neque enim debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi et illa quae ligaverat solvat: ita et cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, e contrario appositis lamentis insequamur.* Non opus est aliorum recitare Patrum testimonia, quum protestantes ultro confiteantur eam fuisse Patrum opinionem. Sed eos turpiter in hac caussa errasse affirmare non verentur. Verum caveat Calvinus qui tanta confidentia pronuntiat, *omnes fere quorum libri extant, hac in parte lapsos esse,* ne ipse decipiatur et erret. Neque enim unus vel alter ex Patribus, sed unanimi consensione omnes in nostram descendunt sententiam, ut ex recensitis et aliis qui afferri possent, ad oculum patet. *Quod autem apud omnes unum est, non erratum, sed traditum est,* inquit Tertullianus.

Adversariorum dissolvuntur oppositiones.

Ob. 1. cont. 1. prop. In sacris litteris duplicis generis poenae dumtaxat recensentur. Aliae quas inimicis suis infligere Deus solet, de quibus David, *Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt, et in regna quae nomen tuum non invocaverunt*, aliae vero quae assignantur amicis non ad vindictam, sed ad emendationem correptionemque, juxta illud, *Deus quos diligit, castigat.* Ubi ergo Scripturae supplicia commemorant, vel de aeternis tormentis quae contumacibus inferuntur, vel de poenis emendatoriis tantum quae assignantur hominibus justis ad correctionem, debent inteligi; atque idcirco quae a Catholicis e Scriptura afferuntur testimonia non demonstrant temporales poenas dimisso peccato superesse luendas. 2. Deus per os Ezechielis cap. 18. *Si impius,* inquit, *egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est ... vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* Recordaretur autem, si illis dimissis poenam adhuc exigeret temporalem. 3. Quae doctrina in novo quoque traditur Testamento, dicente Apostolo in ep. ad Rom. cap. 8. de justificatis, *Nihil nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.*

Resp. ad 1. Mancam esse allatam a Calvino poenarum divisionem; etenim praeter illa duo suppliciorum genera ab ipso recensita, datur et tertium, illorum videlicet quae a Deo ad remissae culpae temporalem pu-

nitionem hominibus vel per se vel per Sacerdotes ministros suos assignantur; quibusque afficiuntur quandoque justi qui vel levia tantum admittunt peccata, vel animadversione indigent ne prolabantur. Scripturarum testimonia et exempla a nobis allata quum apertissime doceant illatas a Deo poenas fuisse propter peccatum et quidem jam dimissum, commonstrant simul, post dimissam culpam, quoad reatum et poenam aeternam, remanere luendam poenam temporalem.

Ad 2. Si Ezechielis verba in suo vero sensu intelligantur prosunt, non obsunt Catholicorum sententiae. Hieronymus enim cui major certe fides quam Calvino habenda est, sic allatum in argumento Prophetae testimonium exponit: *Si postea egerit poenitentiam, et ad meliora conversus pristina peccata deleverit, non judicetur vetustate peccati, sed in meum suscipiatur gregem, innovatione virtutis.* Et cohaerenter quidem ad mentem Prophetae qui sic loquitur: *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est*, post quae prosequitur, *Et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam: vita vivet, et non morietur. Porro agere poenitentiam, facere judicium et justitiam*, sive ut in versione Septuaginta legitur, *facere justitiam et misericordiam*, non est Deo satisfacere laboriosis operibus? Dum ergo inquit, *iniquitatum ejus non recordabor*, vult significare peccata impii post remissionem ei nocere non posse ad supplicium aeternum.

Ad 3. Sensus verborum Apostoli hic est: Iis qui sunt in Christo Jesu per Baptisma, quique ambulant secundum spiritum, habitatque in eis Spiritus Dei, ut ipse ibi ait, nihil est quod poenam aeternam mereatur; unde justificatio excludit quidem ab homine reatum, aeternumque supplicium, non illum vero eximit a poena temporali. Et ut exemplum ex Baptismate; iis qui per Baptismum sunt in Christo Jesu, remittitur quidem cum originaria culpa aeternum supplicium; sed numquid non remanet illis temporalis peccati poena luenda? Remanent utique concupiscentia, ignorantia, mors, aliaeque humanae vitae calamitates etiam in renatis infantibus. Quanto magis itaque temporales dare debent poenas post justificationem qui semel illuminati Spiritum Sanctum contristare non formidarunt?

Obj. 2. cont. eamd. thesim ex PP. Chrysostomus hom. 28. in ep. 1. ad Cor. explicans illa Apostoli verba, *Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, inquit: *Non dixit: Si castigaremus nos ipsos, si puniremus, sed solum si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo quod et hic et illic est, supplicio*. Sola igitur peccati cognitio atque Confessio liberat nos ab aeterno ac temporali supplicio. 2. S. P. Augustinus lib. 2. de Peccat. Merit. cap. 34. interrogatus de poenis quae culpam comitantur originariam, *Respondemus*, inquit, *ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina exercitationesque justorum.* Quare ex temporalibus poenis quas Deus non raro assignat filiis suis in hac vita, non recte arguitur, post remissa peccata luendas remanere poenas temporales. 3. Et jure quidem. Nam remota caussa, culpa nimirum, per

justificationem, nonne removetur effectus, poena videlicet aeterna et temporalis? Utraque enim est peccati stipendium.

Resp. ad 1. Chrysostomus dicens debere nos contra nosmetipsos sententiam, ut supplicia vitemus, de peccatis nostris ferre, laboriosa non excludit opera ad satisfaciendum, neque enim haec duo simul stare non possunt. Quinimmo locutio illa, *Si vellemus nos ipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam*, includere videtur liberam pro peccatis animadversionem, praesertim cum ibidem scribat, *Nos non manere inultos* : *non remitti supplicium* : *imponi poenam*.

Ad 2. Eamdem adhibeto ad Augustini testimonium responsionem, temporales videlicet poenas valere simul et ad satisfaciendum et ad exercendam augendamque virtutem. Nam non ignorabat S. Doctor innumeras hujus saeculi aerumnas quibus parvuli sacro fonte renati subditi sunt valere illis non posse ad exercitamenta virtutum.

Ad 3. Captiosum est tum in naturalibus tum in supernaturalibus vulgare illud proloquium, *remota caussa*, *removetur effectus*. Nam remoto artifice remanet opus ab eo elaboratum, et remoto per Baptismum originali peccato remanent illius effectus, concupiscentia nempe, mors, et ignorantia. Valet itaque proloquium illud tantum in his quae ad hoc ut existant, indigent continuo viribus causae quae illa produxit; ut lux indiget face, qua extincta tollitur lux. Hinc quoniam aeternum supplicium necessario adnexum est culpae, hac per Sacramentum sublata, et illud aufertur. Poenas autem temporales ob peccatum promeritas voluit Deus luendas adhuc remanere, etiam dimisso reatu; et quidem justis de caussis in allatis superius Scripturae Patrumque testimoniis expositis. Quamvis et harum calamitatum temporalium reponere possimus causam prorsus esse originalem culpam: quia non utique Deus affligeret nos his malis nisi semel peccatores extitissemus: adeoque neque existentiam habent ejusmodi calamitates nisi a peccato.

Obj. 3. cont. alteram prop. Quod Christus verbis docuit observandum, tradidit etiam exemplo a nobis imitando: *Exemplum dedi vobis*, *ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis*. Christus autem pio Latroni, Mariae Magdalenae, Leproso, aliisque peccata dimisit, nullamque eis satisfactoriam transigendam imposuit poenam. Non possunt itaque nec debent Sacerdotes laboriosas injungere poenas poenitentibus. 2. Et a Christo quidem Apostoli edocti praecipiebant utique hominibus cessationem a peccatis, laboriosa autem opera ad satisfaciendum non imponebant. Unde Paulus in ep. ad Ephes. cap. 4. *Qui furabatur*, inquit, *jam non furetur*: Quae verba Theophylactus exponens scribit: *Non dixit Apostolus*, *puniatur qui furtum committit*, *sed a malo deficiat. Punire namque est fori judiciarii*, *dehortari a vitiis*, *Christi doctrinae est*. 3. Juxta Catholicorum sententiam, potestatem habent Sacerdotes supplicia remittendi aeterna. Quanto magis ergo remittere poterunt temporalia? 4. Ac denique dum in Ecclesia Sacramentum administratur Baptismi etiam adultis, non injungitur baptizatis ad satisfaciendum pro originaria culpa laboriosum aliquod opus. Nec igitur satis-

factoria opera assignari debent poenitentibus in absolutione illis impendenda.

Resp. ad 1. Non in omnibus singulisque actionibus jussum est Sacerdotibus Christi exemplum imitari, quoniam Christum inter ac Sacerdotes immane prorsus discrimen intercedit. Is enim homo erat et Deus, Sacerdotes vero ministri sunt ac dispensatores Mysteriorum ejus. Ipse potestatem habebat excellentiae dimittendi hominibus peccata, Sacerdotes autem potestatem habent delegatam ab eo receptam. Ipse qui reos a culpis absolvere poterat, contritionem quoque Caritatemque perfectissimam peccatoribus inspirabat, et animum illorum penitius introspiciebat; qua facultate atque cognitione Sacerdotes ejus proculdubio carent. Quid mirum ergo si Christus pio Latroni, Mariae Magdalenae, Leproso, aliisque sine ulla imposita satisfactione peccata dimisit, neque idipsum facere possint Ministri ejus? Audias Cyprianum qui in lib. de Laps. inquit: *Solus Dominus misereri potest, veniam peccatis quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri qui peccata nostra portavit etc. Homo Deo esse non potest major; nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est, ne adhuc lapso et hoc accedat ad crimen, si nesciat esse praedictum, Maledictus homo qui spem habet in homine. Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne judicium de Patre solus accepit.* Quod si quis esset qui eadem ferventissima Caritate flagraret, eamdemque vehementissimam de admissis peccatis cordis conciperet contritionem ac qui in exemplum assumpti in argumento fuerunt, non dubito quin una cum culpa aeternum simul ac temporale supplicium dimissum haberet.

Ad 2. Nimis fidenter protestantes ad exemplum provocant Apostolorum, quum falsum sit penitus contulisse eos peccatoribus absolutionem absque imposita satisfactione. Paulus enim tradidit incestuosum Corinthium Sathanae in interitum carnis, ut ex ep. 1. ad Cor. cap. 5. apparet, laboriosam nempe poenam illi ad satisfaciendum imposuit pro infando facinore, ut supra fuse exposuimus. Si autem quaeras cur Apostolus dicat, *Qui furabatur, jam non furetur?* Commendando scilicet cessationem a peccato, laboriosa opera ad satisfaciendum minime excludit. Quod si quae proxime sequuntur attente legantur, temporalis poena luenda peccatori potius inculcatur: haec enim prosequutus adjungit: *Magis autem laboret operando manibus suis . . . ut habeat unde tribuat necessitatem patienti*: in quae sic fatur Chrysostomus hom. 14. *Furati sunt, hoc est peccatum. Non furati sunt, hoc non est peccatum solvere. Sed quomodo? Laboraverunt, et aliis impertierunt, sic solverunt peccatum.* Neque Theophylactus Chrysostomo cujus semper vestigia premit, in minimo contradicit. Per allata enim in argumento verba declarat, in Ecclesiae foro peccata hominum non eo modo punienda ut fieri in foro saeculari solet. Paullo namque ante ita Theophylactus scripserat: *Non satis est a peccato quiescere, sed contraria via est adeunda, diversum ab eo conficiendum iter. Antea operabatur malum? Jam nunc operetur bonum: neque id simpliciter, verum cum labore, partim quidem, ut conterat corpus, quod antea ex torpore mala didicerat; partim vero, ut largiores habeat vitae mores et facultates.*

Ad 3. brevissime. Ideo Sacerdotes qui a peccatis quoad reatum aeternumque supplicium poenitentes absolvunt, temporalem quoque poenam relaxare non possunt, quoniam illam quidem, non hanc a Christo acceperunt facultatem. In his namque rebus non humanae ratiocinationi, sed institutoris standum est voluntati.

Ad 4. Discrimen quod inter Baptismum ac Poenitentiam intercedit, per se manifestum est. Baptismus enim Sacramentum est a Christo Domino institutum per modum regenerationis, atque idcirco qui illo initiatur totus novus ex aquis resurgit. Ast Poenitentia ex sui institutione exerceri per modum judicii debet, de cujus ratione est punire delictum; unde absolutione percepta, luenda adhuc temporalis remanet poena. Praeterea qui ad Baptismum accedunt largiore digni sunt misericordia quam qui ad Poenitentiae accedunt Sacramentum, quoniam illi non adhuc illuminati, per ignorantiam magis quam per malitiam divinam transgressi sunt legem; hi autem quum jam per illam primam Gratiam filii Dei essent, tam magni doni, Spiritui Sancto ingrati, sponte jacturam facere non formidarunt.

Obj. 4. adv. 3. concl. *Quid nobis Salvator contulit passione et morte sua, si adhuc pro peccatis poena exigitur? Cur vero in Scripturis dicitur omnia peccata nostra portasse, et lavisse nos a peccatis in Sanguine suo, si non omnem poenam implevit quae peccatis hominum debebatur?* Ita Calvinus ut demonstret opera satisfactionis ad redimenda non valere peccata. 2. Quod ex alio quoque capite concludere conatur, dicens impossibile esse homini pro peccatis suis Deo satisfacere; quum humana quaevis opera finita sint, offensa vero Dei comparate ad objectum sit infinita. 3. Et praeterea quodcumque facere posset homo ad satisfaciendum, totum titulo creationis ac conservationis Deo debetur.

Resp. ad 1. Si ex quo Christus Dominus pro peccatis nostris sufficienter satisfecit, inferre volumus superfluam esse satisfactionem nostram, jam et Sacramenta quaelibet et opera quaevis bona supervacanea erunt; Christus enim pro nobis sufficienter satisfecit. Christus itaque non ita satisfecit ut nullam a nobis exigere voluerit satifactionem; quinimmo voluit ut fructus passionis ac Sanguinis ejus operibus nostris applicatus, dum imitatores ejus evadimus, satisfactoria opera nostra meritum inde desumunt ad iram supremi Numinis placandam. Rem totam declarat tridentinum Concilium sess. 4. cap. 8. in haec verba: *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde armam habentes, quod et si compatimur, et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio haec, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus.*

Ad 2. Quamvis satisfactoria opera nostra finita in se sint et limitata, per fructum nihilominus passionis mortisque Christi animata, ab infinitate divinae misericordiae, prout sunt a gratia informata, infinitatem quamdam contrahunt, per quam acceptum redditur quod homo reddere potest. Ita

S. Thomas suppl. q. 13. art. 1. Atque hoc modo impossibile non est homini pro peccatis suis satisfacere.

Ad 3. Titulo creationis et conservationis multa debet homo Deo, laudis nimirum gratiarumque actionis sacrificium, humiliationem, obsequium, aliaque similia, quia totum quod habet a Deo accepit. Ast non debet illi labores, carnis mortificationem, lacrymas, detestationemque peccati nondum admissi, ut exemplo patet Adami quamdiu fuit in statu naturae innocentis. Per illa autem atque per haec a Gratia Salvatoris informata, Deo satisfacimus propter peccata nostra. Et quoniam homo peccando jus amisit ad vitam, hinc aliquo sensu omnia Deo deberi dicimus titulo creationis et conservationis. Sed de his egimus pertractantes adversus socinianos de satisfactione a Christo data Patri pro humani generis Redemptione.

Superesset nunc, ut de multis aliis, tum ad Confessionem tum ad satisfactionem spectantibus, ac de forma Sacramenti Poenitentiae dissereremus. Sed quum tractatoris, non institutoris haec sint, ne propositae limites brevitatis excedamus, ea silentio praetermittere existimamus, tyronesque remittimus ad evolvenda praeclarorum virorum volumina qui fuse ac erudite de re sacramentaria pertractarunt, inter quos eminent Joannes Morinus, Gaspar Juvenin, Drouenius, Joan. Laurentius Berti, et nos interim ad disputandum de hujus Sacramenti Ministro descendimus.

CAPUT IX.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

Nullum fere est theologicum dogma in quo definiendo non haeretici modo, sed et nostri Theologi vel a catholica non recedant veritate, vel in ipsa veritate adstruenda ad invicem non dissentiant. Si qua controversia est quae nullam admittere videtur contentionem, ea proculdubio esse deberet quae circa Sacramenti Poenitentiae versatur Ministerium. Et tamen in hac ipsa firmanda haeretici a Catholicis, et Catholici a se invicem plus aequo discrepant in sententia. Nam albigenses primitus, tum valdenses, et flagellantes (secta quaedam haereticorum a Balutio lib. 3. Gestor. Balderini descripta) et wicleffitae et hussitae improbis Sacerdotibus Clavium potestatem denegantes, facultatem a peccatis absolvendi probis quibuscumque laicis concesserunt. Lutherani vero et calvinistae Ministris quidem Ecclesiae dumtaxat datam esse auctoritatem absolvendi fatentur, sed Ministrorum nomine non eos qui legitimam nec unquam interruptam habent ab Apostolis per Ordinis Sacramentum successionem intelligunt, sed qui a Comunitate vel Magistratu electi ac deputati fuerint verbi Sacramentorumque administratores.

Si autem de Theologis loquamur catholicis, Joannes Morinus cui adstipulatur Nicolaus Rigaltius, ex non probe assecuta mente Cypriani in ep. ad Clerum de Lapsis, arbitratur Diaconos apud Latinos priscis illis temporibus, in absentia Sacerdotum, lapsorum proxime pereuntium excipere con-

suevisse Exomolegeses, eisque impendisse Reconciliationem per absolutionem a peccatis. Praepositivus, Petrus Cantor, Gratianus, SS. Thomas et Bonaventura affirmare videntur posse laicos in casu necessitatis poenitentium audire Confessiones, eosque a peccatis absolvere ne pereant. Nostrum itaque erit hoc in capite falsum haereticorum dogma, et non satis cautam Morini atque Rigaltii opinionem refutare; idque unica praestabimus propositione, demonstrantes solis Episcopis atque Presbyteris potestatem a Christo collatam fuisse lapsos post Baptismum a peccatis absolvendi. Sit itaque

CONCLUSIO

Soli Episcopi ac Presbyteri sunt legitimi Ministri Sacramenti Poenitentiae.

Prob. 1. ex Scriptura. Iis dumtaxat datum est Sacramenti Poenitentiae ministerium ac potestas absolvendi a peccatis, quibus solis dixit Christus Matth. cap. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Caelo.* Et Joan. cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex his enim Domini verbis colligitur potestas Clavium aperiendi claudendique, solvendi atque ligandi a Christo Domino in terris relicta. Ast vero ea verba Christus ad Ecclesiam, non quatenus viros laicos et mulieres, sed quatenus solos Episcopos et Sacerdotes complectitur, direxit; quum solos Apostolos, atque adeo Episcopos ac Sacerdotes, eorum legitimos successores iis in circumstantiis alloqueretur, ut ex sola Evangelii lectione luculentissime patet. Apud Joannem enim in solos Apostolos insufflavit dum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata* etc. Et Matth. cap. 18. quamvis Christus loquutus fuerit in antecedentibus de fratribus corripiendis quibus remitti debent ex caritate peccata, in subsequentibus tamen jubens deferri fratrem incorrigibilem ad judicium Ecclesiae, ad solos Apostolos tamquam ad Rectores et Ministros illius sermonem dirigit dicens: *Quaecumque alligaveritis* etc. Hoc sensu Christi verba explicavit tridentinum Concilium sess. 14. cap. 6.

Prob. 2. ex Patribus. S. Cyprianus in libro de Laps. inquit: *Confiteantur singuli, quaeso vos fratres, delictum suum, dum remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est.* S. Ambrosius lib. 1. de Poenit. cap. 2. descripta potestate remittendi peccata, *Hoc*, inquit, *jure vindicat Ecclesia, quae veros Sacerdotes habet: haeresis vindicare non potest, quae Sacerdotes Dei non habet.* S. Joannes Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio cap 5. ait: *Sacerdotibus terram incolentibus commissum est, ut ea quae in Caelis sunt, dispensent* etc. Innocentius I. in Ep. ad Decent. cap. 7. *Ceterum de pondere aestimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem poenitentis, etc.* S. Leo M. ep. 82. *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus hanc praepositis Ec-*

clesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus Poenitentiae actionem darent, et eosdem salubri Confessione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam Reconciliationis admitterent. S. P. Augustinus hom. 50. inter quinquaginta nunc serm. 351. de divers. praecipit cuique fidelium ut ad solvenda peccata *Veniat ad Antistites per quos illi in Ecclesia Claves ministrantur.* Eadem repetit pluribus in locis. Accedunt Ritualia omnia latinorum et Euchologia Graecorum, in quibus praescribitur pro Sacerdotibus Dei Ministris forma administrandi Sacramentum Poenitentiae. Hinc merito Eugenius IV. in Instruct. Armen. proposita in Concilio florentino, *Minister*, inquit, *hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Quod decretum confirmatum fuit in Concilio tridentino sess. 14. cap. 6.

Respondetur objectis.

Obj. 1. Solent Catholici Confessionis necessitatem colligere ex illis Jacobi verbis: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ast verba haec, ut ex lectione patet, significant posse quemque pro lubitu peccata sua vel Sacerdoti vel laico aperire. 2. Baptizandi potestas concessa videtur a Christo solis Apostolis eorumque successoribus, ad Apostolos enim conversus dixit: *Euntes, docete . . . baptizantes eos*, et nihilominus possunt in casu necessitatis laici quoque baptizare. Cur idipsum facere non poterunt in casu necessitatis quoad Poenitentiae Sacramentum? 3. In Concilio constantiensi adversus wicleffitas congregato, Martinus V. praecepit ut suspecti de haeresi Wicleffi interrogarentur: *Utrum credant, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti ex necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico, seu laicis quantumvis bonis et devotis.* Videtur ergo, inquit Morinus, Rom. Pontificem in probis laicis, urgente necessitate, facultatem agnoscere absolvendi a peccatis.

Resp. ad 1. Jacobi testimonium in argumento allatum, de peccatorum Confessione ab infirmo facienda non viris laicis, sed Sacerdotibus est intelligendum. Nam ita sentit Auctor librorum de Visit. infirmor. lib. 2. cap. 4. inter opera Augustini, dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra, quomodo completur? Ergo cicatricium tuarum arbiter Dei vice, Dominus adhibeatur presbyter: et revela ei vias tuas, et ipse tibi exhibebit antidotum Reconciliationis.* Ita videtur sentire Augustinus ipse hom. 12. inter L. qui post allata Jacobi verba concludit: *Nos vero, fratres, si vere spiritales medici sumus, et de animarum vestrarum remedio attentius cogitamus, non debemus palpare* etc. *tu fecisti, tu reus es: tu peccata tua confitere.* Et revera sententia illa huic conjuncta est: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum* etc. Hoc modo exposita sententia necessitatem demonstrat Confessionis faciendae Sacerdoti, et verba, *Confitemini alterutrum*, hunc praeseferunt sensum: Confiteatur homo homini, peccator peccatori. Sunt tamen Theologi qui eo Jacobi testimonio quum ad Confessionis necessitatem demonstrandam non

utantur, institui ibi sermonem de Confessione quae aliquando fit etiam laicis, ultro concedunt, sed negant illam esse sacramentalem, contendentes fieri dumtaxat vel ad excitandam humilitatem vel ad veniam de injuriis proximo illatis flagitandam.

Ad 2. respondeo verbis S. Thomae qui in suppl. q. 8. art. 1. ad 2. scribit: *Baptismus est magis Sacramentum necessitatis quam Poenitentia, quantum ad Confessionem et absolutionem; quia quandoque Baptismus praetermitti non potest sine periculo aeternae salutis, ut patet in puero, qui non habet usum rationis. Sed non est ita de Confessione et absolutione, quae tantum ad adultos pertinet, in quibus contritio cum proposito confitendi et desiderio absolutionis sufficit ad liberandum a morte aeterna*. Ratio autem intrinseca cur in casu necessitatis Baptismus quidem et non Poenitentia possit a laicis ministrari, non aliunde quam a Dei institutoris repeti debet voluntate.

Ad 3. Dogmatizabat Wiclefus Ministrum Confessionis sacramentalis esse posse quemlibet virum laicum dummodo probus sit ac prudens. Summus ergo Pontifiex suspectos de Wiclefi erroribus praecipit interrogari an credant quod Christianus habita copia Sacerdotis, illi soli teneatur confiteri peccata, ut catholica tenet Ecclesia; an vero credant laicis bonis et devotis Confessionem esse faciendam, ut putabat Wiclefus. Hic est obvius ac naturalis illius interrogationis sensus atque idcirco contra fas Morinus Scotum redarguit.

Obj. 2. Augustinus, Ambrosius, aliique S. Patres diserte affirmant probis quibuscumque laicis facultatem collatam fuisse ligandi atque solvendi, denegatam vero impiis et peccatoribus. In aliquo igitur casu poterunt probi laici Confessiones excipere, et absolvere a peccatis. 2. Consimilia tradunt celebriores etiam ecclesiastici scriptores. Auctor enim libri de vera et falsa Poenit. inter opera Augustini, *Si deest*, inquit cap. 10. *Sacerdos, confiteatur proximo*. Magister Sentent. in 4. dist. 17. scribit: *Peccata primum Deo, deinde Sacerdoti sunt confitenda; et si ipse defuerit, etiam socio*. S. Thomas Suppl. q. 8. art. 2. *Minister*, ait, *Poenitentiae, cui Confessio est facienda ex officio, est Sacerdos; sed in necessitate etiam laicus vices Sacerdotis supplet, ut ei Confessio fieri possit*. Ita etiam SS. Bonaventura, Raymundus, aliique apud Morinum.

Resp. ad 1. Augustinus, Ambrosius, nonnullique alii Patres facultatem ligandi atque solvendi laicis concedunt per viam impetrationis, non jurisdictionis, et tamquam Sacramenti Ministris. Quilibet enim justus sive in terris militet sive regnet in Caelis, gemitibus ac orationibus suis veniam nobis a Deo impetrare potest peccatorum; unde et B. Mariam Virginem, et Angelos et Sanctos in Caelis regnantes quotidie invocamus. Atque hoc sensu potestatem habent, juxta Patres, ligandi atque solvendi.

Ad 2. Non de Confessione sacramentali, sed de ea quae vel ad humilitatem manifestandam, vel ad excitandam contritionem, vel ad desiderium augendum Sacerdotis habendi a quo absolutionem poenitens percipiat, verba faciunt ecclesiastici quidam scriptores. Ad quod suadendum per sin-

gula in argumento allata testimonia breviter excurrere juvabit. Auctor operis de vera et falsa Poenit. post allata verba e vestigio subdit: *Saepe enim contingit, quod poenitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. Et si ille cui confitebitur potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi dum ibant ostendere ora Sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Unde patet Dominum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad Sacerdotes pervenire.* Eodem sensu loquitur Magister, quoniam loco citato verba recitat Auctoris operis de vera et falsa Poenit. S. Thomas in articulo laudato docet, *Quod in Confessione facta laicis non est aliquid ex parte Ministri, scilicet absolutio, et satisfactionis injunctio, sed tantum contritio et Confessio.* S. Bonaventura in 4. Sentent. dist. 17. scribit: *Non fit socio ut suppleatur locus Sacerdotis, vel ut Confessio Sacramentum ex hoc habeatur, sed ut voluntas confitentis probetur, et innotescat; ut totum quod in se est, faciat.* Eadem est mens S. Raymundi, et aliorum.

Obj. ultimo cum Joanne Morino. S. Cyprianus in ep. 12. ad Presb. et Diac. carthaginenses ita scribit: *Si incommodo aliquo, infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra, apud Presbyterum quemque praesentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possunt: ut manu eis imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres, litteris ad nos factis, desideraverunt.* Gemina his occurrunt in Concilio eliberitano cap. 32. toletano 1. can. 2. in lib de divinis Officiis Alcuini, et in Ordine Romano: quae absque verborum ambage significant posse Diaconos in casu necessitatis poenitentium excipere Confessiones, iisque absolutionem impendere; hoc enim proprie significat, *Exomologesim facere.* 2. Etiam *manus in poenitentiam imponere*, quod habet ibidem Cyprianus, nil aliud indicat quam a peccatis absolvere. 3. Et revera si periclitans Exomologesim apud Episcopum vel Sacerdotem fecisset, ab eisque manus recepisset impositionem in poenitentiam, nonne Exomologesis Confessio fuisset sacramentalis? Idipsum ergo dicendum de actione hac facta coram Diacono. 4. Neque fingendum est impositionem illam manuum per Diaconum factam absolutionem denotare ab excommunicatione. Nam non omnes lapsi censuris innodati erant ecclesiasticis.

Resp. ad 1. et 2. In celebri ex ep. 12. Cypriani deprompto testimonio sermo revera fit de reconciliatione ac pace mere coeremoniali, non sacramentali. Quod in errorem traxit Morinum virum ceteroquin doctissimum duae fuerunt voces, *Exomologesis*, videlicet, et *manus impositio*. Verum sedulo animadvertendum est duo illa nomina saepe quidem pro sacramentali peccatorum sumi Confessione, sed non semper. Aliquando enim accipiuntur etiam ad *prostrationem*, quae juxta veterem disciplinam pars erat Poenitentiae per quam lapsi qui poenitentiam exegerant, impositioni manuum Episcopi et Cleri subjiciebantur, significandam. Hinc Tertullianus in lib. de Poenit. cap. 9. ita Exomologesim describit: *Itaque Exomologesis*

prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiae etc. Et Cyprianus ipse ep. 9. *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores poenitentiam justo tempore, et secundum disciplinae ordinem, ad Exomologesim veniant, et per manus impositionem Episcopi et Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante.... ad communionem admittuntur, et offertur nomen eorum, et nondum poenitentia acta, nondum Exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo et Clero imposita, Eucharistia illis datur.* Haec sane demonstrant Exomologesim et manus impositionem non raro coeremoniam significare quamdam in reconciliandis peccatoribus adhiberi solitam, quae *substractio* dicebatur ab antiquis, quod poenitentes Episcopo et Clero manus eis imponentibus substernerentur. Qua posita idearum distinctione facile intelligitur Cyprianum in allata epistola ad Clerum praescribere ut peccatores exacta imposita illis poenitentia, si ante reconciliationem in gravem incidissent morbum cum periculo salutis, absente Episcopo et Sacerdote Exomologesim coram Diacono facerent, et manus ab eo reciperent impositionem, hoc est coeremonialem ritum complerent, ut ita reconciliati cum pace venirent ad Dominum.

Ad 3. Exomologesis ac manus impositio sacramentalis debebat sane praecedere poenitentiam; antequam enim peccator in locum suum, juxta diversos gradus adiret poenitentiae, peccata Episcopo vel Sacerdoti pandere tenebatur, ut inde deprehenderetur quid circa gradus poenitentiae disponendum foret. Cyprianus autem de Exomologesi ac manus impositione loquitur quae poenitentiam sequebatur in reconciliationem; adeoque Exomologesis haec et manus impositio facta etiam coram Episcopo vel Sacerdote mere coeremonialis erat, non sacramentalis; alioquin quum universus Clerus una cum Episcopo imponeret, sequeretur fieri debuisse peccatorum Confessionem publice et coram minoribus etiam clericis: quod absurdum est.

Ad 4. Ritus de quo loquitur Cyprianus a Diacono non semper fiebat ut Ecclesiae reconciliarentur excommunicati, sed quam saepissime ut peccatores qui poenitentiae tempus compleverant ad sacram admitterentur Synaxim, et cum reliquis fidelibus extra poenitentiae locum in singulis communicarent. Relege Cypriani verba paullo supra recitata. Eo modo quo Cypriani mentem exposuimus explicanda sunt quae opponuntur ex Conciliis eliberitano et toletano 1. ex Alcuino, et Ordine Romano. Sed de Sacramento Poenitentiae satis.

Finis libri XXXIX.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XL.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

Bonorum omnium largitor D. N. J. C. ut nimiam Caritatem suam qua cum adhuc peccatores essemus dilexit nos manifestam faceret, non solum in similitudinem carnis peccati, ut nos a peccato redimeret, turpissimam oppetiit mortem, sed praeterea sensibilia quaedam instituere voluit signa per quae mortis ejus fructus nobis applicaretur, ut in hac mortali vita sanctificati in terris, aeternam et immortalem vitam consequeremur in Caelis. Atque haec signa Sacramenta sunt quae in Ecclesia veluti totidem divini amoris pignora diligentissime custodiuntur. In horum autem signorum institutione, sicuti bonitatis et misericordiae, ita et infinitae sapientiae suae relucet monumentum. Nam ut multa, de quibus alibi diximus, silentio praeteream, nonne praeclarum divinae sapientiae argumentum est, ut sicuti Sacramentum instituit Baptismatis per quod aditum ad veram vitam nobis patefaceret, ita ut ex hac mortali vita discedentes, facilius ad vitam aeternam pararet iter, Sacramentum institueret Extremae Unctionis. Ita omnes Catholici divinorum memores beneficiorum constantissime tenent. Sed non ita quoad Extremam Unctionem uti et quoad alia complura philosophantur haeretici. Quinam contra divinum hoc Sacramentum caput extulerint, quidve impudenter dogmatizaverint, paullo post brevissime exponemus. Interim nos qui gratia Dei catholici sumus, ne divinae munificentiae in Sacramenti hujus institutione manifestatae simus ingrati, omnem nostrum hoc in libro impendemus conatum ut refellamus falsa dogmata haereticorum, simulque Catholicorum sententiam exponamus.

CAPUT I.

De Extremae Unctionis nomine ac definitione. Quinam e Sacramentorum albo illam expunxerint, et an vere sit novae Legis Sacramentum.



Varia cum Graeci tum Latini ad Sacramentum hoc exprimendum usurpavere nomina, in quibus nostri a Graecis non admodum differunt. Dicitur namque a Latinis, *Unctio infirmorum*, quod infirmis conferri debeat: *Sacra Unctio*, quod Gratiam contineat sanctificantem: *Unctio Sacrati Olei,* quoniam illius materia oleum est: *Sacramentum exeuntium*, quia iis qui proxime ex hac vita egressuri sunt, confertur: *Extrema* denique *Unctio*, quoniam post alias unctiones quae in Ecclesia fiunt soleat adhiberi. Atque postremum hoc nomen prae ceteris in Ecclesia occidentali praevaluit. A Grecis autem ob consimiles caussas appellatur vel ἅγιον Ἔλαιον *Sanctum Oleum*, vel Εὐχέλαιον *Oratio cum Oleo conjuncta*, vel ὑστεραχρῖσις *Unctio postrema*. Pauca haec quoad nomen sufficiant.

Extrema autem Unctio definiri vulgo solet, *Sacramentum novae Legis a Christo Domino ad Gratiam conferendam sanctificantem institutum, per quod aegrotantibus baptizatis datur etiam jus ad specialia illa auxi-*

lia quae necessaria sunt, ut quis incommoda infirmitatis aequo animo ferat, ac daemonis superet tentationes, et etiam, si animae expediat, corporis recuperet sanitatem. Fusa haec definitio omnia continet quae ad hujus pertinent Sacramenti naturam, deque singulis illius partibus subsequentibus disputationibus singillatim disseremus. Et interim a prima ducemus exordium, demonstrandum videlicet suscipiemus, Extremam Unctionem veri Sacramenti habere rationem.

Sed antequam id faciamus eorum recensebimus nomina qui hostes se Sacramenti hujus prodiderunt. Cardinalis Bellarminus auctoritati innixus Guidonis Carmelitae in Summ. de haeres. et Aeneae Sylvii in lib. de orig. Bohem. arbitratur valdenses, albigenses, wiclefitas, et hussitas e Sacramentorum censu Extremam exclusisse Unctionem, verum id apertissime negant alii praeclarissimi viri. Et valdenses quidem in Confessione Fidei Regi Uladislao oblata non modo septenarium Sacramentorum numerum confitentur, sed duplicem praeterea Extremae Unctionis agnoscunt effectum: *Primum, caussam facilioris ingressus ad languentes: Hac re Sacramentum non est. Alterum, est res ipsa signata tali Unctione qua tribuitur a Deo in Christo. Pro qua re in recta fide, ut languenti fideli id condonetur, praecipue orandum est B. Jacobi praecepto: Infirmatur quis in vobis?* etc. Inter Wiclefi autem articulos quos Joannes quoque Hus adoptavit a Concilio constantiensi proscriptos ne verbum quidem adversus hoc Sacramentum occurrit. In Trialogo pariter ubi omnia illius portenta expressa inveniuntur, altum de hoc errore silentium. Id unum affirmari de haereticis illis potest, quod Sacramentum hoc aspernarentur tum quoniam ad cujuslibet Sacramenti valorem, more donatistarum, probitatem requirerent Ministrorum quos ipsi impios existimabant, tum etiam quoniam abusus temporibus illis invaluerat ut Presbyteri hoc conferre nollent Sacramentum nisi oblata pecunia, inter plures quos praesentes requirebant, presbyteros distribuenda, ac decem accensis luminaribus, unde Sacramentum pro divitibus appellabatur ab haereticis. Primi itaque qui immane huic indixere Sacramento bellum fuerunt proculdubio protestantes post eorum duces Lutherum atque Calvinum. Et Lutherus sane in libro de babyl. captiv. Catholicos acriter reprehendit, quod Extremam Unctionem in censum referant Sacramentorum, quum ad summum tamquam merum haberi debeat sacramentale, *ut sunt salis et aquae consecratio, et aspersio*. Verba sunt Lutheri. Calvinus vero more suo, nempe amarulento animo, appellat *hoc Sacramentum fictitium*, *et hystrionicam hypocrisim*. Rationes autem quas se habere jactant ad ita dogmatizandum, paullo post exponemus. Interim animadvertendum existimo Joannem Dallaeum calvinistarum in Gallia ministrum duobus integris voluminibus magno eruditionis apparatu funditus hoc Sacramentum convellere fuisse conatum. Sed frustra, ut paucis sed invictis argumentis mox demonstrabimus, unde sit

CONCLUSIO

Ex sacris Litteris atque ex perpetua Ecclesiae Traditione demonstratur Extremam Unctionem verum esse novae Legis Sacramentum.

Prob. prior thesis pars. Theologi ac sacrae Scripturae interpretes bene multi catholicum hoc dogma demonstrandum assumunt ex Marci cap. 6. ubi de duodecim Apostolis a Christo Domino ad praedicandum missis, haec occurrunt: *Et ungebant Oleo multos aegros, et sanabant.* Haec verba inquiunt, de Extremae Unctionis Sacramento sunt intelligenda, quum Unctio illa omnia habuisse videatur quae ad Sacramenti constitutionem necessaria sunt. Et quidem Unctio illa instituta dici debet a Christo Domino, neque enim ausi fuissent Apostoli quidquam facere quod ab eo non accepissent; unde Concilium senonense; *Neque id*, inquit, *suo sensu, sed Praeceptoris instituto fecisse putandi sunt*. De proxima ac remota materia quae ad Sacramenti requiruntur essentiam ambigere nemo qui laudata verba relegat potest: *Ungebant Oleo multos aegros, et sanabant.* Neque existimandum est Unctionem illam super aegros, Apostolos muto adhibuisse contactu, sine Dei nominis invocatione, aut oratione aliqua: atque ita etiam Sacramenti formam habemus. Quod vero illius Unctionis effectus Gratia esset, animarum potius quam corporum sanans aegritudines, testatum facit Concilium coloniense dicens: *Neque Christus Dominus discipulos suos chirurgos fecit, sed Apostolos qui ungerent aegrotos Oleo non medicinali, sed sacramentali et mystico; quamvis divus Jacobus modum et formam administrationis clarius expresserit.* Addunt praeterea sanctorum Patrum auctoritatem, et praesertim Victoris Antiocheni, Theophylacti, Oecumenii, Euthymii, ex Graecis. Ex Latinis autem citant Venerabilem Bedam, qui omnes, inquiunt, tradiderunt, apud Marcum cap. 6. de Extremae Unctionis Sacramento fieri sermonem. Et postremo loco in hujus sententiae patrocinium advocant S. Thomam, Scotum, Petrum Parisiensem Innocentii III. praeceptorem, Baconum, et alios. Atque his ducti momentis statuunt haereticos e Sacramentorum numero delere non debuisse Extremam Unctionem cujus tam aperte meminit S. Marcus.

Verum quum argumenta omnia quae allata sunt et afferri solent ad demonstrandum, Oleum a Marco commemoratum Sacramentum esse Extremae Unctionis, meræ probabilitatis fines non excedant, multas enim patiuntur difficultates quae apud Laurentium Berti legi possunt; et e contra ad Fidei dogma contra haeterodoxos commonstrandum, monumenta quae nullam admittant ambiguitatem afferri debeant, nos allato testimonio Marci non utemur, contentique dumtaxat erimus celebri loco qui in ep. Jacobi cap. 5. occurrit in haec verba: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini: et oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Habemus in hac apostolica sententia quidquid necessarium est ad Sacramenti constitutionem. Et in primis ha-

bemus utramque materiam, proximam et remotam, *Ungentes eum Oleo.* Non deest forma per illa verba expressa, *In nomine Domini*, et illa alia, *Oratio Fidei.* Quamvis non expressissime, satis perspicue tamen verba eadem divinam exhibent institutionem, quum Unctio illa ab Apostolo commendata non uni aut alteri fideli, nec particulari alicui ecclesiae, sed Ecclesiae universali ad quam dirigitur Epistola, praescribatur; quod sane Apostolus non fecisset si Unctio illa ritus fuisset a se humano spiritu institutus. Exprimitur denique in laudata sententia res seu effectus Sacramenti, nempe peccatorum per Gratiam sanctificantem remissio, *Oratio Fidei salvabit eum: Et si in peccatis sit, remittentur ei:* effectus quoque secundarius, alleviatio scilicet animi a peccatorum memoria et corporis languore oppressi, et corporis ipsius etiam incolumitas si fuerit spirituali saluti expediens. Non sunt ergo audiendi protestantes effutientes Unctionem hanc de qua loquimur, ritum esse tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum.

Prob. nunc altera ejusd. prop. pars per singula priora saecula excurrendo. Habitam namque fuisse Extremam Unctionem tamquam Sacramentum recentioribus saeculis protestantes non inficiantur; in quo tamen faciendo, ut brevitati consulamus, non multa dicemus, lectoremque remittimus ad erudita opera cl. virorum Launoji, Juvenin, Drouenii, Berti. Saeculo itaque 3. magnus Origenes hom. 2. in Levit. commendato primitus Sacramento Poenitentiae, propriisque illo descripto characteribus, descendit subinde ad disserendum de Extrema Unctione quam Poenitentiae appellat complementum his verbis: *Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per Poenitentiam remissio peccatorum* etc. *In quo impletur et illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum Oleo in nomine Domini.* Neque dicat Dallaeus integram illam sententiam de sola esse laboriosa Poenitentia sumendam. Nam diversam adscribit Origenes materiam diversamque formam Unctioni a Jacobo praescriptae quam Poenitentiae. Saeculo 4. Chrysostomus in lib. 3. de Sacerd. dignitatem sacerdotalem extollit ex eo quod Sacerdotes potestatem habeant non solum homines per Sacramentum Baptismi regenerandi, sed etiam remittendi peccata per Unctionem Extremam; sic enim inquit: *Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? Accersat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, et obsecratio Fidei salvum reddet laborantem, et eriget eum Dominus, et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Suspicari autem non licet loqui S. Doctorem de potestate remittendi peccata per Poenitentiam, de hac enim loquutus jam paullo ante fuerat comprobans illam ex Matth. cap. 18. et Joan. 20. subinde vero ad demonstrandam potestatem remittendi peccata per Unctionem Extremam citat verba Jacobi cap. 5. Initio saeculi 5. Decentius Episcopus eugubinus multa circa sententiam illam Jacobi dubia solvenda proposuit Innocentio I. Rom. Pont. inter quae praecipuum erat: An verba illa, *Infirmatur quis in vobis* etc.

de infirmis Oleo ungendis essent intelligenda? *Sane*, inquit Innocentius in resp. ad Decent. *quoniam de hoc*, *siculi de ceteris*, *consulere voluit dilectio tua*, *adjecit etiam filius meus Caelestinus Diaconus in epistola sua esse a tua dilectione positum illud*, *quod in beati Jacobi Apostoli Epistola conscriptum est*: *Si infirmus aliquis in vobis est*, *vocet Presbyteros*, *et orent super eum*, *ungentes eum Oleo in nomine Domini* etc. *Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere*, *qui Sancto Oleo Chrysmatis perungi possunt*, *quo ab Episcopo confecto*, *non solum Sacerdotibus* etc. *Poenitentibus* (iis nempe qui adhuc reconciliationem non obtinuerant) *istud infundi non potest*, *quia genus est Sacramenti*. *Nam quibus reliqua Sacramenta negantur*, *quomodo unum genus putatur posse concedi?* Haec responsio est Innocentii ad Decentium, ex qua luculentissime liquet adnumerasse S. Pontificem Extremam Unctionem reliquis novae Legis Sacramentis, tum quia genus Sacramenti illam appellat, tum etiam quia negandam esse statuit publicis poenitentibus quibus reliqua non concedebantur Sacramenta. Eodem saeculo 5. S. P. Augustinus catholicae de Extrema Unctione sententiae praeclarum exhibet testimonium, nam in libro cui titulus, *Speculum*, recitatis Jacobi Apostoli verbis, *Infirmatur quis in vobis* etc. Extremam Unctionem tamquam verum novae Legis Sacramentum in Ecclesia usitatissimum commendat. Testatur enim S. Doctor se in eo volumine ea colligere tantum quae in novo Testamento aut praecipiuntur aut vetantur aut permittuntur; unctionemque Jacobi inter ea quae praecipiuntur recenset: atque adeo sua aetate conferebatur infirmis tamquam Sacramentum. Saeculo 6. labente Ecclesiam regebat Gregorius M. qui in suo Sacramentario integrum Olei Sancti ab Episcopo conficiendi ritum describit quo debebant Presbyteri juxta Jacobi praescriptum aegrotantes inungere, tum orationes, antiphonas, et psalmos notat quae a Sacerdote ante unctionem, in ipso unctionis actu, et ea absoluta recitari debebant: qui ritus ille idem fere est a Jacobo commendatus, et usitatus etiam hac nostra aetate in Romana Ecclesia. In quo delineando ritu S. Pontifex orationes ponit quae clare demonstrant Unctionem Extremam verum esse novae Legis Sacramentum. Nam per illas orationes Presbyter Unctionem ministrans a Deo petit praeter corporis incolumitatem, remissionem quoque peccatorum, si quae sint, in infirmo. Pro saeculi 7. fide circa hoc Sacramentum provocamus ad Theodori cantuariensis Episcopi auctoritatem, qui in lib. poenitentiali tria infirmis constituit administranda Sacramenta, Poenitentiam scilicet, Extremam Unctionem, et Eucharistiam. *Ab infirmis*, inquit, *in periculo mortis positis*, *pura est inquirenda Confessio peccatorum . . . et secundum auctoritatem canonicam*, *ne illis janua pietatis clausa videatur orationibus et consolationibus ecclesiasticis sacra Unctione Olei uncti*, *secundum statuta sanctorum Patrum*, *Communione Viatici reficiantur*. Octavo saeculo capitularia edita fuerunt Caroli Magni in quibus cap. 76. lib. 6. haec occurrunt: *Si infirmitate quis depressus fuerit*, *vitam sine Communione non finiat*, *nec Unctione sacrati Olei careat . . . Omnes Presbyteri Oleum infirmorum ab Episcopo expetant*, *secumque*

habeant, et moneant fideles infirmos illud exquirere, ut eodem Oleo peruncti, Gratia Dei sanentur, quia oratio Fidei salvabit infirmum. Ad rem hanc faciunt luculentissima testimonia Paschasii Ratberti scriptoris saeculi 9. Auctoris vitae S. Oswaldi Eboracensis qui scripsit saeculo 10. Wisberti archidiaconi in vita Leonis IX. S. Bernardi in vita S. Malachiae Episcopi, aliorumque ecclesiasticorum scriptorum quae legi possunt apud doctos viros qui de re sacramentaria scripserunt. Quibus si addas definitiones innumerabilium Conciliorum, argumentum habebitur et quidem invictum praescriptionis, quod quilibet ex dictis eruere facile potest.

Haereticorum cavillationes solvuntur.

Obj. 1. Epistola Jacobi cujus auctoritati tota innititur Ecclesiae Romanae sententia nullam plane fidem meretur. Neque enim ea Epistola canonica est ac divinitus inspirata, et immerito in Scripturarum Canone recensetur. 2. Sed admissa etiam Epistolae illius auctoritate, quid inde confici potest? Numquid facultatem habebant Apostoli novum instituere Sacramentum? Hanc alligandi sensibilibus signis sanctificantem Gratiam auctoritatem non habet nisi Deus. Unde consequitur Unctionem a Jacobo commendatam aliud esse quam Sacramentum. 3. Hinc Cajetanus Theologus et Cardinalis inter Pontificios amplissimus Jacobi verba non de Sacramento, sed de Unctione a discipulis Domini exercenda cum aegrotis intelligendam esse contendit, nec proinde tamquam haereticus umquam audivit.

Resp. ad 1. In eo solvendo argumento non moror, sed lectorem ad harum Institutionum volumen 1. remitto, ubi de Epistola Jacobi sicut et aliorum sacrorum Codicum canonicitate pertractatum est. Illud unum nunc animadvertendum existimo, quod neque Dallaeo neque calvinistis aliis hoc favet argumentum, quum sectatores omnes Calvini post illorum magistrum Epistola Jacobi tamquam canonicam semper agnoverint. Imo et ipsi lutherani hac in causa ut et in multis aliis, eorum deserunt antesignanum.

Ad 2. Nonnisi Deus revera potest Sacramenta instituere, quum virtus requiratur infinita ad Gratiam sensibilibus signis alligandam. At falsissimum est ex laudata Epistola deprehendi Unctionem Extremam fuisse a Jacobo institutam. Imo ex quo Apostolus ritum illum universali Ecclesiae exercendum super infirmos praescripserit, directa consecutione deducitur eum a Christo accepisse institutore. Et quemadmodum oratio, jejunium, eleemosyna, aliaque bona opera quae in ea commendantur Epistola a Christo praescripta fuerunt, et inculcata a Jacobo, ita et Unctio Extrema Christum habuit *institutorem, promulgatorem vero Jacobum,* inquit tridentinum Concilium.

Ad 3. Nescio num sit absurdum quod ab aliquo traditum non sit scholasticorum. Verum non ab unius vel alterius privata Theologi opinione, sed a communi eorumdem Theologorum et Ecclesiae sensu Fidei dogmata sunt dimetienda. Non refert ergo quid unus Cajetanus de sententia illa Jacobi crediderit, quum Theologi reliqui, et quod magis est, veteres Pa-

tres et universalis Ecclesia acceperint semper et adhuc accipiant Jacobi sententiam de Unctionis Extremae Sacramento. Ceterum licuit Cajetano ante tridentinum Concilium verba Jacobi sic absque nota haeresis exponere, praesertim cum Extremam Unctionem tamquam verum agnosceret Sacramentum.

Obj. 2. Ex verbis ipsis Jacobi deducitur Unctionem illam de qua loquimur, ad sanandos a corporum infirmitate aegrotantes, non tamquam Sacramentum fuisse institutam. Nam ubi Jacobus juxta nostram Vulgatam inquit, *Oratio Fidei salvabit infirmum*, *et alleviabit eum Dominus*, in graeco textu pro, *salvabit*, legitur, σώσει, et pro, *alleviabit*, habetur, ἐγερεῖ, quae duo verba sanitatem significant corporalem; eo vel magis quod non ait Apostolus, *salvabit infirmum a peccatis*, vel, *a peccatis alleviabit eum Dominus*. 2. Verbum ἐγείρειν pro sanitate corpori restituta saepissime accipitur in novo Testamento. Matth. enim cap. 8. socrus Petri quae febribus tenebatur ad Christi contactum ἠγέρθη *surrexit*, et ministrabat. 3. Quum Sacramenta *magis ad spem futurorum bonorum*, *quam ad retentionem vel adeptionem praesentium* pertineant, ut Augustinus Enchyr. cap. 66. scribit, vel solam animae sanitatem, vel hanc saltem prius, deinde sanitatem corporis commendare debuisset Jacobus. Contrarium autem in verbis illis occurrit, prius corporis sanitas et alleviamentum, postea peccatorum remissio recensetur. 4. Accedit his quod in laudata sententia locutio adhibeatur hypothetica, *Si in peccatis sit*, *remittentur ei*, quod Sacramento convenire minime videtur. 5. Juxta pontificios Theologos Sacramenta novae Legis Gratiam producunt per se, et, ut inquiunt, ex opere operato. Ast repetit Jacobus Unctionis effectum ab opere operantis, ab oratione nimirum, ac Fide dantis et recipientis, *Et oratio Fidei salvabit infirmum.* 6. Vult in laudata sententia Apostolus ut plures ad infirmum accedant Presbyteri, qui ungant et orent. Catholici autem unicum ad ritum peragendum arcessunt Ministrum. 7. Non conferunt Romani hanc Unctionem nisi iis qui proxime sunt morituri, unde eam appellant Unctionem Extremam; quum nihil simile in sua Epistola praescribat Jacobus qui velle imo videtur ut supra quemlibet infirmum caeremonia illa indifferenter exerceatur. Ex quibus concludunt haeretici fuisse eam Unctionem gratiam gratis datam initio Ecclesiae collatam Apostolis primisque fidelibus ut evangelica Fides facilius propagaretur.

Resp. Tamquam verum ac legitimum Sacramentum institutam a Christo, et promulgatam a Jacobo fuisse Unctionem de qua disputamus, satis superque paullo ante a nobis demonstratum est. Nec obstat allata ab haereticis primo loco animadversio, non enim ille unicus, sanitas nempe corporis, a Jacobo recensetur Unctionis effectus. Solent communiter affirmare nostrates duplicem esse Extremae Unctionis effectum, sanitatem videlicet corporis, et remissionem peccatorum. Ego autem, si mihi quoque licet meum proferre judicium, adderem et tertium, animi nimirum alleviamentum. Neque enim verba Jacobi, *Et alleviabit eum Dominus*, ad solamen referri possunt oppressi a morbo corporis, quoniam jam dictum fuerat, *Et oratio Fidei salvabit infirmum.* Referri itaque debent ad animum ob peccatorum

memoriam prostratum, fiduciam in Dei misericordia reponendo; unde optime tridentina Synodus: *Aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando.* Quare verbum σώσει sanitatem corporis, verbum ἐγερεῖ solamen animi, reliqua vero, *et si in peccatis est, remittentur ei*, Gratiam significant sanctificantem quam Sacramenta dumtaxat producere voluit Christus Dominus.

Ad 2. Falsum est praeterea, ἐγείρειν, solam corporis in Scripturis denotare sanitatem. Nam quod Luc. cap. 1. legitur, *Et erexit* (ἤγειρε) *cornu salutis nobis*: et quod ait Apostolus ad Rom. cap. 13. *Hora est jam nos de somno surgere* (ἐγερθῆναι) et illud quod ad Ephes. scribit cap. 5. *Surge* (ἔγειραι) *qui dormis*, numquid infirmi corporis significant alleviationem? Et utut sit, non unicus hic, ut monuimus, Extremae Unctionis recensetur effectus.

Ad 3. Norunt jam omnes, peccatum non animae solum sed corpori quoque nocere, unde incongruum non est ut Sacramentum institueretur per quod et animae et corpori simul medela pararetur. Quamvis hisce in rebus voluntas attendenda sit Institutoris. Mirari autem non subit si sanatio corporis prius, deinde animae commemoretur sanctificatio. Factum id forte est, vel quia sanitas corporis notior effectus est remissione peccatorum, vel quia apertius correspondet verbis illis, *Infirmatur quis in vobis.*

Ad 4. Optime animadvertit Laurentius Berti, non semper particulam *si*, hypotheticam esse, sed rei certae appositionem crebro significare. Est enim hebraicae linguae idiotismus eam particulam apponere etiam ubi locutio hypothetica non est, cujus generis est illud Psalmi, *Si inimicus meus maledixisset mihi*, etc. nempe, *Quando inimicus meus maledixit mihi*, etc. Et illud Malach. cap. 1. *Si Pater ego sum, ubi est honor meus?* Et aliud Jacobi cap. 1. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo.* Quis non indiget?

Ad 5. Quod Jacobus dicat, *Et oratio Fidei salvabit eum*, non demonstrat Sacramentum hoc Gratiam producere ex opere operantis. Per orationem namque Fidei, non Fides dantis vel recipientis, sed forma intelligitur Sacramenti.

Ad 6. Ecclesia graeca quidem septem adhuc advocat Presbyteros ad Sacramentum hoc administrandum, ut ex Euchologio, ex Arcudio, ac Simeone Thessalonicensi patet; et apud Latinos antiquitus non septem determinate, sed plures Presbyteri simul Unctionem Extremam conferebant. Id autem non ex divino praecepto, quod nullibi extat, sed ex praecepto tantum ecclesiastico fiebat. Tempore vero procedente, Ecclesia latina justis de caussis hanc immutavit disciplinam, et ab unico nunc, non modo valide, sed etiam licite administratur Sacerdote. Nec refert quod Jacobus dicat, *Inducat Presbyteros Ecclesiae*. Scriptura enim pluralem numerum saepe pro singulari usurpat, ut S. P. Augustinus observat lib. 3. de Cons. Evang. cap. 16. eaque regula Matthaeum et Marcum cum Luca conciliat ubi de improperiis a latrone in Christum de Cruce pendentem jactis narrant historiam. Nam Matthaeus et Marcus ambos, Lucas vero unum ex illis Christo morienti improperasse scribit. Unde Augustinus: *Nisi intelli-*

gamus, inquit, ***Matthaeum et Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse***, etc. aliaque plura regulae hujus affert exempla.

Ad 7. De tempore quo Ecclesia sive graeca sive latina consuevit antiquitus hoc infirmis conferre Sacramentum consule praeclaros Theologos supra laudatos qui de Sacramentis fuse scripserunt. Nunc animadverto dumtaxat, falsum esse Catholicos Extremam conferre Unctionem infirmis jam jam morituris. Imo Catechismus Rom. monet, gravissime peccare Presbyteros qui Extremam Unctionem infirmis, vitae spe jam amissa, et oppressis penitus sensibus, administrant. Extrema autem a nobis appellatur, quoniam inter Unctiones quibus Ecclesia utitur, postremo loco adhibetur. Videant ergo quam longe a veritate aberrent protestantes dum tam fidenter affirmant loqui Jacobum de gratia gratis data curationum ad faciliorem Ecclesiae propagationem; praeter enim disputata, animadvertant velim, gratiam curationum etiam laicis fuisse ab initio collatam; quum praescribat Apostolus Unctionem hanc esse a Presbyteris conferendam, et praeter corporis sanitatem, remissionem producere peccatorum.

Obj. 3. Scriptores quatuor priorum saeculorum numquam de Extrema Unctione verba fecerunt, neque veteres illi Patres, sicut uterque Gregorius, Nazianzenus atque Nyssenus, Athanasius, Basilius, aliique, praecedentium Patrum vitas ad fidelium aedificationem describentes. Quid hoc est nisi quia antiqui illi scriptores Extremam Unctionem tamquam novae Legis Sacramentum non agnoscebant? 2. Multi ex illis Patribus occasionem habuerunt aliquid de ea Unctione scribere, nec tamen fecerunt. Puta, Augustino heracleonitarum errorem explicanti ac refellenti opportunus locus erat ut aliquid de Ecclesiae usu in conferenda vera Unctione diceret, si consuetudo reapse extitisset. 3. Si quinti saeculi initio Extrema Unctio habita ut Sacramentum fuisset, cur Decentius Episcopus eugubinus Innocentium I. Rom. Pont. de hac re consuluit? 4. Viguerit denique primis illis temporibus consuetudo inungendi aegrotantes Oleo ab Episcopis vel Sacerdotibus benedicto, demonstrari tamen numquam poterit Unctionem illam adhibitam fuisse a Fidelibus ut verum Sacramentum.

Resp. ad 1. Falsum in primis est quatuor priorum saeculorum scriptores de hoc Sacramento penitus siluisse, quum illius meminerint apertissime Origenes saeculo tertio, et saeculo quarto Chrysostomus, et initio saeculi quinti, tamquam antiquissimi ritus, Innocentius I. quorum verba in superioribus dedimus. Deinde quae nova regula haec est Dallaei et protestantium ut pluris aliquorum silentium faciendum sit quam plerorumque affirmatio? Jam per singula priora saecula excurrendo, immensam dedimus pro sententia catholica testium nubem. Praeterea non spernendae aliquae afferri possunt caussae cur veteres aliqui de Extrema Unctione tacuerint: quarum prima esse potuit, quod hujus Sacramenti notitia quum vulgatissima esset, superfluum forte existimarunt verba de illo facere; altera quia vigebat in prioribus illis aetatibus *disciplina Arcani*, per quam reconditiora Fidei mysteria palam ac publice propalare vetabatur ne ab inimicis

Fidei irriderentur. Quae disciplina non semper quidem, sed juxta varias temporum et hominum circumstantias religiose servabatur. Tertia fuerit, quia quum primis Ecclesiae saeculis disciplina ferret ut prius Extrema Unctio, deinde sacrum Viaticum proxime morituris conferetur, scriptores qui praecedentium Patrum vitas descripserunt, narrantes sanctos illos viros non prius e vita migrasse quam Eucharistiae Sacramento fuissent refecti, reliquerunt lectorum judicio supponere, recepisse etiam Extremam Unctionem. Quarta demum caussa exaggerati a Dallaeo veterum silentii esse potuit, quoniam Sacramentum hoc non conferebatur tunc omnibus indiscriminatim aegrotis. Nimirum non conferebatur clinicis qui plures erant, non iis qui publicam agebant poenitentiam, non Martyribus, neque illis qui innocentem duxerant vitam, quorum numerus certe tunc exiguus non erat.

Ad 2. Dallaeus atque Chamierius se ignorare simulant finem quem S. P. Augustinus in libro de haeresibus sibi proposuit. Non solet eo in opere S. Doctor falsa haereticorum portenta dogmaticis argumentis refutare, sed illa dumtaxat exponere refutata prius aut refutanda posterius in aliis operibus, quid mirum ergo si haeresim heracleonitarum recensens, Extremae non meminit Unctionis? Adde quod de illa loquutus jam fuerat in Speculo, ut supra monuimus.

Ad 3. Si ignoravit Decentius Extremam Unctionem esse Sacramentum, id arguit ad summum supinam in Episcopo muneris sui ignorantiam, non ignorati dogmatis falsitatem. Innocentius enim non haesitanter, sed definite pronunciat: *Non est dubium de Fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere* etc. Sed id non ignorabat Decentius; verum ut a mente quorumdam cui dubium de ea re insederat, omnem tolleret ambiguitatem, ad superiorem auctoritatem, ut nunc etiam fieri solet, voluit habere recursum.

Ad postremum. Alia erat antiquitus Unctio quae a Sacerdotibus non modo, sed a piis quoque laicis, et alia quae a solis Presbyteris super aegrotos adhibebatur. Hanc, non illam habuit semper Ecclesia ut Sacramentum a Christo institutum, et a Jacobo Apostolo promulgatum, ad reliquias tergendas peccatorum. Unde nonnisi per summum nefas ab albo Sacramentorum illam protestantes expunxerunt.

CAPUT II.

De materia et forma Sacramenti Extremae Unctionis.

Multa de materia et forma Sacramenti Extremae Unctionis inquirere hoc in loco Theologi solent, quorum pleraque ad Theologiae Moralis pertinent tractatores, ad quos brevitati consulentes, lectorem remittimus, a quibus addiscere etiam poterit quaenam hujus Sacramenti sit materia proxima, pertractaturi nos de praecipuis quae ad materiam spectant remotam. ac de iis praesertim quae Catholicos inter et haereticos controvertuntur. Nam licet Lutherus Unctionem Extremam esse proprie dictum Sacramentum aperte negaverit, non inficiatus est tamen adnumerari posse inter Sacramenta lato

quodam modo accepta, illamque veluti signum quoddam sanans olim divina virtute corporis aegritudines. Ita in lib. de capt. babyl. Ceterum absque ulla verborum restrictione negavit hujus, quicumque is sit, sacri ritus materiam esse Oleum, dicens: *Hoc ipsum caute, ac de industria Jacobus praevidit, dum promissionem sanctitatis, et remissionem peccatorum non tribuit Unctioni, sed orationi*, subintellige recipientis, non ministrantis. Calvinus quoque missa quaestione an ad sacram hanc coeremoniam Oleum tamquam materia requiratur, pro more suo, nempe insolentissime et amarulentis verbis, ejusdem Olei deridet benedictionem ab Episcopo fieri solitam, inscite confundens benedictionem Chrysmatis cum illa Olei infirmorum. Quam perniciosam doctrinam hauserat a valdensibus, qui teste Phoedorfio adv. illos haereticos, *reprobant etiam consecrationes Episcoporum, Sacerdotum, Ecclesiarum, Altarium, coemeteriorum, aquae Baptismatis, Chrysmatis, et Olei Unctiones*. Ita haeretici merito ab Ecclesia hoc quoque titulo proscripti.

Catholici autem post tridentini Concilii de hac re sanctionem, unanimi consensu affirmant, Oleum et quidem consecratum materiam esse Sacramenti Extremae Unctionis. Dissentiunt tamen ad invicem ubi quaestio instituitur an illa consecratio Olei necessaria sit necessitate praecepti ecclesiastici, an vero necessitate Sacramenti. Et alii unam, alii aliam sententiam amplectuntur. Cumque illa Olei consecratio seu benedictio fieri soleat in Ecclesia latina a solis Episcopis, Theologi catholici salva fide et caritate disputant etiam an Ecclesia ejusdem Olei benedictionem ex dispensatione committere possit simplicibus Presbyteris. Haec de materia.

Quoad formam vero ejusdem Sacramenti Lutherus in citato lib. de capt. babyl. et Calvinus lib. 4. instit. cap. 19. aperte negant Unctionem illam, determinata verborum formula, fuisse umquam ab Apostolis eorumque discipulis usurpatam. Et Kemnitius inquit: *De adhibita illa forma verborum, quam Pontificii praescribunt, nulla vel littera vel syllaba in evangelica historia legitur*. Theologi e contra catholici Scripturae ac veterum Patrum freti auctoritate Extremam Unctionem, utpote verum Ecclesiae Sacramentum, sicuti suam materiam, ita et suam formam habere, fidentissime docent. Non conveniunt tamen inter se ubi inquiritur an indicativis vel deprecativis verbis ea forma concepta esse debeat. Nunc ad rem descendamus.

CONCLUSIO I.

Materia Sacramenti Extremae Unctionis est Oleum, et quidem ex oliva expressum.

Prob. prima prop. pars ex Scriptura. Nam Jacobus de hoc Sacramento verba faciens inquit: *Infirmatur quis in vobis* etc. *Ungentes eum Oleo*. 2. Idipsum tradunt Patres capite superiori laudati, Innocentius I. Gregorius M. Ven. Beda, aliique. 3. Nec congruitas deest ab Olei effectibus petita. Quae congruitas sic a Catechismo Romano describitur: *Aptissime autem haec materia significat illud quod vi Sacramenti interius in anima efficitur.*

Nam ut Oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animae tristitiam, ac dolorem minuit. Oleum praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tamquam pabulum praebet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est.

Prob. altera thesis pars. Praescribit Jacobus in laudata saepe sententia, ut infirmus a Presbytero ungatur Oleo: *Ungentes eum Oleo.* Porro quoties oleum simpliciter ac sine ullo additamento nominatur, semper liquor ille intelligitur qui exprimi ex olivae baccis solet. Ubi enim alterius speciei oleum recensetur, semper cum aliquo commemoratur additamento, puta *amigdalarum*, *nucum*, etc. 2. Accedit perpetua Ecclesiae praxis quae numquam aliud oleum in hujus confectione Sacramenti usurpavit praeter oleum ex olivis eductum; unde in Olei infirmorum benedictione quae fit fer. 5. in Coena Dom. Ecclesia appellat Oleum illud, *pinguedinem olivae ex viridi ligno productum.* 3. Hinc Eugenius IV. in Instr. pro Armenis inquit: *Quintum Sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est Oleum olivae per Episcopum benedictum.* Non omittendum tamen duco, quod si communi oleo liquor alius, puta balsamum admisceretur, quamquam id contra perpetuam Ecclesiae praxim esset, si nihilominus in tam parva quantitate esset ut externa olei species non destrueretur, Sacramenti non derogaretur validitati, ut animadvertit Benedictus XIV. de Syn. dioec. lib. 7. cap. 16.

CONCLUSIO II.

Juxta ritum Ecclesiae latinae Oleum infirmorum debet esse benedictum ab Episcopo: juxta ritum vero Ecclesiae graecae et orientalis etiam a simplici Presbytero.

Prob. prima prop. pars. 1. argumento probabili e Scriptura deprompto, Jacobus enim inquit: *Ungentes eum Oleo in nomine Domini*, nam licet τὸ *in nomine Domini*, significare possit ungendum esse infirmum virtute et auctoritate Christi, non incongrue tamen verba eadem quis referre potest ad Oleum, ac si sensus sit, faciendam esse Unctionem Oleo jam cum invocatione nominis Domini consecrato; sicque Oleum hujus Sacramenti materia debet esse benedictum. 2. Ex antiquissima ac numquam interrupta Ecclesiae consuetudine. Nam plerique ex laudatis superiori capite Patres, ut Innocentius I. Gregorius M. Ven. Beda, quibus addi potest Cyrillus in Mystagogia 2. Oleum infirmorum *sanctum*, *benedictum*, *consecratum*, *exorcizatum* appellant. Quod ipsum testatum faciunt innumera venerandae antiquitatis Pontificalia, Ritualia, Euchologia, quae a cl. Berti recensentur; unde consequitur non aliud umquam adhibitum fuisse cum aegrotis Oleum quam benedictum et consecratum.

Prob. nunc altera pars, hanc videlicet benedictionem faciendam esse in Ecclesia nostra latina ab Episcopo. Nulla nunc inter nos est Ecclesia

quae aliud in ungendis infirmis usurpet Oleum praeter illud benedictum et consecratum ab Episcopo. Undenam, quaeso, hanc hauserunt Occidentales praxim nisi a veteribus Patribus? Innocentius I. in laudata epist. ad Decent. *Quo Oleo*, inquit, *ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo.* Gregorius M. in Sacram. *Tunc offertur Pontifici Oleum, et benedicit illud* etc. Concilium cabillonense can. 48. *Infirmi Oleo quod ab Episcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent.* Omitto alia antiquissima monumenta quae apud Juenin Comm. Hist. de Sacram. legi possunt; unde Concilium florentinum et post illud etiam Tridentinum ajunt materiam Extremae Unctionis esse Oleum ab Episcopo benedictum.

Prob. denique tertia thesis nostrae pars. Ecclesia orientalis ab undecim et amplius saeculis constantem retinet consuetudinem ut simplices Presbyteri Oleum consecrent quod materiae inservire debet Unctionis Extremae, ut ex Grecorum Euchologio a cl. Goario edito luculenter apparet, ubi Olei a Presbyteris benedicendi ritus recensetur sub hoc titulo, *In officio Sancti Olei.* Legatur ea de re epist. Joannis Nathanaelis ad Episcopum Anagninum, Allatius, Julius Antonius Cardinalis, aliique, sed juvat Arcudium audire gentis suae describentem consuetudinem lib. 5. de Concor. cap 2. ubi talia scribit: *Porro antequam ungatur infirmus, et recitentur Epistolae et Evangelia, sacrae preces, benedicitur Oleum cum invocatione Spiritus Sancti. Orant praeterea ut aeger illa Unctione suscipiat Gratiam Spiritus Sancti. Quod ideo dictum velim, ne quis putaret quandoquidem hoc Oleum a Presbytero benedicitur, referendum esse ad aliud genus unctionis extra Sacramentum, quod pendet ex merito, non ex officio, et quod non semper et infallibiliter, atque, ut ajunt scholastici, ex opere operato confert Gratiam.* Neque alicui in mentem veniat suspicio, errare Graecos in eo admittendo ritu. Nam tamquam legitimus agnitus confirmatusque fuit primo a Clemente VIII. in Instr. ad Episcopos latinos directa: *Non sunt cogendi presbyteri graeci Olea Sancta, praeter Chrisma, ab Episcopis latinis dioecesanis accipere; quum hujusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur et benedicantur*, deinde a Benedicto XIV. an. 1742. in Constit. *Etsi pastoralis.* Ex quo consequitur, quod licet de ordinario jure nequeant Ecclesiae latinæ Presbyteri infirmorum Oleum conficere et consecrare, possunt tamen id facere ex dispensatione Ecclesiae, et Apostolica, a Graecis enim valide fit et licite.

CONCLUSIO III.

Sacramentum Extremae Unctionis suam habere debet formam sicut cetera Sacramenta.

Prob. 1. ex Jacobi sententia, *Inducat Presbyteros, et orent super eum*, scilicet infirmum, *ungentes eum Oleo in nomine Domini, et oratio*

Fidei salvabit eum. Ubi per orationem Fidei nil aliud quam forma Sacramenti intelligi potest, sicuti per Unctionem materia. Imo et τὸ *in nomine Domini* non incongrue ab aliquibus accipitur pro hujus Sacramenti designata forma. 2. Auctoritate Patrum quorum excerpta in superioribus dedimus, per quae luce meridiana manifestum fit non Unctionem solam, sed et orationem Presbyterorum Unctioni conjunctam cum aegrotantibus semper adhibuisse. 3. Universalis Ecclesiae consuetudine quae sacram Unctionem aegrotantibus confert certa verborum pronunciata formula; quod quidem orientalis Ecclesia a suis Euchologiis, occidentalis vero a veteribus recentioribusque pontificalibus et ritualibus didicit libris. Nec aliter esse potuit, quum Catholica Ecclesia habuerit semper habeatque Etiam nunc extremam Unctionem tamquam verum Ecclesiae Sacramentum quod materia et forma constare debet.

CONCLUSIO IV.

Quamvis Ecclesia in Extrema Unctione formam adhibeat deprecatoriam, non invalidum tamen foret Sacramentum si forma conferretur absoluta.

Prob. Forma hujus Sacramenti a Graecis adhiberi solita, ita se habet: *Pater sancte, animarum et corporum medice, qui* etc. *sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, et vivifica illum*. A Latinis vero usurpatur hoc modo: *Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, olfactum, gustum, et tactum*. Quae duae formulae verbis quidem, non autem sensu atque substantia discrepantes, ut per se patet, deprecatoriae sunt. Ast viri docti veterum ecclesiasticarum rerum scrutatores, Launojus, Menardus, Martene, Morinus, aliique in vetustissimis MSS. codicibus observarunt, Ecclesias complures occidentales per multa saecula formam in hoc administrando Sacramento usurpasse indicativis, non optativis verbis expressam. Quinimmo animadvertit Menardus, hoc modo formam illam haberi in celebri Gregorii M. Sacramentario. Numquid complures illae Ecclesiae Sacramento caruerunt Extremae Unctionis? Nemo, ut puto, hoc affirmare audebit. Quare fatendum erit Sacramentum hoc semper validum esse sive absoluta sive deprecatoria forma administretur. De valida autem, non de licita loquor Sacramenti confectione, quoniam post duo generalia Concilia florentinum ac tridentinum in quibus hujus Sacramenti forma enuntiatur deprecativa, intolerabilis nunc reus esset temeritatis qui formam vellet absolutam usurpare. Quam si Theologi nonnulli omnino respuerunt, digni sunt excusatione, quoniam incomperta illis erat plurium Ecclesiarum vetus consuetudo a laudatis superius eruditis e tenebris eruta recentioribus temporibus.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Extremae Unctionis.

Quamvis Lutherus atque Calvinus statim ac in Ecclesiam eorum matrem rebellarunt, Catholicis quos immani prosequebantur odio, in singulis dogmatibus, ubi possent, contradicere sibi proposuerint, valdensium, hussitarum, aliorumque praecedentium haereticorum errores ex orco revocantes, nihilominus illorum deserere signa non dubitabant si id ad orthodoxam vehementius evertendam Fidem, ut ipsi putabant, conduxisset. Hinc ubi valdenses illorum antesignani consuetudinem plures advocandi Presbyteros Extremae Unctionis Ministros in Catholicis reprobabant, Lutherus e contra atque Calvinus a contradicendi libidine agitati damnarunt in Catholicis morem unicum advocandi ad sacram conferendam Unctionem Sacerdotem. Insistentes deinde statuto semel principio, quod Extrema Unctio minime sit Sacramentum, in Epistola Jacobi nomine Presbyterorum non Sacerdotes, sed seniores aetate debere intelligi, fidentissime affirmarunt.

Catholici e contra irritis hisce conatibus totis sese viribus opponentes firma Fide tenent, primo, in celebri Jacobi sententia nomine Presbyterorum non provectiores aetate aut primores in populo, sed vel Episcopos vel Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos esse intelligendos; subinde vero Sacramenti non derogari validati sive ab uno sive a pluribus administretur Sacerdotibus. Sit igitur.

CONCLUSIO I.

Ministri Extremae Unctionis non sunt viri laici, sed Sacerdotes et Episcopi.

Prob. 1. Jacobus in canonica Epistola inquit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum ungentes eum Oleo in nomine Domini.* Quibus in verbis τὸ *Presbyteros* non provectiores aetate, sed Sacerdotes per manum Presbyterii ordinatos venire, patet tum ex quo in novo Testamento vox eadem fere numquam pro grandioribus aetate, bene vero frequentissime pro Episcopis ac Sacerdotibus accipiatur, ut in Epist. 1. Petri cap. 5. *Seniores*, graece πρεσβυτέρους *qui in vobis sunt, obsecro consenior, et testis Christi passionum*: et in 2. Joannis quae ita incipit, *Senior*, graece πρεσβύτερος, *Electae Dominae*: et in Actibus Apost. cap. 15. et in 2. ad Timotheum: tum etiam quoniam loquitur sacer Auctor non de Presbyteris quibuscumque, sed de Presbyteris Ecclesiae qui alii esse non possunt nisi qui ministerium vi Ordinis in Ecclesia gerunt, quod ad laicos viros minime pertinet: tum denique quia vult Jacobus ut inducti Presbyteri orent super infirmum, ungant eum Oleo in nomine Domini. Quare? ut ei remittantur peccata. Possunt ne viris laicis quod reliquos aetate praecedant, ejusmodi munera convenire?

Prob. 2. perpetua Ecclesiae Traditione cujus locupletissimorum testium, sanctorum videlicet Patrum sententias necesse non est in re tam manifesta recitare. Illud animadverto dumtaxat, nullum umquam ex Patribus somniasse Sacramenti hujus ministerium viris laicis consignare. Legantur Chrysostomi, Innocentii I. Gregorii M. aliorumque sententiae capite libri hujus primo laudatae ne eadem sæpe repetamus. Testimonium ecclesiasticae Traditioni perhibent quoque Euchologia Graecorum, Ritualia volumina Latinorum sive antiqua sive recentia in quibus ubi modus ritusque describitur conferendi hoc Sacramentum, non seniores aetate, sed Episcopi aut Sacerdotes administrantes semper inducuntur.

Prob. 3. theologica ratione. Nam Extremam Unctionem verum esse Sacramentum, capite hujus libri primo invicte demonstratum est. Sacramenta porro non a viris laicis, sed a Sacerdotibus esse conficienda, uno excepto Baptismate quod in casu necessitatis a quovis ex Christi dispensatione conferri potest, nemo unus inficiatur, dicente Apostolo, *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei.* Quo ergo jure laici poterunt hujus Sacramenti administrationem sibi vindicare? Forte quia sunt provectiores aetate? Ast si res ita se haberet, male se gessisset Apostolus quando Timotheo discipulo suo adhuc adolescenti, ut ipse testatur, Ecclesiae concredidit Ministerium; atque adeo munere privandi forent administrandi hoc Sacramentum Episcopi ac Sacerdotes donec ad venerandam canitiem non pervenerint. Denique quum hoc Sacramentum a Patribus et a tridentina Synodo Poenitentiae complementum appelletur, ad eos illius administratio spectabit ad quos ligandi atque solvendi pertinet potestas quae sane laicorum non est, etiamsi patriarcharum attigerint aetatem.

CONCLUSIO II.

Validum est Extremae Unctionis Sacramentum sive a pluribus sive ab uno administretur Sacerdote.

Nemo qui in veteris disciplinae ecclesiasticae studio paullulum versatus sit ignorare poterit, antiquis temporibus non solum apud Graecos, sed apud Latinos etiam consuetudinem plures ad Unctionem Extremam conferendam advocandi Presbyteros viguisse. Et in orientali quidem Ecclesia etiam nunc a septem Presbyteris confici constat ex Arcudio, Allatio, Euchologio a Goario edito, Constitutione Benedicti XIV. *Etsi pastoralis*, aliisque monumentis. Penes Latinos vero etsi determinatus numerus non servaretur, plures nihilominus et ipsi ad sacrum hunc peragendum ritum arcessere solebant Sacerdotes, ut patet ex Gregorii M. Sacramentario ubi haec inter cetera occurrunt: *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in quinque sensibus*, etc. qui usus in latina Ecclesia diu perseveravit, ut videre est apud S. Thomam veteresque alios Theologos quorum unam quae ad rem clare explicandam facere mihi videtur sententiam ex Ledesma re-

citabo, qui 2. p. q. 33. art. 1. inquit: *Dico, quod necessitate Sacramenti solus unus Sacerdos sufficit, sed ex decentia debent esse plures Sacerdotes: et ita habet consuetudo Ecclesiae universalis, quod plures Sacerdotes conveniunt ad administrandum hoc Sacramentum.* Et paucis interjectis: *Si solus unus Sacerdos administret hoc Sacramentum tempore quo possunt multi concurrere, verum quidem Sacramentum conficit, peccat tamen contra ritum Ecclesiae agens. Si autem in articulo necessitatis non reperitur nisi solus unus Sacerdos, posset licite hoc Sacramentum conferre.* Prolixum Theologi hujus testimonium viam nobis aperit ad catholicam demonstrandam contra protestantes sententiam; unde

Prob. 1. thesis, ex quo licet per universalem Ecclesiam consuetudo invaluerit per plures Presbyteros Sacramentum hoc administrare, numquam tamen Fideles existimarunt irritum ac nullum esse Sacramentum si ab uno dumtaxat conferatur Sacerdote, ut Ledesma mox laudatus diserte testatur. Et quamvis id affirmaverit Simeon Thessalonicensis qui in casu necessitatis tres saltem exigit Extremae Unctionis Ministros, nullum tamen inter Catholicos sectatorem invenit, descendentibus in sententiam nostram etiam Graecis penes quos hisce adhuc temporibus consuetudo viget septem advocandi ad infirmum Sacerdotes. Ergo etc. Nec aliter qui communi sensu non careat de hac re sentire potest. Quot enim pagi sunt parvaque oppida in quibus vix unus ad regendas animas Presbyter invenitur? Si invalidum sit Sacramentum ab uno dumtaxat administratum, pro Fidelibus illis instituta non erit Extrema Unctio; quod quam absurdum sit nemo non videt. Accedit his quod non a paucis saeculis usus antiquo contrarius in latina Ecclesia invaluit, et nunc per unum tantum Presbyterum Extrema Unctio administratur. Defecit ergo Sacramentum hoc in Ecclesia latina. Quis nisi inverecundus hoc affirmabit?

Nonnullae difficultates expediuntur.

Obj. 1. cont. 1. prop. Innocentius I. consultus a Decentio an jus Extremam conferendi Unctionem ad Presbyteros et Episcopos ex aequo pertineat, dicente Jacobo, *Inducat Presbyteros Ecclesiae*, definite respondet: *Quo* (oleo) *ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo.* Qua responsione S. ille Pontifex indicare plane voluit Sacramenti hujus Ministros esse Episcopos, Presbyteros, ipsosque laicos; de Ministro enim interrogaverat Decentius Episcopus Eugubinus. 2. Etiam Ven. Beda comm. in cap. 5. ep. Jacobi exponens illa verba, *Inducat Presbyteros Ecclesiae*, aegrotos hortatur, *Ut Seniorum adjutorio curare se meminerint, neque ad juniores minusque doctos caussam suae imbecillitatis deferant.* Unde si probi viri aetate provecti inter laicos inveniantur, poterunt hi Extremam Unctionem infirmis conferre. 3. De sanctis illis Monachis qui solitariam in Aegypto ducebant vitam legitur Oleum Benedictum ad infirmos saepe mittere consuevisse ut aegrotantes eo inuncti corporis incolumitati restitueren-

tur; ut fecisse commemoratur etiam S. Genovefa. Non est ergo tam absona a veritate protestantium opinio ut Catholici affirmant.

Resp. ad 1. Missa Dominici Soto responsione non tamquam falsa, sed ut minus probabili, fieri nempe ibi sermonem de Unctione non sacramentali, sed pio animi affectu suscepta ad sanitatem recuperandam, dico verbum illud, *inungendo*, sumere Innocentium non in activa, sed in passiva significatione; ita ut sensus sit, non Sacerdotes modo, sed et Fideles quoscumque laicos si aegrotantes decumbant, esse inungendos. Quae expositio pluribus confirmari potest. Et primo quidem, quoniam participium, *ungendo*, in ea sententia absolute positum est. Quando autem participium absolute ponitur, passivam, ut plurimum, non activam admittit significationem quod exemplis; si opus esset confirmari posset, et hoc in loco praesertim ubi occurrit verbum, *uti*: *Omnibus uti Christianis licet*. Deinde si viris laicis hujus Sacramenti Ministerium per Innocentium competit, ad demonstrandum etiam Episcopum inungere posse infirmum, argumentum non a Presbyteris, ut in ea Epistola fit, sed a laicis potius deprompsisset, atque dixisset, si hoc facere possunt laici, quanto magis Episcopus? Praeterea si ibi de activa et non de passiva inunctione Summus Pontifex loqueretur, dicens, *in sua aut suorum necessitate inungendo*, docuisset posse unumquemque et virum et mulierem sibi ipsi Sacramentum hoc administrare, quod absurdissimum est. Voluit ergo per ea verba Innocentius significare, divinum hoc Sacramentum pro omnibus institutum esse Christianis, non pro Sacerdotibus aut Episcopis tantum. Neque enim verba in argumento laudata responsio sunt ad eam quaestionem: An soli Presbyteri vel etiam Episcopi Ministri sint hujus Sacramenti? ut adversarii contendunt, sed continent solutionem primae quaestionis: An scilicet verba Jacobi de Extrema intelligenda sint Unctione? quam resolvens inquit: *Non est dubium de Fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, quo Sancto Oleo ... ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet* etc.

Ad 2. Ven. Beda morem sequens sacrorum Interpretum, Jacobi verba exponit sensu tum morali tum litterali. Quando verba illa in sensu explicat morali, infirmitatis nomine aegritudinem animae, non corporis intelligit, atque hujusmodi laborantes infirmitate hortatur ut non juvenum qui doctrina experientiaque carent, sed Seniorum adhibeant consilium in animi aegritudine curanda. Atque hic est sensus allatae in argumento sententiae. Exponens subinde testimonium Jacobi in sensu litterali, audi quid scribat: *Et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, et oratio Fidei salvabit infirmum. Hoc et Apostolos fecisse legimus in Evangelio, et nunc Ecclesiae consuetudo tenet ut infirmi Oleo consecrato ungantur a Presbyteris, et oratione comitante sanentur.*

Ad 3. Non sacramentalis Unctio de qua loquimur nos, sed mera coeremonialis unctio erat illa quam aegyptii Monachi, et S. Genovefa, aliique pii viri ac mulieres mittebant et adhuc mittunt ad infirmos ut ab aegritudine qua premuntur liberentur. Observavit id S. Thomas in suppl. q. 31. art. 1. ad 2. scribens: *Illae unctiones non erant sacramentales*,

sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, et ex meritis ungentium vel oleum mittentium consequebatur effectus sanitatis corporalis, per Gratiam sanitatum, non autem per Gratiam sacramentalem.

Obj. 2. adv. alteram thesim. Jacobus de Extrema loquens Unctione inquit: *Inducat Presbyteros: orent super eum: ungentes*, utitur scilicet semper numero plurali. Quare qui tenent unicum sufficere ad Extremae Unctionis administrationem Presbyterum, apertissime faciunt contra mentem Apostoli.

Resp. Solet Scriptura quam saepissime usurpare figuram permutationis quae a Graecis dicitur *enallages*, per quam singularis numerus permutatur in numerum pluralem. Versat hanc regulam fuse S. P. Augustinus in libris de Cons. Evang. ut capite hujus libri primo monuimus, illamque post S. Doctorem pluribus exemplis illustrat Salomon Glassius lutheranus de Verbo can. 51. Nos autem unum vel alterum mutuabimus ex Augustino qui observat hanc adhibuisse figuram Matthaeum cap. 27. ubi scribit latrones cum Christo Domino crucifixos conviciatos illi fuisse, quum tamen unus fuerit juxta Lucam cap. 23. qui ei improperabat. Item narrat Lucas milites Christo in Cruce pendenti illusisse, acetumque exhibuisse ad bibendum, et Matthaeus affirmat factum id ab uno dumtaxat milite. Haec quae contraria sibi videntur Augustinus conciliat ad figuram recurrens *enallages* in sacris Codicibus quomodo et in communi loquendi consuetudine, usitatissimam. Jacobus itaque Presbyteros ponit pro Presbytero Ecclesiae; sicque omnis evanescit difficultas. Deinde quo fine debuit Jacobus plurium Presbyterorum statuere numerum ad inungendos infirmos? Forte ut omnes et singuli ungant? Ast negant protestantes faciendam esse Unctionem a pluribus. Ut orent super infirmum? Id optimum est, eaque de caussa plures de Clero antiquitus Presbyterum comitabantur. Ast id non ita est necessarium, ut si desit, irritum sit Sacramentum, praesertim cum unius Sacerdotis qui Ecclesiae gerit personam oratio sufficiat ad impetrandam animae et corporis infirmo sanitatem. Pruritus itaque contradicendi, non veritatis amor heteredoxorum animos movet ad haec et similia effutienda.

CAPUT IV.

De subjecto et effectibus Extremae Unctionis.

Protestantes post eorum magistros Lutherum atque Calvinum etiam in iis quae ad subjectum et effectus spectant Extremae Unctionis Catholicis contradicere desiderantes, quum veras non haberent quas ipsis exprobrarent accusationes, ad putida mendacia atque calumnias juxta inolitam haereticorum consuetudinem se converterunt. Et quoad hujus Sacramenti subjectum, redarguere ipsis placet Romanos quod dicant, *non esse dandam Unctionem nisi discessuris, hoc est ut non salventur et non allevientur. Si hoc non est insanire, rogo quid est insanire?* Agnoscis ex urbana phrasi voces Lutheri in lib. de Capt. babyl. Calvinus autem in lib. 4. in-

stit. cap. 19. *Isti non infirmos*, inquit, *sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, cum jam jam anima in primoribus labris laborat.* Praeiverat illis Simeon thessalonicensis qui in libro suo de septem Sacramentis eamdem calumniam Latinis impegerat. Unde concludunt, omnibus singulisque fidelibus infirmis ac sanis hanc exhibendam esse Unctionem ad pietatem Fidemque excitandam.

Quoad illius autem effectus, non inficiantur duo illa capita novatorum dari per Unctionem *remissionem et pacem*, sed dari contendunt *Presbyterorum orationi, ac Fidei decumbentium, non quod Sacramentum sit divinitus institutum*, scribit in mox citato libro Lutherus. Negant deinde quidquam aegrotantium corporis prodesse incolumitati, *quia evanuit gratia illa curationum, et reliqua miracula quae ad tempus Christus edi voluit*, inquit Calvinus, a cujus tamen doctrina in hoc recedit Dallaeus affirmans primis Ecclesiae temporibus dari consuevisse Unctionem etiam infantibus in quibus quum peccatum non adesset, non alium producere poterat effectum nisi corporis sanitatem; unde concludit, ad hoc tantum Unctionem fuisse institutam, non ad remittenda peccata. Ita haeretici.

Videamus nunc quaenam Catholicorum sententia sit. Et primo circa subjectum, in quo distinguenda est Latinorum praxis ab illa Graecorum. Est enim in Ecclesia latina fuitque semper antiqua consuetudo ut Sacramentum hoc non conferatur nisi solis infirmis, ut ex priscis recentioribusque Ritualibus nostris apparet, et ex Innocentio I. Eugenio IV. ac tridentino Concilio adversus haereticorum procacitatem celebrato. Neque infirmis illis jam jam morituris aut semimortuis, ut Lutherus et Calvinus calumniantur, sed illis etiam quibus exitus ex hac vita proxime adhuc non imminet, ut legenti constat proxime laudatam tridentinam Synodum. Sic Latini sentiunt. Apud Graecos autem diversa praxis invaluit, et Sacramenti hujus subjectum idoneum existimant, imprimis utriusque sexus infirmos quomodo et Latini, tum vero sanos quoque ac robustos homines, poenitentes tamen recteque dispositos, iisdem adhibitis materia, forma, ministro, ritibus, inungunt; unde dici nequit cum Bellarmino, Drouenio, aliisque, Unctionem illam a Graecis adhiberi solitam cum sanis, meram esse coeremoniam, praesertim cum hoc tradant Sacramentum tamquam alterius Sacramenti, scilicet Poenitentiae, complementum. Legantur Goarius, Gabriel thessalonicensis, Arcudius, Job Monachus, Leo Allatius, et Patriarcha Jeremias in censura Confessionis augustanae: et ex nostris unus sufficiat Innocentius IV. Rom. Pont. in epist. ad Episcopum tusculanum, in qua consuetudinem illam apud Graecos supponit. Et quamvis ea praxis a nostra non parum recedat, nullibi tamen proscripta aut aliqua censura notata invenitur; non in proxime laudata epist. Innocentii ad Episc. tuscul. non in Instructione pro Armenis ab Eugenio IV. exarata, non denique in tridentino Concilio, aut alibi. Atque haec est de Extremae Unctionis subjecto Catholicorum sententia.

Mentem autem eorumdem Catholicorum circa Sacramenti hujus effectus ex antiqua constantique Ecclesiae Traditione expressit tridentina Synodus sess. 14. cap. 2. his verbis: *Res porro, et effectus hujus Sacramenti illis*

verbis explicatur, Et oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim haec Gratia est Spiritus Sancti, cujus Unctio delicta si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando: qua infirmus sublevatur, et morbi incommoda ac labores levius fert: et tentationibus doemonis calcaneo insidiantis, facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur. Quae luculenter insinuant quatuor esse Extremae Unctionis effectus, primum videlicet remissionem peccatorum, alterum reliquiarum peccati abstersionem, tertium animi erectionem adversus aegritudinis molestias ac torporem, quartum denique et corporis sanitatem ubi animae saluti expediens fuerit: atque in iis adstruendis consentiunt adversus haereticorum deliramenta Graeci Latinis. Sed talis est humani ingenii indoles, ut in iis explicandis mirifice dissocientur ad invicem; et alii volunt Extremam Unctionem peccata remittere per se, alii per accidens; alii, ejusmodi peccata esse venialia, alii mortalia. Et non conveniunt quid per peccatorum reliquias aut animi levamen intelligatur; et disputant etiam an de *primario* vel de *secundario* tantum corporis producat sanitatem. Operae ergo pretium erit ut haec omnia tum de subjecto tum de effectibus Extremae Unctionis in majori qua fieri poterit luce ponamus.

CONCLUSIO I.

Sacramentum Extremae Unctionis solis infirmis et quidem quacumque detineantur aegritudine, iisque adultis conferendum est.

Prob. prior propositionis pars. 1. Inquit Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae . . . et oratio Fidei salvabit infirmum.* Quo in loco de aegritudine non animae, sed corporis Apostolum loqui patet ex contextu. Nam de infirmitate animae jam versu antecedenti verba fecerat dicens: *Tristatur quis in vobis? Oret.* 2. Forma hujus Sacramenti non apud Latinos modo, sed et penes Graecos talibus est concepta verbis quae significant non posse nisi aegrotantibus illud administrari, ut ex omnibus Euchologiis Graecorum, ex Sacramentario Gregorii Magni, atque ex aliis antiquis Ritualibus libris nostris apparet, non excepto Romano a Paulo V. confirmato, ubi haec occurrunt: *Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi*, cui reliqui conformes sunt. 3. Demonstratur veritas eadem scriptorum veterum, et Conciliorum auctoritate. Innocentius I. in epist. ad Decent. *Non est dubium*, inquit, *de fidelibus aegrotantibus* (verba Jacobi) *accipi vel intelligi debere.* In poenitentiali Theodori cantuariensis legitur: *Secundum auctoritatem canonicam*, infirmi, *sacri Unctione Olei inuncti . . . communione Viatici reficiantur.* In lib. 4. Capitular. Caroli M. cap. 75. habetur: *Si infirmitate depressus quis fuerit, nec Unctione sacrati Olei careat.* Eugenius IV. in Instr. Armen. *Hoc Sacramentum*, inquit, *nisi in-*

firmo, de cujus morte timetur, dari non debet. Concilium tridentinum sess. 14. *Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam*. Mitto multa alia particularia Concilia ante et post Tridentinum celebrata in quibus hoc ipsum expresse docetur.

Prob. altera thesis pars, quod nempe inungi debeant infirmi quacumque detineantur aegritudine etiam extrema. 1. Ubi in ep. Jacobi juxta nostram Vulgatam legitur, *Infirmatur quis in vobis* ? in graeco textu habetur, ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν: verbum autem ἀσθενέω ad gravissimum denotandum morbum a Graecis frequenter usurpatur, ut patet ex Matth. cap. 8. v. 17. cap. 10. v. 8. Marci cap. 6. v. 56. et Joan. cap. 4. ubi de Reguli filio qui infirmabatur Capharnaum, eratque proxime moriturus, ut legitur v. 46. graece habetur, ἠσθένει ἐν Καπερναούμ. Eodem prorsus sensu verbum illud adhibetur Joan. cap. 11. ad Lazari exprimendam infirmitatem quae proculdubio erat ad mortem, et alibi centies. Etiam ergo hujusmodi aegrotos ungendos esse praecipit Apostolus; adeoque errant apertissime lutherani et calvinistae dum Catholicos insolentissime reprehendunt, quod gravissimo morbo laborantes inungant. 2. Sententiam hanc nostram confirmant momenta omnia paullo superius allata quibus addi possunt antiqua Concilia cabillonense, aquisgranense, ticinense, et recentiora post Tridentinum celebrata, inter quae viennense an. 1577. habitum, et veterum vitae Sanctorum Eugendi qui obiit an. 510. Roberti Archiepiscopi rhemensis vita functi an. 888. S. Malachiae cujus gesta narravit atque descripsit S. Bernardus, aliorumque multorum qui proxime morituri hoc muniti fuere Sacramento. 3. Accedit denique auctoritas S. Thomae qui in suppl. q. 32. art. 2. scribit: *Hoc Sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad Gloriam. Et ideo illis tantum infirmis debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur*. Non approbamus tamen usum seu potius abusum illorum qui ultimam vitae periodum ad sacram conferendam Unctionem expectant, tunc enim rationis usu ut plurimum sunt destituti; unde Concilium mediolanense sub S. Carolo celebratum inquit: *Extremae Unctionis Sacramentum non eo usque differendum est cum aeger omnibus pene sensibus destitutus sit . . . Curet Parochus ut aegroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.* Idem statutum est in Conciliis bituricensi et burdigalensi. Et merito, quoniam dum ratio viget, aegrotus per Fidem et pietatem ad effectum Sacramenti percipiendum ferventius se disponit.

Prob. tertia pars concl. non esse videlicet Sacramentum hoc conferendum pueris ante usum rationis. 1. Quoniam aptari iis minime potest ejusdem Sacramenti forma sive apud Graecos sive apud Latinos adhiberi solita, quum utraque in subjecto supponat peccata jam patrata remittenda, facultatem delinquendi per singulos sensus, et pietatem, devotionemque in sacro Ritu recipiendo, quae omnia in parvulis ante usum rationis locum habere non possunt. 2. Quoniam Ecclesiae constans ac vetusta consuetudo semper fuit ut nonnisi adultis Extrema conferatur Unctio, ut adversus Cardi-

nalem Cusanum, et Maldonatum contrarium sentientes, collectis undique ecclesiasticis monumentis, erudite demonstrat Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Ecclesiae Ritibus. 3. Quoniam Ritualia omnia volumina expresse vetant ne Sacramentum hoc infantibus ante usum rationis administretur; unde S. Carolus Borromaeus p. 4. Act. Mediol. scribit: *Ministratur hoc Sacramentum adultis periculose aegrotantibus .... at non infantibus, puerisque qui nullum adhuc rationis usum habent, neque peccata admittunt.* Quare manifeste errat Dallaeus fidenter affirmans, etiam parvulos antiquis temporibus inunctos ad corporis sanitatem recipiendam fuisse. Nam etsi corporis quoque sanitatem potis sit restituere hoc Sacramentum, ille tamen effectus est secundarius, non principalis, quum Sacramenta ad restituendam animae, non corpori incolumitatem de primario sint a Christo instituta. Si quis autem quaerat quaenam ad Sacramentum hoc conferendum expectanda sit aetas, consulat Benedictum XIV. qui lib. 7. de Syn. dioec. docet, adolescentulos capaces esse Extremae Unctionis quandocumque capaces sunt Sacramenti Poenitentiae, quamvis ea judicii maturitate non polleant quae in recipiendo Eucharistico Pane requiritur.

Adversus hanc tertiam assertionem nostram Maldonatus erga antiquos Theologos non admodum officiosus opponit, veteres Patres et Concilia omnibus ac singulis aegrotantibus, adeoque et infantibus praescribere Extremam Unctionem; pro qua sententia citat Cardinalem Cusanum Theologum doctissimum in epist. ad Bohemos; additque hanc rationem, quod primis Ecclesiae saeculis conferebatur puerulis Eucharistia, unde concludit, multo magis sacro Oleo in eorum infirmitatibus credendum est fuisse linitos.

Sed Cardinalem Cusanum et post illum etiam Maldonatum errasse demonstravit jam ex venerandae antiquitatis Ecclesiae monumentis vir eruditus Edmundus Martene, ut supra monuimus. Deinde Maldonatus qui erroris accusat Scholasticos quod parvulis denegent hoc Sacramentum, formam illam, *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus*, etc. tamquam propriam admittens, sibi turpiter contradicit. Neque enim infantes deliquerunt aut delinquere potuerunt per sensus. Comparatio autem ab eo desumpta ex Eucharistia cujus participes erant primis temporibus etiam infantes, ineptissima est; quoniam possunt illi per Eucharistiam augmentum recipere Gratiae, sed numquid percipere possunt per Extremam Unctionem remissionem peccatorum quae non admiserunt?

CONCLUSIO II.

Quatuor sunt omnino Sacramenti Extremae Unctionis effectus.

Prob. singulorum effectuum enumeratione. Primus itaque est peccatorum remissio, dicente Jacobo, *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Nec refert quod Apostolus peccatorum commemoret remissionem post alios effectus. Nam quum Unctio ab eo praescripta sit Sacramentum, ut supra demonstravimus, Sacramenta vero ad bonum hominis spirituale sint instituta, tenere pro certo debemus, hoc quoque Sacramentum ad remissionem institutum fuisse peccatorum. Hinc Sancti Patres, quorum testimonia capite hujus libri primo

dedimus, praecipuum Extremae Unctionis effectum indulgentiam recensent delictorum, quod post illos fecit et tridentinum Concilium. Quinimmo indicant hoc ipsum verba quibus Sacramenti forma concepta est: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum,* etc. Multoque minus catholicae huic sententiae officit, quod Jacobus particula conditionali, *si in peccatis fuerit*, etc. utatur. Nam suscipiens habere potest vel non habere peccata. Si habeat, remittuntur ei; si vero non habeat, non proinde Sacramentum sua carebit efficacitate, producet nempe sanctificantis Gratiae augmentum ac reliquos sibi proprios effectus. Hinc superflua mihi videtur quaestio magna animorum contentione a Scholasticis agitata, an videlicet peccata quae de Fide catholica est remitti per Extremam Unctionem, sint mortalia vel venialia. Nam si lethalia per Poenitentiam aut absolutionem quae praemitti debet deleta jam sint, peccata quae per Extremam Unctionem remittuntur erunt omnino venialia. Quod si decumbentis notitiam fugiat vel ab ejus exciderit memoria peccatum aliquod mortale in vita sua admissum, per Sacramentum hoc expurgatur, antequam alii producantur effectus: *Contingit enim*, inquit S. Thomas lib. 4. contr. Gent. cap. 73. *quod homo omnium peccatorum quae commisit, notitiam vel memoriam non habet, ut possit per Poenitentiam singula expurgare, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari.* Et in Suppl. q. 3. art. 1. *Si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis.* Similia habet in Instr. S. Carolus Borromaeus.

De nihilo autem est quod nonnulli opponunt, Extremam nempe Unctionem Sacramentum esse vivorum quod peccata jam remissa supponit; alioquin a Baptismate et Poenitentia non differret. Latum quippe discrimen est inter hoc et illa Sacramenta. Illa videlicet necessario peccata supponunt, vel originale vel actualia, et per se ac directe ea peccata remittunt; neque enim aliud est ante illa in Ecclesia Sacramentum ad munus hoc obeundum, institutum. E contra vero Extrema Unctio non necessario peccata supponit; neque per se, sed per accidens a reatu, si quis sit, animam solvit; quum ante hoc Sacramentum duo alia habeamus ad quaevis diluenda peccata. Sed de primo effectu satis. Qui plura scire desiderat legat cl. Juvenin Comm. hist. de Sacram. ubi dilucide admodum varia scholasticorum placita exponit.

II. Alter Extremae Unctionis effectus, juxta tridentinum Concilium, est peccati reliquiarum abstersio. Peccati autem reliquiae sunt, inclinatio ad malum, torpor ad bonum agendum, et ad supernaturalia meditanda ineptitudo. Per originalem enim culpam, concupiscentiam quae languor animi est, et morbida quaedam qualitas, contraximus, et pondere veluti suo nos ad illicita trahit, mentemque retardat ne rerum caelestium incumbat meditationi. Haec autem omnia majores contra nos vires acquirunt, si originali quod a natura contraximus, alia addantur actualia peccata; unde fit ut in periculo mortis homo constitutus despondeat animo, et a corporis non minus quam ab animae languore torqueatur. Extrema ergo Unctio ablato vi sua lethali, si sit, et venialibus omnibus peccatis, erigit aegrotum ut de rebus spiritualibus magis expedite cogitans, Deum ferventiori diligat studio,

illique aeternam suam commendet salutem. Atque hoc modo abstergit reliquias peccatorum; qui effectus per materiam proximam, nempe per Unctionem exprimitur; quum id Sacramenta efficiant quod significant; unde a Sanctis Patribus et a tridentino Concilio Extrema Unctio Sacramentum Poenitentiae completivum appellatur.

III. Effectus autem tertius ejusdem Sacramenti est infirmi alleviatio, juxta illud Jacobi, *Et alleviabit eum Dominus*, quae animam respicit, non corpus, dicente tridentino Concilio, *Aegroti animam alleviat et confirmat.* Dolor enim, languor, aliaque aegritudinis incommoda, et proximae mortis timor, cuique inditus a natura, non possunt non affligere, moeroreque conficere animum. Deus ergo infinita sua bonitate hoc Sacramentum instituit, quo supernaturali auxilio confortetur infirmus, et sese ad coelestia convertens, spe futuri boni erigat animum. Hinc in Epist. Jacobi legitur, *Et alleviabit eum Dominus*, sive, ut habetur in graeco textu, *Et eriget eum Dominus*. Atque Extremam Unctionem hunc revera producere effectum, dubitare non licet, quum postquam anima a peccato et a peccati reliquiis sanata sit, mens in spem et alacritatem facile erigatur; eaque est infirmi alleviatio. Hinc Patres Sacramentum hoc *Sacramentum spei* appellant, et Eugenius IV. in Instr. Armen. *Effectus,* inquit, *Extremae Unctionis est mentis sanatio.*

IV. Postremus denique Sacramenti hujus effectus est sanitas corporis si tamen saluti animae fuerit profutura; unde tridentini Patres inquiunt: *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur*. Et merito quidem, quoniam Jacobus scribit: *Oratio Fidei salvabit infirmum,* restituet videlicet illi corporis sanitatem, quia haec verba praecedunt, *Infirmatur quis in vobis*? Unde Ecclesia in hoc administrando Sacramento sequentem adhibet, juxta Gregorii M. Sacramentarium, orationem: *Emitte*, etc. *ut tua benedictione sit omni hoc ungentum tangenti tutamen mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates*, *omnem aegritudinem corporis*, etc. Et Eugenius IV. in saepe citata Instr. *Effectus*, inquit, *est mentis sanatio*; *in quantum autem expedit*, *etiam corporis*. Hic autem animadvertendum existimo, corporis sanationem non de *primario*, ut inquiunt, sed de *secundario* ab Extrema Unctione produci, quum Sacramenta ad bonum principaliter animae, non corporis, ut supra monuimus, sint a Christo instituta. Atque hinc est quod non semper corporis sequitur sanitas ex recepto illo Sacramento, sed quando spirituali animae utilitati fuerit expediens. Quare S. Thomas suppl. q. 31. art. 2. in corp. optime inquit: *Quia ratio operans numquam inducit secundarium effectum nisi secundum quod expedit ad principalem; ideo ex hoc Sacramento non semper sequitur corporalis sanatio*, *sed quando expedit ad spiritualem sanationem*, *dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.* Atque haec satis de Extrema Unctione. Quaestiones enim multae quae circa hoc Sacramentum ejusque Ritus institui ulterius solent a Theologis, missas facio ne institutionum theologicarum limites transgrediar, et ad disserendum breviter de Sacramento Ordinis gressum facio.

Finis libri XL.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XLI.

UBI DE SACRAMENTO ORDINIS PERTRACTATUR

Quaevis bene constituta societas seu respublica non legibus modo et sapienter editis ad vitam componendam sanctionibus, sed selectorum quoque hominum ministerio regi debet ac moderari; unde Roma praeter exquisitam eam legislationem quae omnium promeruit admirationem, Consules habuit et Senatum, Tribunos plebis, et urbium Praetores, Praefectos provinciarum, aliosque primores et judices variis pro rerum varietate nominibus insignitos. Illa porro societas Fidelium per totum qua late patet orbem dispersa, quae Ecclesia dicitur et ipsa Reipublicae quaedam species est, quae licet a Deo instituta sit ac Sanguine suo acquisita, ex hominibus tamen qui defectibilem agunt vitam composita quum sit, et ipsa praeter divinas leges et statuta et praecepta sacros habere debet multiplicis generis Ministros qui ei praesideant, et homines quibus coalescit regant, et ad praestitutum a Deo auctore suo finem, hoc est ad felicitatem comparandam aeternam dirigant, atque unusquisque pro modo suo perducat. Hi autem Ministri, Clerici, quasi in sortem Domini vocati dici communiter solent, et quamvis hoc nomine ab antiquis Patribus et nunc etiam vulgo homines illi nuncupari soleant qui inferioribus addicti sunt Ecclesiae muneribus, nos tamen Clericos promiscue appellabimus qui vel minoribus cohonestati ordinibus, inferioribus Ecclesiae servitiis sunt destinati; vel ad majores promoti, docendo, baptizando, aliaque Sacramenta conficiendo, praestantiora in Ecclesia munera exercent. Honor autem hic aut minoribus aut majoribus vacandi muneribus non a quolibet pro lubitu suo assumitur, sed iis tantum datur qui vocati sunt tamquam Aaron, hoc est, voluit Christus Ecclesiae suae auctor, ut per Sacramentum a se institutum, et non alio quovis modo, hominibus conferretur: quod Sacramentum Fideles vel a primis temporibus *Ordinem* appellarunt. Atque de hoc Sacramento, postquam de aliis quinque disseruimus, oportet ut breviter nunc pertractemus.

CAPUT I.

Espositis brevissime nomine ac definitione Ordinis, demonstratur Ordinem de quo loquimur, verum esse novae Legis Sacramentum.

x innumeris quas apud Latinos nomen hoc, *Ordo*, habet significationibus, tres dumtaxat quae ad rem nostram facere mihi videntur, seligemus. Et primo quidem Ordinem dicunt Latini certam seriem ac dispositionem per quam unusquisque in gradu et loco suo continetur, qualis est ordo in familia inter parentes ac filios, dominos et servos; et in militia inter centurionem et milites. Secundo sumitur pro diversis, sed determinatis immutabilibusque hominum in societate vel Republica gradibus, ut apud Romanos senatorius, equestris, ac popularis cetus, et apud nos ecclesiasticus, nobilis, ac plebejus ordo. Tertio denique sacram significat Coeremoniam per quam aliqui in Ecclesia homines ad sacra obeunda Ministeria delecti initiantur. Triplex nominis hujus intelligentia in Sacramentum de quo loquuturi sumus, mirifice quadrat. Et primo recte dici-

tur *Ordo*, quoniam per illud Sacramentum unusquisque in loco suo collocatur, pastor nimirum ad pascua dirigit oves, inferiores subduntur superioribus, discipuli doctoribus subordinantur; et quot sunt distincti hujus Sacramenti gradus, tot sunt et quidem diversa Clericorum munera. Est praeterea Sacramentum Ordinis immutabilis quidam gradus per quem nonnulli a reliquo populo segregati, Sacrorum incumbunt administrationi, et a quo nemo, utpote Deo consecratus, inculpabiliter resilire potest. Esse denique sacram Coeremoniam qua in Dei sortem et haereditatem aliqui vocantur tamquam Aaron, patet ex communi Ecclesiae sensu, et nos contra haereticos paullo infra fuse demonstrabimus. Jure ergo meritoque *Ordo* Sacramentum hoc a Latinis appellatur, quamvis non raro dicatur etiam *Manuum impositio.* Sed nomen istud mutuo acceperunt a Graecis penes quos frequentissime noster Ordo dicitur, χειροθεσία, hoc est, *manus impositio*; et χειροτονία nempe *Manus extensio.* Primum tamen nomen latius altero patet, quia usurpatur etiam ad explicandam sacrorum electionem Ministrorum; quum apud antiquos quaevis electio per χειροτονίαν, idest, *manuum* elevationem fieret; alterum vero determinate accipitur ad Ministrorum templi denotandam initiationem. Haec pauca circa sacri Ordinis nomen adnotasse sufficiat.

Quoad definitionem, Magister lib. 4. sent. dist. 24. cui reliqui omnes Theologi post S. Thomam suppl. q. 34. art. 2. adstipulantur, sic Ordinem definit: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur Ordinato.* Quae definitio quum genere constet proprio ac differentia specifica, ut logici inquiunt, accuratissima est. Ex quo enim sit signaculum quoddam Ecclesiae, cum reliquis novae Legis convenit Sacramentis quae sunt et ipsa externa quaedam signa. Ex quo vero dicatur potestatis spiritualis traditio, intelligimus ab aliis differre Sacramentis quae supernaturale quidem conferunt munus non autem potestatem. Sed tridentinae Synodi Patres varia exprimere Ordinatorum munera volentes talibus Sacramentum hoc verbis descripserunt, ut ex illius doctrina insignis theologus Sylvius sequentem exprompserit definitionem: *Ordo est Sacramentum novae Legis a Salvatore nostro institutum, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, ac ministrandi Corpus et Sanguinem ejus, nec non Sacerdotio ex officio inserviendi.* Definitio haec ceteris mihi praeferenda videtur, quum per se manifesta sit, neque indigeat ut intelligatur, subtili explicatione.

Hisce hoc modo praemissis et explicatis, inspiciendum nunc breviter est quid de hoc nostro Sacramento recentiores teneant haeretici, lutherani videlicet et calvinistae, qui nullum in Religione intactum reliquere dogma; et ut plurimum non alia de caussa nisi ut catholicae Ecclesiae a qua turpissime defecerant, contradicerent. Quamvis Lutherus in exitioso libro de babyl. captiv. plura christiano homine indigna contra sacram Ordinationem evomuerit, non alia praeter Baptismum et Eucharistiam agnoscens Sacramenta; in tractatu nihilominus de Missa priv. veritate cogente, fassus est Ecclesiam Romanam sacros Ecclesiae Ministros ordinare ex antiquissima consuetudine. Eamdem sequutus est methodum Philippus Melancthon, in locis enim commun. Sacramentum istud ex aliorum albo cum Magistro

suo fidentissime expungit, sed cum reliquis enumerare non dubitat in confessionis augustanae recognitione. Innumera sunt loca in quibus Calvinus non rejicit modo, sed et deridet sacram hanc coeremoniam. Ast in lib. 4. Instit. 2. 28. duobus aliis a se admissis Sacramentis, Baptismo nimirum et Eucharistia, sine ulla difficultate ordinem accenset, unde inquit: *Quantum ad veri Presbyterii munus attinet, quod ore Christi nobis est commendatum, libenter eo loco habeo; illic enim coeremonia est, primum ex Scripturis sumpta, deinde quam non esse inanem et supervacaneam, sed fidele spiritualis Gratiae symbolum, testatur Paulus. Quod autem in numero non posui, eo factum est, quod non ordinarium, nec commune est apud omnes fideles, sed ad certam functionem spiritualis ritus*. Ut ut autem prima illa capita novatorum de hac re dogmatizaverint, illud sane certum est, modo protestantes non alios agnoscere in eorum societatibus pastores nisi quos Magistratus aut populus ad sacra exercenda ministeria elegerit, ita ut si electio illa rescindatur, sacri eorum ministri atque pastores ad gradum revertantur laicorum. Contra hos ergo sit

CONCLUSIO

Ordo est verum ac legitimum novae Legis Sacramentum.

Prob. 1. ex Scripturis. Existere sacros in Ecclesia Dei Ministros a laicorum numero segregatos, atque ad sublimiora tractanda arcana destinatos, non ex universali modo praxi et consuetudine, sed ex Scripturae luculentissima auctoritate, unde usus in Ecclesia invaluit, apertissime apparet. Nam in Act. Ap. cap. 6. fuse describitur Concilium in quo septem ad sacra obeunda munera electi fuere Diaconi. Ibid. cap. 14. v. 22. narratur Paulum ac Barnabam Presbyteros constituisse in Ecclesia. Idem Paulus ad Ephesios cap. 4. testatum facit quosdam a Christo Domino assumptos fuisse ad opus Ministerii. In ep. ad Titum cap. 1. praecipit Magister discipulo ut Presbyteros per civitates constituat: et Timotheum monet ep. 1. cap. 5. ne facilis sit in Presbyterorum inauguratione. Sed ad id demonstrandum non opus est pluribus, quoniam vel ipsi haeretici homines in eorum congregationibus habent, quos Pastores, Ministros, aut Praedicantes appellant a reliqua plebe separatos. Verum horum Ministrorum a reliquo populo segregatio facta est semper et nunc etiam fit in vera Dei Ecclesia per verum ac proprie dictum novae Legis Sacramentum. Et quidem tria ad verum habendum Sacramentum, consentientibus etiam haereticis, requiruntur. 1. Ut extrinseco quodam symbolo sive signo constet. 2. Ut signum illud sanctificantem adnexam habeat Gratiam. 3. Denique, ut a Christo Sacramentorum auctore sit institutum. Tres hi autem characteres Catholicorum Ordinationi mirifice conveniunt. Noster enim Ordo ex symbolo in primis constat extrinseco atque sensibili, traditur quippe per manuum impositionem nonnullorumque prolationem verborum. Septem namque illi probi viri de quibus Actor. cap. 6. ordinati fuerunt Diaconi per manuum impositionem et orationem:

Orantes imposuerunt eis manus. Paulus quoque ac Barnabas ibid. cap. 13. eo modo inaugurati fuerunt Episcopi: *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Et simili ritu iidem Paulus et Barnabas ordinaverunt Presbyteros, ut habetur cap. 14. seq. Nam ubi nos legimus, *Et cum constituissent illis* (populis Lystriae, Iconii, et Antiochiae) *per singulas Ecclesias Presbyteros*, graece dicitur χειροτονήσαντες. De Timotheo Episcopo constituto in Ecclesia legitur in ep. cap. 4. *Accepisse Gratiam cum impositione manuum Presbyterii.* Apostoli itaque consecrarunt Episcopos, Presbyteros, Diaconos (nolumus nunc de aliis Ministris verba facere) per externam quamdam coeremoniam, nempe per impositionem manuum, et orationem, quae duo nunc appellari solent a Theologis materia et forma. Sed ritus hic extrinsecus internam in Ordinatis producebat sanctificantem Gratiam. Paulus siquidem ad Timotheum jam Episcopum consecratum scribens ajebat ep. 1. cap. 4. *Noli negligere Gratiam quae data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et ad eumdem in 2. ep. cap. 1. ajebat: *Admoneo te ut resuscites Gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum.* Neque in alienum sensum possunt testimonia haec protestantes detorquere, nam explicans Apostolus in quo Gratia illa consisteret, statim post postrema verba subdit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis*, quae omnia effectus sunt Gratiae sanctificantis. Superest nunc ut breviter demonstremus, non deesse Ordini tertium characterem, divinam scilicet institutionem, quod ex multis sacrae Scripturae locis liquido apparet. Sic Apostolus in ep. ad Ephes. cap. 4. *Et ipse* (videlicet Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores.* Idem Paulus Actor. cap. 20. *Attendite*, inquit, *vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam etc.* Joan. cap. 20. contulit Christus Apostolis potestatem remittendi peccata: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, etc.* Fecit eisdem facultatem conficiendi Corpus et Sanguinem suum, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem.* Conditiones igitur ad verum requisitae Sacramentum in Ordine non desiderantur, atque adeo non est cur a Sacramentorum albo expungatur a protestantibus.

Prob. 2. ex Traditione. Oracula Scripturarum hactenus a nobis allata eodem prorsus sensu quo fuerunt a nobis interpretata semper ab Ecclesia intellecta sunt. Et 1. a sanctis iisque antiquissimis Patribus quorum testimonia, quum omnibus obvia sint, necesse non est ut multa a nobis referantur. Clemens Romanus in ep. 1. ad Cor. Ignatius Martyr in septem epistolis, Justinus in apologiis, Canones illi Apostolici quorum auctoritas recepta est in Ecclesia, de Episcopis, Presbyteris, Diaconis passim loquuntur. Nec dubitari potest quin crediderint laudatos sacros Ministros initiatos in Ecclesia fuisse per Ordinationem tamquam per verum legitimumque Sacramentum. Nam idem Ignatius in ep. ad Trallian. *Necessarium est*, inquit, *ut sine Episcopo nihil agatis, sed et Presbyterio subditi sitis, ut Apostolis Jesu Christi.*

Quare sicut Apostoli a Christo, ita et primi Episcopi ac Presbyteri ab Apostolis, et sic deinceps alii ab aliis segregati a populo per Ordinationem fuerunt. Tertullianus in lib. de praescr. cap. 40. observat diabolum ad ethnicos decipiendos imitatum Ecclesiae ritus fuisse, speciem quamdam superstitiosi lavacri, et consignationis in fronte, et panis consecrationis, et inaugurationis Pontificum instituens, ad aemulationem scilicet Baptismi, Confirmationis, et Ordinis Christianorum; unde sicuti illa vera Sacramenta sunt, ita et Episcoporum Ordinatio: *Ipsas res de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam aemulanter affectavit*. Cyprianus ep. 33. appellat Ordinem *Ordinationem clericam* ab Episcopis ad sacra obeunda munera factam. Gregorius Nazianzenus orat. in Bapt. scribit: *Eadem verbi potestas etiam Sacerdotem augustum et honorandum facit*: verbi scilicet potestas et virtus quae per Baptismum regenerat hominem, facit illum per Ordinationem etiam augustum. Chrysostomus lib. 3. de Sacerd. *Sacerdotium in terra peragitur, sed in rerum caelestium classem ordinemque referendum est, quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, neque alia quaevis creata potentia, sed ipse Paracletus ejusmodi Ordinem disposuit . . . tum probe intelliget quanto Sacerdotis honore, quanta dignitate, quanta Spiritus Sancti Gratia dignata fuerit*. Ambrosius lib. de dignit. Sacerd. cap. 5. ita loquitur: *Homo imponit manum, Deus largitur Gratiam, Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera*. Hieronymus dial. cont. Lucif. Ordinem cum Baptismo perpetuo comparat, ut inde concludat Ordinem ab haereticis collatum validum esse: *Si in Fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in Fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinavit*. Quod si Baptismus ex quo characterem imprimat iterari non potest, etiam Ordo imprimit characterem qui nequit iterari. Hoc argumenti genere usus est semper Augustinus disputans adversus donatistas. Puta in lib. 2. cap. 13. cont. ep. Parmen. *Ipsi*, inquit, *explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum Ordinati possit amitti . . . Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et istud amittitur? Neutri Sacramento injuria facenda est.* Reliquorum sententias Patrum brevitati studens omitto, utpote in re tam perspicua non necessaria. Ex his interim patet Patres omnes quovis saeculo credidisse Ordinem sacrum verum esse Sacramentum. II. idipsum statuerunt quoque tamquam de Fide Ecclesiae Concilia. Chalcedonense can. 2. hanc tradidit definitionem: *Si quis Episcopus propter pecunias Ordinationem fecerit, et non venalem gratiam vendiderit . . . de proprio gradu dejiciatur.* Eodem saeculo similem edidit canonem num. 3. Concilium bracarense, et saeculo sequenti Concilium toletanum 8. cap. 3. Et quoniam sequentibus saeculis impia haeresis simoniaca per Ecclesiam invaluerat, multa celebrata fuere Concilia a S. Leone IX. Gregorio VII. aliisque Romae, Ticini, Remis, Moguntiae, in quibus Ecclesia simoniam anathemate percussit, huic innixa fundamento, quod impium sit vendere et emere Sacramenta. Hinc Concilia florentinum ante exortam protestantium perduellionem in Ecclesiam, et

Tridentinum ad eam reprimendam celebratum merito inter Sacramenta Ordinem recensuerunt. III. accedunt his definitiones Romanorum Pontificum. Praeter enim Leonem IX. Gregorium VII aliosque summos Pastores qui infelici illa aetate in qua simonia praevaluerat, illamque damnarunt, floruerunt, Innocentius I. in ep. ad Episcopos antiochenos de iis qui ex ariana haeresi revertebantur sive laicis sive clericis loquens, ita Ordinem cum Baptismo confert ut utrumque Sacramentum esse doceat; jubet enim ut baptizati ab haereticis per solam recipiantur manuum impositionem ad poenitentiam; Ordinati autem in haeresi sine Ministerii dignitate suscipiantur, *Quoniam cum a catholica Fide eorum auctores desciscerent, perfectionem spiritus quam acceperant, amiserunt. Nec dare ejus plenitudinem possunt, quae maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietatis suae perfidiam potius quam per Fidem, dixerim, perdiderunt*. Leo Magnus in ep. ad Dioscorum alexandrinum cap. 1. inquit: *A vobis hoc volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica Ordinatio celebretur; sed post diem sabbati . . . jejunis, et a jejunantibus sacra benedictio conferatur*, hanc addens rationem, *ne tantae benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum*. Gregorius item Magnus lib. 4. in 1. Reg. cap. 5. scribit: *Qui in culmine ponitur Sacramenta suscipit Unctionis. Quia vero ipsa Unctio Sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur si intus virtute Sacramenti roboratur*. Aliorum Pontificum omitto decreta quum pauca haec ad rem nostram sufficiant. IV. dictis universi christiani orbis consensus unanimis magnum pondus addit. Imprimis enim Catholici omnes graeci habuerunt semper ab initio et adhuc habent Ordinem veluti legitimum Sacramentum, ut ex vetustis eorum ac recentioribus constat euchologiis. Quod idem dicendum de reliquis Communionis nostrae Orientalibus, Armenis, Syris, Cophtis, Maronitis, quorum liturgici antiqui codices formam exhibent sacramentalis Ordinationis. Haereticorum quoque singulae sectae quae grassatae sunt et adhuc per orientalem Ecclesiam grassantur, ariani videlicet, macedoniani, nestorii, et Euthychetis gregales, monothelitae, jacobitae, et schismatici Graeci quamvis in multis a catholica Ecclesia recesserint, in hoc tamen semper constantissime perseverarunt ut credant Ordinem verum esse Sacramentum. Et de Latinis quid dicam? Nulla umquam in occidentali Ecclesia haereticorum schismaticorumque usque ad Lutherum secta fuit quae tantum ausa sit facinus ut Ordini Sacramenti honorem denegaret; non donatistae, non henriciani aut petrobusiani aut valdenses vel wiclefitae vel hussitae. Quamvis enim plerique putarent non valere Sacramenta ab improbis confecta Ministris, quis tamen umquam in dubium vocavit an Ordo quo sacri Ministri a vulgo secernuntur, verum sit novae Legis Sacramentum? Jam vero Fides haec antiquissima, perpetua, constans omnium Christianorum undenam profecta est nisi ab Apostolis qui eamdem a Christo illorum institutore acceperunt? Scriptura ergo et Ecclesiae Traditio, et praxis omnium Christianorum undique clamant contra Lutheri Calvinique temeritatem qua ex albo Sacramentorum sacram expunxerunt Ordinationem.

Argumenta Adversariorum refutantur.

Obj. 1. Sacrae litterae Fideles omnes Baptismate signatos appellant Sacerdotes. Ita Petrus ep. 1. cap. 2. *Ipsi* (nempe Fideles) *tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum.* Et rursus: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*. Joannes quoque Apoc. cap. 5. *Fecisti,* inquit, *nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes.* Cap. autem 20. *Sed erunt Sacerdotes Dei, et Christi*. Quibus in locis de Baptizatis omnibus sacri illi auctores promiscue loquuntur; unde non segregantur aliqui a vulgo Fidelium per Ordinis Sacramentum, ut Romani contendunt. II. neque vero laici Sacerdotes dumtaxat appellantur, sed praeterea dicuntur etiam Clerici, segregati videlicet in sortem Domini a reliquis gentibus. Idem namque Petrus in laudata ep. cap. 5. scribit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum . . . neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo*. Ubi Fidelium greges verbo et exemplo pascendos Cleros appellat. III. magis adhuc perspicue Paulus in ep. ad Gal. cap. 3. affirmat nullum dari inter eos qui Presbyteri aut Clerici vocantur et eos qui dicuntur laici discrimen; haec enim habet: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judaeus neque Graecus: non est servus neque liber: non est masculus neque foemina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. Quare segregatio haec a reliquorum coetu Fidelium per Sacramentum Ordinis videtur omnino commentitia.

Resp. ad 1. Non unius dumtaxat generis est Sacerdotium; aliud quippe est Sacerdotium proprie dictum de quo nos loquimur, et aliud latiori quodam sensu acceptum. Primum per sacram confertur Ordinationem quibusdam ritibus adhibitis, alterum vero per Baptismum. Et quoniam Fideles Sacrificium offerunt Deo mysticum ac spirituale, laudis videlicet et gratiarum actionis, cujus generis Sacrificium improprium est, ideo ampliori quodam sensu et improprie omnes Baptizati dicuntur Sacerdotes: et quidem per quamdam analogiam quam cum Sacerdotibus proprie sic nuncupatis habent qui Deo Sacrificium quotidie offerunt incruentum, propter quod Sacerdotium est institutum. Petrus autem, Joannes, et Paulus laudatis in argumento locis, non de primi, sed de alterius generis loquuntur Sacerdotio: quod multis suaderi facile potest. Et primo sane Exod. cap. 19. ad quem locum sacri illi scriptores alludere videntur, Deus appellat Sacerdotes omnes filios Israel, *Et vos eritis mihi in Regnum sacerdotale*. Et tamen ad solam tribum Levi verum spectasse Sacerdotium nemo unus ignorat. Deinde Petrus et Joannes omnibus indiscriminatim Fidelibus tribuunt Sacerdotium sicuti et Regnum, domumque appellant spiritualem. Sed numquid proinde Fideles omnes reges sunt, aut proprie dicta domus? Praeterea Paulus qui scribens ad Galatas omnes Baptizatos indifferenter appellat Sacerdotes, in ep. ad Hebr. affirmat illos tantum in nova Lege veros esse Sacerdotes qui a Deo vocantur tamquam Aaron; quum tamen non omnes Baptizati sic vocentur. Quare per Baptismum fiunt quidem homines Sacerdotes, quatenus ad *offerendas spi-*

rituales hostias, ut idem Petrus in sua 1. ep. cap. 2. loquitur, destinantur, non Sacerdotes in rigoroso sensu accepti, de qua dignitate nunc concertatio cum haereticis est. Rem totam explicat S. Augustinus in lib. 20. de Civ. Dei cap. 10. *Erunt Sacerdotes Dei, et Christi, et regnabunt cum eo mille annis: non utique de solis Episcopis et Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes, sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma: sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis. De quibus Apostolus Petrus: Plebs, inquit, sancta, regale Sacerdotium*. Similia habent Ambrosius lib. 4. de Sacram. et Leo I. serm. 3. in anniv. assumpt. suae.

Ad 2. Nomine Cleri, juxta Petri sententiam, vel intelligere Protestantes volunt Fideles omnes qui Baptismi signati sunt Sacramento, vel volunt intelligere sacros illos Ministros qui publica obeunt in Ecclesia munera. Si primum, Petrus appellat Fidelium greges Cleros latiori quodam sensu, quemadmodum in veteri Testamento omnes filii Israel *Clerus* seu haereditas Domini dicti sunt: *Ego pars et haereditas tua in medio filiorum Israel*, quamvis licitum non esset omnibus extra tribum Levi Altari inservire. Si autem Cleri nomen altero sensu accipiant, uti accipiendum esse contendit atque demonstrat Hieronymus in ep. ad Nepotianum, sententia Petri non ad omnes indifferenter Fideles, ne pueris quidem et foeminis exceptis, est extendenda; sed restringenda ad solos Episcopos quibus praecipitur ut Presbyteris ac minoribus Clericis ambitioso fastu non dominentur, sed verbo et exemplo humiliter illis praesint, forma facti gregis per Caritatem ex animo.

Ad 3. Rerum ideas et notiones malitiose confundunt protestantes. Aliud enim est de Fide, justificatione, et praedestinatione loqui, et aliud de gradibus, officiis, ac ministerio in ecclesiastica Hierarchia. Recte Paulus inquit Fideles omnes aequales esse inter se, quia de vocatione ad Fidem, de justificatione, et praedestinatione sermonem ibi instituit, in quo non respicit Deus gentem, sexum, aetatem, quia *non est acceptio personarum apud Deum: sed unum corpus sumus in Christo... Unum corpus, et unus spiritus... vocati... in una spe vocationis*: quorum omnium *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, et Pater omnium*, ut alibi saepe ipse affirmat. Ast ubi disserit de officiis et gradibus Ecclesiae, numquid ad singulos promiscue pertinere Fideles affirmat? Imo e contra. *In uno corpore*, inquit cap. 12. ep. ad Rom. *multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo*. Et in 1. ad Cor. cap. item 12. hanc reddit rationem: *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem sunt membra, unum autem corpus*. Et paucis interjectis: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos etc.* Relege quae ab initio allata sunt ex ep. ad Eph. cap. 4.

Obj. 2. Catholicorum ex Pauli sententiis in quibus sermo fit de manuum impositione deprompmtum argumentum ad rem minime facit, quum

loquatur Apostolus non de alicujus Sacramenti materia aut de symbolo Gratiae sanctificantis, sed de Gratiis gratis datis a Deo conferri solitis sacris Ministris per manuum impositionem Apostolorum. Nam I. Gratiam sanctificantem designare communiter solet Apostolus voce χάρις; quum tamen locis supra laudatis Gratia dicatur χάρισμα, nomen ad Gratiam significandam gratis datam consecratum. II. Paulus affirmat ibidem Timotheo datam fuisse Gratiam *per Prophetiam*; quae proculdubio donum est gratis datum, non gratum faciens. III. inquit iterum Paulus, Timotheo datam fuisse Gratiam per Prophetiam cum impositione *manuum Presbyterii*. Ast per Catholicos Episcopus, non Presbyteri manus imponere debet. IV. et Christus certe quando constituit Apostolos Ministros ac dispensatores Mysteriorum Dei, manus illis haudquaquam imposuit. Id saltem nullibi legitur. Corruit ergo fundamentum cui Catholicorum innititur systema.

Resp. ineptissimam esse hanc protestantium argumentationem. Et revera, quoad I. In sacris litteris duo haec nomina χάρις et χαρισμα ad omnia Gratiarum genera exprimenda constantissime usurpantur. Ita Apostolus Paulus in I. ad Cor. cap. 12. posteaquam adhibuerat versu 28. et 30. nomen χαρισμα, *charismata*, ad exprimendas Gratias curationum, Gratiam profecto, ut inquiunt scholae, gratis datam, versu 31. adhibet idipsum nomen ad exprimendum Gratiam gratum facientem, inquiens: *Æmulamini charismata* χαρίσματα *meliora*. Quare meliora? Nisi quia etiamsi cuiquam datum esset linguis loqui hominum et Angelorum, habere Prophetiam, novisse Mysteria omnia, Caritatem autem non habuerit, juxta eumdem Apostolum, nihil ei prodest, nihil est? Imo in ep. ad Rom. cap. 5. in uno eodemque versu 15. adhibet χάρισμα et χάριν in eodem prorsus sensu, inquiens: *Sed non sicut delictum, ita et* charisma (χάρισμα) *Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis* Gratia (χάρις, charis) *Dei, et donum in Gratia* (ἐν χάριτι, in chariti) *unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*: ubi profecto non fit sermo de Gratiis gratis datis. Addo vocem χάρισμα, *charisma*, venire a voce perfecta κεχάρισμαι; nunc vero verbum χαρίζομαι proficiscitur a themate χάρις: adeoque χάρις et χάρισμα eumdem pene praeseferunt sensum.

Ad 2. Non video cur Timotheus una cum sanctificante Gratia recipere per Ordinem a Spiritu Sancto non potuerit munus etiam prophetandi, et quidquid necessarium ab initio erat ad nascentis Ecclesiae institutionem. Numquid donum unum aliud excludit? Verum laudato in argumento loco significare videtur Apostolus initiatum fuisse Timotheum speciali Spiritus Sancti jussu ac revelatione, scribente ad eumdem in ep. I. cap. I. *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes in te Prophetias*; unde Oecumenius in illa verba inquit: *Jussu namque Spiritus facti sunt Episcopi, et non passim*. Nec te movere debet quod Paulus dicat, *per Prophetiam*, Prophetia quippe dicitur in Scripturis omnis Dei revelatio vel inspiratio, juxta illud Petri: *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*.

Ad 3. De minimo est quod adversarii addunt. Quum enim constet Timotheum per manuum impositionem Pauli, *per impositionem manuum mearum*, ut ipse inquit in ep. 2. cap. 1. fuisse ordinatum, nemini dubium quin *Presbyterii* nomine consessum intellexerit Episcoporum: unde habetur in antiquis versionibus, prout in waltonianis Polyglottis legitur, *per impositionem manuum Episcopi*. Et Chrysostomus in hunc locum hom. 12. *Non de Presbyteris hoc ait, sed de Episcopis; non enim Presbyteri Episcopum ordinaverant*.

Ad 4. Si Catholici demonstrare nequeunt Christum dum Apostolos Episcopos ordinavit, manus illis imposuisse, neque contrarium ostendere possunt protestantes; non enim omnia quae dixit Christus ac fecit scripta sunt. Pro nobis autem stat praesumptio. Nam numquam Apostoli in consecrandis Episcopis manus illis imposuissent nisi hoc didicissent a Christo illorum institutore. Ceterum Christus utpote Deus homo potestatem habuit excellentiae per quam sine externis symbolis potuit Gratiam, et characterem, et potestatem faciendi signa et virtutes discipulis suis communicare.

Obj. 3. Veteres Ecclesiae Patres Ordinem tamquam Sacramentum non habuerunt. Nam Tertullianus in lib. de exhort. Castit. haec scribit: *Vani erimus, si putaverimus, quod Sacerdotibus non licet, laicis licere. Nonne et laici Sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et Sacerdotes Deo, et Patri suo fecit. Differentia inter Ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus. Adeo ut ubi ecclesiastici Ordinis non est consessus, et offers, et tinguis, et Sacerdos es tibi solus.* Et post pauca: *Bigamus tinguis? bigamus offers? Quanto magis laicus bigamo capitale est agere pro Sacerdote? cum ipsi Sacerdoti bigamo facto auferatur agere Sacerdotem?* Hactenus Tertullianus, cujus sententia ut intelligatur, animadvertendum est scopum illius esse suadere laicis ne bigami fiant, atque hoc utitur argumento: stare nequit bigamia cum Sacerdotio; laici autem sunt Sacerdotes, tum quia Christus *Sacerdotes nos Deo, et Patri suo fecit*, tum quia laici baptizant et offerunt. Nec refert quod Sacerdotes inter et plebem discrimen aliquod adsit, quoniam hanc differentiam *constituit Ecclesiae auctoritas*; unde vetitum est laicis offerre ac baptizare coram Presbyteris; adeoque discrimen illud positum non est a Deo. Hinc concludit quod sicuti illicitum est baptizare et offerre Presbytero bigamo, ita a jure tingendi et offerendi excidit etiam bigamus laicus. Porro tota haec ratiocinatio demonstrat Tertulliani aetate Ministrorum Ecclesiae consecrationem habitam a Fidelibus tamquam Sacramentum non fuisse. II. Chrysostomus quoque de anathem, inquit: *Ordinatio non effert, non in sublime tollit, non potentiam praestat*. Non itaque est Sacramentum aliquam conferens facultatem.

Resp. ad 1. Adversarii nostri Tertulliani argumentationem qua suadere studet laicis castitatem, ad propria trahere conantur confirmanda praejudicia, Tertulliano ipso reluctante. Sic ergo doctus ille scriptor ratiocinatur ne laici priori defuncta uxore alteram ducant: Vetitum est cuilibet bi-

gamo, juxta Ecclesiae disciplinam, ad gradum ascendere Sacerdotii; et si in Ordinem irrepserit Presbyterii, nequit vel Sacrificium offerre vel administrare Baptismum. Cumque laici quoque latiori quodam sensu, ut supra exposuimus, Sacerdotes dici possint, quatenus et Sacrificium laudis offerunt Deo, et in casu necessitatis Baptismate tingunt; si bigami fiant, nec Sacrificium illud, quod gratum sit Deo, offerre poterunt nec digne administrare Baptismum. Confirmare deinde sic pergit argumentum illud. Qui laici sunt eligi utique possunt in Sacerdotes proprie dictos, etiamsi conjugati quondam fuerint. Ast qui alteram duxit uxorem impedimentum ponit ne inservire valeat altari; unde post allata in argumento verba subjicit: *Omnes nos Deus ita vult esse dispositos, ut ubique Sacramentis ejus obeundis aptisimus . . . usque adeo nisi et laici ea observent, per quae Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus ante laicum jussum a secundo matrimonio abstinere, dum esse Presbyter non alius potest quam laicus semel fuerit maritus.* Denique ait quidem differentiam inter plebem et Ordinem positam ab Ecclesiae auctoritate fuisse, sed quomodo? Quatenus nempe ad Ecclesiam aliquos ex laicis viris ad ministerium assumere spectat; qui semel adlecti et ab Episcopo consecrati, a Deo sanctificantur. Non enim legendum: *Et honor per Ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici, etc.* ut sententia in argumento relata habet, sed sicuti in antiquioribus codicibus et editionibus emendatissimis legitur, hoc modo: *Et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi ecclesiastici Ordinis etc.* Quo posito non ecclesiastico tantum, sed et divino jure Clerici a plebe discriminantur. Ceterum Tertullianum agnoscere Clericorum Laicorumque distinctionem a Christo Domino positam, ex cap. 12. libri de Monogamia satis luculenter apparet, ubi sic inquit: *Cum extollimur, et inflamur adversus Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos fecit Deo, et Patri. Cum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus latas infulas, et impares sumus.*

Ad 2. Non opus est multis, ut Chrysostomi mentem exponamus. Clarum est enim hortari illum Sacerdotes ad humilitatem et misericordiam in peccatores, memores factos non esse per Ordinationem immunes a peccatis. Convenire autem nobiscum in hoc Sacramento adstruendo, apertissime patet ex libro ejus de Sacerdotio, aliisque locis.

CAPUT II.

De Materia et Forma Ordinis.

Hic proprie locus esset inquirendi quot recenseri debeant Ordines per quos ad sacra obeunda munera homines seliguntur; neque enim idem numerus Ordinum apud omnes constat: similiter et an clericalis Tonsura institutionis sit apostolicae, computarique inter Ordines debeat, de qua re Theologos inter et Canonistas magna controversia est: et supposito semel

quod septem juxta Ecclesiae latinae praxim, agnosci debeant Ordines, quatuor videlicet minores, tresque sacros et majores (alii quippe quatuor, alii quinque, et alii etiam novem Ordines enumerant) an quilibet Ordo sit proprie dictum Sacramentum. Sed quoniam propositum nostrum ab initio fuit in praecipuis Theologiae principiis dumtaxat adolescentes instituere, et ex alia parte recensitas nunc controversias difficillimae solutionis esse vel ex eo colligitur quod inter praeclariores Theologos et Canonistas sive veteres sive recentiores irreconciliabilis sit animorum discrepantia, amplissimas illas intricatasque disceptationes omittendas existimamus; ac eos qui harum accuratam habere volunt notitiam, ad magna evolvenda remittimus volumina insignium de re sacramentaria scriptorum, Joannis Morini, Juvenin, Drouenii, Berti, et illius qui primus omnium nominandus erat, Benedicti nempe XIV. de Synodo dioecesana. Neque reprehendere me quisquam jure poterit quod laudatas mox disceptationes silentio praetercam. Nam si pro dignitate, ac diligenter illas versare vellem, nec justae molis sufficeret volumen; compendiaria autem illas pertractare methodo, idem esset ac studiosorum juvenum defraudare expectationem; unde his hujusque generis aliis non tamquam inutilibus, sed veluti dubiis nimis ac disputabilibus praetermissis, disseramus potius de hujus divinissimi Sacramenti materia et forma.

Quum celebrem quaestionem: An omnes ac singuli Ordines, etiam Diaconatu inferiores, tamquam vera ac proprie dicta Sacramenta habenda sint, indefinitam, ut paullo ante dixi, relinquere proposuerim, non de materia et forma Subdiaconatus aut minorum Ordinum singillatim, sed in genere de materia et forma Ordinis erit disserendum. Atque in primis varias Theologorum recitabo sententias quarum tres sunt celebriores. Prior est Gabrielis Vasquez qui post S. Thomam, Capreolum, Dominicum Soto, et fere omnes Thomistas materiam omnium Ordinum in porrectione constituit Instrumentorum; non exclusa tamen Manuum impositione, sed partem esse affirmans integrantem, non substantialem Sacramenti. Hujus opinionis praecipuum fundamentum ex Instructione desumptum est Eugenii IV. in qua sola Instrumentorum traditio tamquam Sacramenti hujus materia commemoratur. Alii e contra, Joannes scilicet Morinus, Goarius, Martene, et Juvenin, Drouenius, Witasse, quibus praeiverant jam S. Bonaventura Durandus, tenent solam impositionem Manuum substantialem esse, saltem Diaconatus ac Presbyteratus materiam, Instrumentorum vero exhibitionem pro materia habent dumtaxat integrante; eo ducti potissimo argumento, quod utraque Ecclesia, orientalis nempe et occidentalis in Diaconatus et Presbyteratus collatione vel ab ipsis initiis adhibuerint semper Manuum impositionem; Instrumentorum vero traditio in Ecclesiam latinam sero admodum invecta fuerit, in graeca autem numquam fuerit usurpata. Rerum difficultate Theologi complures, inter quos Ledesma, Hosius, et quantum ad Presbyteratum spectat, etiam Vasquez et Estius, commoti duplicem statuerunt Diaconatus ac Presbyteratus partialem materiam, Manuum nimirum impositionem, porrectionemque Instrumentorum. Ad quam adstruendam o-

pinionem argumentis moventur utriusque paullo ante commemoratae sententiae.

Judiciorum discrepantia quae inter Theologos est circa materiam non remissior est circa verba quae singulorum Ordinum constituunt formam. Longioris operae esset singulas hic recitare, quae in Euchologiis graecis Pontificalibusque latinis a quovis legi commode possunt. Sed illud dumtaxat satis sit animadvertere, quod qui volunt essentialem Ordinum materiam solam esse Mannum impositionem, tenent proinde illorum formam consistere in verbis quae a Ministro in ea impositione pronunciantur. Qui vero sacrarum Ordinationum essentialem materiam in Instrumentorum statuunt porrectione, formam quoque constituunt in verbis porrectionem illam comitantibus. Qui denique utramque materiam volunt esse substantialem, singula quae ab Ordinante utrique applicantur verba tenent Ordinationis esse formam. Mentem nunc aperiamus nostram sequentibus propositionibus.

CONCLUSIO I.

Manuum impositio est materia essentialis Ordinis.

Prob. 1. In Act. Apost. cap. 7. ubi Diaconorum describitur Ordinatio, ita legitur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis Manus.* Apostolus in ep. 1. ad Tim. cap. 4. *Noli*, inquit, *negligere Gratiam quae est in te, quae data est tibi . . . cum impositione Manuum Presbyterii.* Et in 2. cap. 1. ad eumdem: *Admoneo te ut resuscites Gratiam Dei quae est in te per impositionem Manuum mearum.* Haec aliaque superius allata aperte demonstrant Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos fuisse ab Apostolis per Manuum impositionem ordinatos; proindeque in impositione Manuum essentialem materiam consistere hujus Sacramenti.

Prob. 2. ex Ecclesiae tum graecae tum latinae praxi, quae in Ordine conferendo semper post Apostolos Manuum adhibuit impositionem. Concilium Nicaenum 1. can. 19. statuit Diaconissas accensendas esse Laicis, *quoniam nullam habent Manuum impositionem*. Concilium Antiochenum cap. 17. inquit: *Si quis Episcopus per Manuum impositionem Episcopatum acceperit etc.* Concilium Carthaginense 4. can. 2. Episcoporum Ordinationem sic describit: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput, et cervicem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, Manibus suis caput ejus tangant.* Can. 3. de Ordinatione Presbyterorum ita loquitur: *Presbyter cum ordinatur Episcopo eum benedicente, et Manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui praesentes sunt, Manus suas, juxta Manum Episcopi, super caput illius teneant.* De Diaconis tandem can. 4. inquit: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, Manum super caput illius ponat.* Eadem praxis eruitur ex Toletano 4. Concilio, ex Hispalensi 2. ex aliisque vetustioribus, et tandem ex Concilio Tridenti-

no. Accedit his auctoritas Romanorum Pontificum, Innocentii videlicet I. in ep. ad Episcop. Macedoniae, Caelestini I. in ep. ad Concilium Ephes. Gregorii M. in Decreto 5. Ita etiam Patres omnes graeci atque latini. Unde in dubium verti nequit quin utriusque Ecclesiae praxis ab Apostolis usque ad praesentia tempora descendens haec semper fuerit ut sacra Ordinatio per Manuum fiat impositionem; atque idcirco haec sit hujus Sacramenti materia.

CONCLUSIO II.

Etiam Instrumentorum porrectio est essentialis materia Ordinis, sed quatenus est impositionis Manuum ampliatio, non alio a Theologis sensu exposito.

Explicatur simul ac demonstratur thesis. Dum dico Instrumentorum traditionem esse materiam Ordinis essentialem, non sic intelligo quasi materia sit Sacramenti partialis ut multi Theologi tenent, ita ut duae sint partes unum symbolum componentes. Minime. Sed eo sensu Instrumentorum traditionem appello materiam essentialem, quod sit impositionis Manuum ampliatio quaedam ac veluti explicatio: adeo ut in Ordinis collatione antiquis temporibus sola adhiberetur manuum impositio; et Instrumenta post perfectum Sacramentum porrigerentur Ordinato, ut nunc fit apud Graecos; tempore autem procedente, Ecclesia latina manuum impositionem quae divinae est institutionis extenderit, ampliaverit, et veluti explicaverit per Instrumentorum porrectionem. Si hoc adhibeatur temperamentum, jam discrepantia Theologorum judicia facillime conciliantur. Neque expositio haec nova est aut ad libitum conficta, sed tradita olim a S. Bonaventura in 4. sent. dist. 24. art. 1. q. 1. et adoptata etiam ab Arcudio in lib. 6. Concord. graecae et latinae Eccl. Hoc idem insinuare voluisse videtur Benedictus XIV. in Const. de Ritibus Graecorum, ubi affirmat Ostiariatum et Acolytatum recipi a Graecis in Ordine Subdiaconatus in quo sacra vasa Ordinando non porriguntur. Praeterea Instrumentorum exhibitionem materiam esse Ordinis nimis aperte colligitur non modo ex Eugenii IV. Instructione pro Armenis in Florentino Concilio exarata, sed ex universae Ecclesiae latinae plurium saeculorum usu et consuetudine. Numquid latina Ecclesia materiam mutavit Sacramentorum, aut a Christi institutione, Apostolorumque recessit consuetudine? Absit. Addidisse veteri novam aliamque materiam ab illa quae ab Apostolorum aetate ac deinceps semper fuit usurpata quis affirmavit? Ecclesia enim potestatem quidem accepit a Christo novos ritus ac coeremonias adhibendi in administratione Sacramentorum, ut omnes ultro concedunt. Ast auctoritatem habere, statuta jam sensibilia signa vel immutare vel pro lubitu suo duplicare, nemo unus crediderit. Jam vero Instrumentorum traditio pura, putaque accidentalis coeremonia non est, neque ut talis a Latinis usurpata, quum determinata quaedam verba tamquam formam symbolum illud comitantia adhibeant.

Superest ergo ut dicamus vel latinam Ecclesiam turpissime a vero aberrasse, quod est absurdum ; vel Instrumentorum porrectionem extensionem esse et explicationem impositionis Manuum.

Hac posita rerum serie et expositione objectamenta omnia quae a trium sententiarum quas ab initio capitis recitavimus, patronis, ab uno videlicet adversus alterum afferuntur, fluxa prorsus sunt et inania. Si namque Morinus recentioresque plurimi qui cum eo faciunt omnis generis proferant argumenta pro Manuum impositione, illa nos ultro admittimus ; atque concedimus Manuum impositionem fuisse semper et adhuc esse substantialem materiam Sacramenti. Sed numquid Ecclesia non potuit materiam illam ampliare, et per Instrumentorum porrectionem explicare ? Si regerant alii post Vasquesium et Thomistas complures, Instrumenta quae Ordinando a sacro Ministro offeruntur materiam esse sacrae Ordinationis et Ecclesiae latinae vetustam consuetudinem, et Decretum urgeant Eugenii IV. Rom. Pontificis, eam nos sententiam non improbamus, dummodo non contendant aut per Ecclesiae latinae praxim aut per Eugenii Decretum Manuum impositionem excludi; nobisque concedant porrectionem Instrumentorum commemorari in laudata Instructione tamquam impositionis Manuum explicationem; atque hujus materiae potius quam alterius mentionem fecisse, quoniam impositio Manuum quae complexe Instrumentorum continet traditionem, jam ab Armenis qui latinae Ecclesiae in Sacramentorum administratione consuetudinem nosse desiderabant, sine ulla dubitatione admittebatur. Atque haec planior mihi videtur via ad discrepantes Theologorum sententias conciliandas.

CONCLUSIO III.

Forma Sacramenti Ordinis sunt verba quae a Ministro singulorum Ordinum materiae applicantur.

Non indiget propositio haec vel illustratione vel demonstratione. Semel enim admisso quod et Manuum impositio, et porrectio Instrumentorum una sit eademque Ordinis materia, in sensu proxime exposito, jam sua sponte sequitur singula verba quae in impositione Manuum, ac in Instrumentorum traditione ab Episcopo proferuntur, formam esse hujus Sacramenti ; adeo ut forma quae apud Graecos in sola consistit Oratione impositionem Manuum comitante fuerit ab Ecclesia latina divisa, et quando Episcopus in Presbyteratu v. g. conferendo Instrumenta porrigens dicit, *Accipe potestatem etc.* tunc perficiatur Sacramentum, atque Character imprimatur. Quare si Ecclesiae latinae antiqui Proceres solam impositionem Manuum cum Oratione illam comitante retinuissent; neque per quamdam ampliationem instituissent sacra porrigere Instrumenta Orationes id explicantes proferendo, validissima fuisset semper et esset sacra Ordinatio, quemadmodum valida nunc est et licita penes Graecos. Sed de difficili controversia satis.

CAPUT III.

An Ordo Episcopatus sit Sacramentum a Presbyteratu distinctum.

Tametsi celebrem eam controversiam: An singuli Ordines sive minores sive majores et sacri totidem sint Sacramenta, brevitati consulens, missam in antecedentibus fecerim, silentio tamen non praetermittenda mihi videtur alia: Utrum Episcopatus sit Sacramentum proprie dictum a Presbyteratu distinctum. Hanc enim quaestionem ad aliam gravissimam quam Catholici adversus Presbyterianos habent de Episcoporum dignitate ac praeminentia supra Presbyteros solvendam, admodum utilem si non omnino necessariam existimo. Si namque constet, aliam Episcopatum conferre sacramentalem Gratiam, aliumque a Presbyteratu Characterem imprimere, jam inficiare nemo poterit Episcopos anteponendos esse Presbyteris.

Verum Theologi catholici in hoc, ut et in aliis, ad invicem mirifice dissentiunt. Sancti enim Thomas et Bonaventura, et Scotus, aliique plures etiam inter recentiores, post Hugonem Victorinum ac Magistrum Sententiarum, Episcopatum Sacramentum non esse arbitrantur a Presbyteratu distinctum, quum ad consecrandi offerendique potestatem quae datur in Presbyteratu non ordinetur; quamvis spiritualem conferat facultatem non solum jurisdictionis, sed nonnullarum etiam actionum, Ministros puta Ecclesiae consecrandi, sacri Chrysmatis conficiendi, et alia faciendi hujus generis, quae simplicibus Presbyteris non conveniunt. Alii e contra numero et sapientia non inferiores, ut Estius, Sylvius, Bellarminus, et omnes fere recentiores Episcopatum Sacramentum esse, et ab Ordine Presbyteratus omnino distinctum, pro re certa indubitataque defendunt. Postremae huic tamquam probabiliori sententiae libenter subscribo.

CONCLUSIO I.

Episcopatus est Sacramentum a Presbyteratu distinctum.

Prob. 1. Ad verum legitimumque constituendum Sacramentum tria, ut saepe diximus, praecipue requiruntur; signum videlicet sensibile, seu materia et forma; Gratiae sanctificantis, et quoad aliqua Sacramenta spiritualis Characteris in anima impressio; et Christi Domini praecipui Sacramentorum auctoris institutio. Ast tria haec in Episcopatu reperiri res per se manifestissima est. Et primo quidem in episcopali Ordine conferendo adhibent proculdubio sacri Ministri materiam, impositionem scilicet Manuum; et non ex humana profecto aliqua pro lubitu inventa consuetudine, sed ex Traditione, et praxi Apostolorum qui per impositionem Manuum suos in Episcopos consecravere discipulos, ut patet ex Timothei, Titi, Pauli, Barnabae, aliorumque Ordinatione; unde Euchologia omnia graeca, et Pontificalia latina, post antiqua Concilia, Romanos Pontifices, innumerosque Patres, χειροτονίαν, seu Manuum impositionem pro Episcopatus materia praescripse-

runt. Usurpantur etiam in Episcopi inauguratione verba quae forma a Theologis dici vulgo solent, suntque illa eadem a Christo Domino olim prolata super discipulos suos, *Accipe Spiritum Sanctum*; eaque forma ex omnium retro saeculorum praxi pronunciatur ab Ordinante, juxta rituales Orientis ac Occidentis libros, dum consecrando in Episcopum imponit Manus, applicando nempe formam supra materiam, quod argumento est, effectum qui ab hoc producitur Ordine esse ex opere operato sicut in aliis Sacramentis. Quis dubitare praeterea poterit proprium episcopalis Ordinis effectum esse Gratiam sacramentalem? Nonne dare Spiritum Sanctum Ordinando, idem est ac Gratiam conferre et potestatem? Hinc Apostolus ad Tim. in ep. 1. cap. 4. scribebat: *Noli negligere Gratiam quae in te est, quae data est tibi . . . cum impositione Manuum Presbyterii*: Et in 2. ad eumdem cap. 1. *Admoneo te, ut resuscites Gratiam Dei quae est in te per impositionem Manuum mearum*, quando nimirum ordinavit eum Episcopum. Sed et indelebilem potestatem seu Characterem episcopalem imprimere inaugurationem vel ex eo luculentissime patet, quod si Episcopus per haeresim vel schisma ab Ecclesia separatus aliquem conferat Ordinem, ipsumque Episcopatum, Ordinatio ab eo peracta valida utique est, ut suo loco dicemus. Quare si idem ille ab haeresi vel schismate redeat ad Ecclesiam, Episcopatus ejus non iteratur. Superest nunc ut demonstremus episcopalem dignitatem esse a Christo institutam. Et quidem nemo revocare potest in dubium quin Apostoli primi fuerint evangelicae legis Episcopi; unde ex eorum discipulis Diaconos et Presbyteros et Episcopos per Manuum impositionem fecerunt, supremamque exercuerunt in Fideles potestatem, ut ex Actibus et Epistolis eorumdem Apostolorum aperte colligitur. Quis porro eos ordinavit Episcopos nisi Christus Dominus? Unde Apostolus Paulus in Act. Apost. cap. 20. affirmat Episcopos positos esse ad regendam Ecclesiam non ab hominibus, sed a Spiritu Sancto: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Habet ergo Episcopatus ea omnia quae ad veri Sacramenti requiruntur rationem. Cumque in Episcopi Ordinatione diversi ac in Ordinatione Presbyteri adhibeantur ritus, et rursus per eam initiationem recipiant Episcopi potestatem alios ordinandi, Chrysma conficiendi, conferendi Confirmationem, aliaque munera exercendi, quam potestatem non habent Presbyteri, Episcopalis Ordo Sacramentum est a Presbyteratu distinctum.

Prob. 2. Scripturae sanctae oracula quae adversus haereticos Ordinem universim esse Sacramentum demonstrant, suadent ex consequenti Sacramentum esse etiam Episcopatum in particulari. Nam testimonia Pauli ad Tim. in ep. 1. cap. 9 et in 2. cap. 1. aliaque superius producta quae a Theologis nostris pro catholico adstruendo dogmate afferuntur, directe scripta sunt de Episcopatu, ut ex illorum sola lectione apparet; unde aut nullum eruere possumus ex Scriptura argumentum adversus haereticos, aut Episcopatus est revera Sacramentum. Hinc Tridentina Synodus sess. 23. cap. 3. *Cum Scripturae testimonio, inquit, apostolica Traditione, et Patrum una-*

nimi consensu perspicuum sit, *per sacram Ordinationem quae verbis et signis exterioribus perficitur*, *Gratiam conferri*, *dubitare nemo debet*, *Ordinem esse vere*, *et proprie unum ex septem Sanctae Ecclesiae Sacramentis : inquit enim Apostolus*, *Admoneo te*, *ut resuscites Gratiam Dei quae est in te per impositionem Manuum mearum*. *Non enim dedit nobis spiritum timoris*, *sed virtutis*, *et dilectionis*, *et sobrietatis*. Habes in hac brevi sententia indicata omnia argumenta superius producta quae Episcopatum Sacramentum esse demonstrant a Presbyteratu distinctum. Duplex alia accedit ex eodem Concilio deprompta ratio. Prima est, quod cap. ejusdem sess. declararunt Patres, *praeter ceteros ecclesiasticos gradus*, *Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt*, *ad hunc hierarchicum Ordinem praecipue pertinere*. At Diaconatus et Presbyteratus qui ad hierarchicum spectant Ordinem vere sunt Sacramenta. Cur ergo non erit Episcopatus? Altera est quod Concilium statuit, *Episcopos Presbyteris superiores esse*, *ac Sacramentum Confirmationis conferre*, *Ministros Ecclesiae ordinare* ; *atque alia pleraque peragere ipsos posse*, *quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent*. Quare quum ex Sacerdotii Ordine dignitas episcopalis de jure divino non descendat, Sacramentum esse debet a Presbyteratu distinctum. Testimonia Patrum ad rem hanc pertinentia, quae non pauca sunt, ne in longum nimis abeat oratio consulto praetermitto; quum videri facile possint apud omnes recentiores de re sacramentaria tractatores.

Nonnullae difficultates enodantur.

Obj. 1. Si episcopalis dignitas Sacramentum dicatur a Presbyteratu distinctum, non septem jam, ut Ecclesia latina tenet, sed octo erunt Ordines, quod absurdum videtur. II. Singuli Ordines respectum aliquem habent ad Eucharistiam conficiendam, offerendumque Sacrificium. Episcopatus autem ad Eucharistiam et Sacrificium relationem non habet nisi ratione Presbyteratus; unde Sacramentum a Presbyteratu distinctum appellari non potest. III. non confert Episcopatus sacramentalem sibi propriam Gratiam, nec specialem ab illo Presbyteratus imprimit Characterem. Nam eadem in Episcopi ac Presbyteri inauguratione materia adhibetur, impositio scilicet Manuum, eademque forma, *Accipe Spiritum Sanctum* etc. unde duo non sunt distincta Sacramenta.

Resp. ad 1. Stare utique potest cum hac nostra sententia numerus Ordinum septenarius. Episcopatus siquidem in Ordine comprehenditur Sacerdotii quum summum sit Sacerdotium. Hinc Optatus Milevitanus lib. 1. Episcopos in primo, et Presbyteros in secundo ordine collocat. Et leges imperiales *de secundis* pertractant *sacerdotibus*. Sacerdotium enim in Episcopatum cujus munus est sacros ordinare Ministros, sanctum conficere Chrysma, Confirmationem conferre Neophitis etc. ac Presbyteratum, per quem Eucharistia conficitur et offertur. Quare Tridentina Synodus ubi sess. 23. cap. 2. septem Ordines enumeravit, supremum, non Presbyterorum, sed

Sacerdotum appellavit, hanc insinuans divisionem in Episcopatum et Presbyteratum. Accedit his quod penes antiquos Patres nostros etiam latinos, ut de Graecis non loquar, de numero Ordinum certa sententia non est, aliis ampliorem, angustiorem aliis cathalogum statuentibus.

Ad 2. Falsum est Episcopatum nullam ad Eucharistiam habere relationem. Non consecratur certe quis in Episcopum ut conficiendae Eucharistiae potestas ei tribuatur, hanc enim accepisse supponitur per Presbyteratum. Ast quum potestas ei conferatur sacros ordinandi Ministros qui Eucharistiam conficiant et offerant, quis dubitare poterit Episcopatum ad Eucharistiam non ordinari? Quod si Ostiariatus cujus munus est Templi fores ubi divina celebrantur Mysteria custodire relationem habet ad Eucharistiam, hanc negabimus illi qui consecrat Ministros Eucharistiae?

Ad 3. Episcopatum Gratiam tribuere Ordinato sanctificantem et Characterem, quae duo sint illi propria et non cum Ordine communia Presbyteratus, in propositionis nostrae demonstratione satis superque probatum est. Nec refert quod eadem sensibilia signa in utroque conferendo Sacramento adhibeantur, forma enim dici potest eadem quoad materialia verba, sed diversa proculdubio est, ut inquiunt, *in genere moris*, quum per illam plenitudo communicetur Spiritus Sancti, quod plane non fit in Presbyteratu, et distincta ac amplior Episcopo quam Presbytero concedatur potestas, ut ex proxime dictis apparet.

Obj. 2. Quoniam ecclesiastici Ordines, Diaconatus praesertim ac Presbyteratus Sacramenta vere sunt, statuit Ecclesia ut Ordinationes quatuor anni determinatis temporibus fiant. Ast Episcopatus singulis Dominicis diebus et in Natalitiis Apostolorum conferri debet; quod argumento est non esse Sacramentum a Presbyteratu diversum. II. etsi Patriarchae et Archiepiscopi dignitas amplior sit dignitate episcopali, nihilominus duo illi gradus Ecclesiae Sacramenta non sunt, sive ab invicem sive ab Episcopatu distincta. Similiter ergo quamvis episcopalis gradus longe Presbyteri superet dignitatem, tamen non consequitur Episcopatum ac Presbyteratum tamquam duo Sacramenta distingui. III. si quis per saltum, ut ajunt, ad majores Ordines promoveatur, aliquo scilicet praetermisso ex minoribus, quum majores Ordines imprimant Characterem, iterari minime possunt. Ast nemo e contra ordinari potest Episcopus nisi in ordine Presbyteratus sit constitutus. IV. veteres Patres inter quos Ignatius et Augustinus diserte testantur praestantiorem Ecclesiae dignitatem esse Sacerdotium. Episcopatus ergo et Sacerdotium unum idemque sunt Sacramentum.

Resp. ad 1. Ratio cur Ordines sive minores sive majores sint Sacramenta desumi non debet ex tempore quo fieri in Ecclesia solent Ordinationes, sed ex Christi institutione aliisque superius expositis conditionibus; alioquin quoties urgente necessitate extra quatuor anni tempora ex dispensatione conferuntur, Sacramenta non essent, quod est absurdum. Ex lege autem ecclesiastica jure meritoque statutum est ut Episcopatus omnium Ordinum praestantissimus in diebus vel Deo vel Natalatiis Apostolorum quorum successores sunt Episcopi, dicatis conferatur. Imo hoc idem Epi-

scopatum a Presbyteratu differre demonstrat; non enim in quatuor anni temporibus ut Presbyteri, Episcopi sunt consecrandi.

Ad 2. Potestas Ordinis a potestate jurisdictionis sedulo destinguenda est in Episcopatu. Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha distinguuntur ab invicem per jurisdictionis, non autem per Ordinis potestatem quae eadem est in singulis, quo sensu Cyprianus inquit: *Episcopatus unus est;* alioquin Episcopus qui ampliori praesidet dioecesi, major in potestate Ordinis esset illo cui dioecesim contigit regere angustiorem.

Ad 3. In primis nemo nisi baptizatus promoveri potest ad Presbyteratum. Ergone Presbyteratus a Baptismate non distinguitur? Falsissima illatio; quoniam sic fieri debet ex supremi Legislatoris institutione. Similiter consecrari nemo in Episcopum potest nisi Presbyter fuerit, quia sic praecepit Christus Dominus: et merito, dignitas enim episcopalis eximia est ac praestantissima. Addi potest et alia ratio, quoniam videlicet munera omnia episcopalia ob illorum excellentiam inter Missarum sollemnia, sacrisque adstantibus et inservientibus Ministris sunt perficienda.

Ad 4. Loquuntur Sancti Patres de Sacerdotio quatenus Presbyteratum sub se continet et Episcopatum.

CAPUT IV.

An Episcopi de jure divino in potestate ac jurisdictione sint Presbyteris superiores.

Celebris est aeque ac antiqua Catholicos inter et haereticos controversia: an Episcopi de jure divino superiores sint in potestate ac jurisdictione simplicibus Presbyteris. Saeculo enim Ecclesiae 4. Aerius quum Episcopatum quem ambierat, obtinere nequiverit, Episcopum a Presbytero nullo modo in dignitate differre delirare coepit, ut testes sunt Epiphanius, et Augustinus. Eidem luto eamdem ob caussam Wicleffus, quod vigorniensem Episcopatum sibi ereptum crediderit, invidia tabescens pedes figere voluit. Et quoniam Calvinus ob solemnes ejus errores ab Episcopis omnibus, pronunciata excommunicationis sententia, fuerit ab Ecclesia ejectus, tam ingenti odio hierarchicum ejusdem Ecclesiae Ordinem insectatus est, ut Aerii et Wicleffi deliramenta adoptare non dubitaverit; quamvis veritate cogente negare non potuerit inter Episcopum Presbyterumque distinctionem, jam a priscis temporibus humano jure fuisse inductam. Huic calviniano dogmati mordicus adhaerent nunc qui presbyteriani dicuntur in Anglia, et calvinistae omnes puritani, sic nuncupati; in eoque propugnando errore calamum exercuerunt inter reliquos novatores Basnagius, Salmasius, Blondellus. Catholicorum e contra sententiam quae Episcoporum supra Presbyteros tenet dignitatem et excellentiam, eruditissimis dissertationibus defenderunt innumeri, sed Petavius praesertim, Natalis Alexander, Witasse, Berti, aliique; ex quibus pauca haec in epitomen redacta nos collegimus.

Verum antequam catholicum dogma argumentis confirmare aggredia-

mur, ne heterodoxi in hac versanda controversia fucum nobis faciant similitudine verborum, animadvertendum sedulo est, ex nudis nominibus, *Apostoli*, *Episcopi*, *Presbyteri*, immo et *Diaconi*, nullum in catholicae sententiae praejudicium desumi posse argumentum; quum nomina haec antiquitus promiscue tribuerentur Episcopis, Presbyteris, atque Diaconis. Et re quidem vera, in ep. ad Hebr. cap. 3. Christus Dominus vocatur *Apostolus*; quo nomine Matth. cap. 20. et Luc. cap. 6. cohonestati fuerunt duodecim praecipui ejusdem Christi discipuli, et in Act. Apost. Paulus quoque et Barnabas, et Andronicus, et Junius. Petrus in ep. 1. cap. 2. appellare Christum non dubitat *Episcopum animarum nostrarum*; idemque nomen Rectoribus qui constituunt Presbyteros, aut aliquam Ecclesiae curam gerunt, tribuitur in Act. et Ep. Apostolorum. Petrus et Joannes in eorum epistolis seipsos aliosque Ecclesiae Praefectos nuncupare *Presbyteros* non dedignantur. *Diaconi* quoque nomen a Paulo in ep. ad Colos. tribuitur Archippae qui alibi ab ipso Paulo commilito suus, et a Hieronymo dicitur Episcopus. Atque hoc observatum jam fuerat a Chrysostomo pluribus in locis, et hom. praesertim 1. in ep. ad Philip. cap. 1. scribente: *Antiquitus ipsi etiam Presbyteri vocabantur Episcopi, et Diaconi Christi, et Episcopi Presbyteri*: respectu nempe habito ad nominum ethymologiam variaque sacrorum officia Ministrorum. Hinc Episcopi prioribus illis saeculis vel ad Presbyteros vel ad Diaconos scribentes, appellare seipsos non verebantur eorum *Compresbyteros* vel *Condiaconos*. Hoc adnotatum in antecessum volui, quoniam praecipua puritanorum adversus Catholicos argumenta ex promiscua nominum illorum usurpatione desumuntur, quod vanum prorsus mihi videtur. Nam quid turpius, ut Augustinus inquit, quam cum constet de re, certare de nomine? Sed bonae causae confisi alacres in arenam descendamus.

CONCLUSIO

Episcopi in potestate ac jurisdictione superiores sunt Presbyteris de jure divino.

Prob. 1. Scripturis. I. Ecclesia veteris Testamenti quae in plerisque figura fuit Ecclesiae novi Testamenti ex institutione divina hierarchicum habuit Ordinem; unde Aaron ac filii ejus Sacerdotibus cunctis atque Levitis ex Domini praecepto praesidebant, ut constat ex libris Exodi et Levitici; nec diffitetur Calvinus qui in lib. 4. Instit. cap. 6. scribit: *Cultus sui sedem in medio terrae Deus collocavit, illic unum Antistitem praefecit quem omnes respicerent*; quod idem Magdeburgenses etiam affirmant Cent. 1. cap. 7. Par est ergo ut Ecclesia etiam novi Testamenti suum habeat hierarchicum Ordinem, dicente Apostolo in ep. ad Hebr. cap. 5. non omnes promiscue Fideles posse Altari inservire, sed illum dumtaxat *qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Verum sicuti sacra veteris Testamenti hierarchia in eo consistebat ut Sacerdotes et Levitae subderentur Aaronis filiorumque auctoritati, ita hierarchicus Ordo novi Testamenti in eo reponendus est ut

Episcopus potestatem habeat in Presbyteros atque Diaconos. Argumentum est S. Hieronymi qui in ep. ad Evangelum, quam totam suam jactant puritani, ita loquitur: *Ut sciamus Traditiones apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus, atque Levitae in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri, et Diaconi vendicent in Ecclesia.* II. Christus Dominus postquam septuaginta discipulos elegerat, ex illis duodecim quos Apostolos nominare voluit, sibi segregavit: *Et cum dies factus esset vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex illis, quos et Apostolos nominavit,* inquit Lucas cap. 6. Duodecim autem selectos Apostolos superiores in potestate ac jurisdictione reliquis fuisse discipulis, ex tota apparet evangelicae historiae serie, in qua Petrus et alii Apostoli primi semper nominantur, et Concilia ad eligendos Diaconos, ad sufficiendum in locum proditoris Mattham, ad controversiam de legalibus dirimendam, convocant, et Christo praeceptori semper adhaerent, et ita per reliqua discurrendo. Ast nemo negare audebit Episcopos successores esse Apostolorum, uti Discipulorum Presbyteri. Et si quis id inficiari voluerit, reprehensores experietur in primis Gregorium Nyssenum qui explicans illa Exodi verba, *Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi duodecim erant fontes aquarum, et septuaginta palmae,* ita scribit: *Fontes quidem duodecim sunt ipsi Apostoli . . . septuaginta vero palmae post duodecim Apostolos ordinati Discipuli sunt.* Tum S. Hieronymum in ep. ad Fabiolam ubi inquit: *Nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit . . . Juxta has aquas creverunt septuaginta palmae, quos et ipsos secundi ordinis intelligimus praeceptores, S. Luca Evangelista testante duodecim fuisse Apostolos, et septuaginta Discipulos minoris gradus . . : de quibus et Paulus refert quod apparuerint primum undecim; deinde Apostolis omnibus, alios volens intelligi primos, et alios secundos Christi Discipulos.* Denique et Ven. Bedam lib. 3. in Lucam. cap. 42. *Sicut duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere, simul et praemonstrare nemo est qui dubitet, sic et hos septuaginta duos figuram Presbyterorum, idest secundi ordinis Sacerdotium gessisse.* Unde sicuti Apostoli superiores erant Discipulis, ita et Episcopi eminentiores sunt Presbyteris. III. Episcoporum in alios Ecclesiae Ministros suprema potestas apertissime apparet ex Pauli tum ad Titum tum ad Timotheum epistolis ex quarum lectione in primis colligitur eumdem Apostolum utrique manus imposuisse ut Episcopi consecrarentur, quod profecto illius ostendit supereminentem dignitatem. Deinde ad Titum cap. 1. inquit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt, corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Porro qui Presbyteros per civitates constituit, nonne illorum rector est ac moderator? Timotheum autem Ephesiorum Episcopum a se destinatum, verum agnoscit ac legitimum judicem Presbyterorum, sic ad illum scribens: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus. Peccantes autem coram omnibus argue.* Unde Epiphanius adversus Aerium inquit: *Quid autem attinebat Episcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem*

haberet? Non alicui ex Presbyteris praecepit ut accusationem contra Episcopum non admitteret, aut ut Episcopum non objurgaret.

Prob. 2. ex vetustissima ac perpetua Ecclesiae Traditione, incipiendo a S. Clemente Romano qui discipulus ac in romana Cathedra successor fuit Principis Apostolorum. Is ergo in ep. 1. ad Cor. quae ab eruditis omnibus ut genuina recipitur, ita de Apostolis scribit: *Per regiones igitur et urbes Verbum praedicantes . . . Episcopos et Diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt.* Ait subinde praenunciatum id fuisse in veteri Testamento, et e vestigio subdit: *Et quid mirum, si quibus a Christo Deo hoc munus commissum fuit, praedictos constituerint?* Et rursus: *Apostoli nostri cognoverunt, contentionem de nomine Episcopatus oborituram; atque ob hanc caussam . . . constituerunt praedictos, ac descriptas deinceps Ministrorum, officiorumque vices reliquerunt, ut in defunctorum locum alii viri probati succederent, et illorum munera exequi possent.* Prosequitur adhuc: *Summo quippe Sacerdoti sua munia tributa sunt, et Sacerdotibus locus proprius assignatus est, et Levitis sua ministeria incumbunt.* Haec adversus puritanos peremptoria sunt; affirmat enim sanctus ille Martyr ac Pontifex Apostolos primitus constituisse et quidem ex Christi mandato Episcopos: docet deinde, eosdem Apostolos futurorum eventuum praescios voluisse ut constitutis ab eis Episcopis alii post illorum mortem substituerentur: distinguit praeterea tria hominum genera, Episcoporum videlicet, Diaconorum, Laicorum: tradit denique sua cuique, nempe Episcopis, Presbyteris, Diaconis stare distincta munera; affirmat ergo Episcopos superiores esse et quidem de jure divino Presbyteris, sicuti de jure divino Presbyteri Diaconis, et utrique Laicis superiores sunt. Alter Apostolorum discipulus Ignatius qui secundi saeculi initio Romae pro Christo Martyr obiit, in suis ad varias Ecclesias epistolis adeo luculenter catholicam de Episcoporum praeeminentia statuit sententiam ut presbyteriani aliam ad argumentorum vim elevendam non invenerint viam quam illarum epistolarum denegare genuinitatem; quam tamen innumeri non ex nostratibus modo, sed ex protestantibus, eruditissimis dissertationibus pro aris et focis defendunt. Ignatius itaque in ep. ad Ephes. ita ad rem nostram fatur: *Jesus Christus inseparabilis nostra vita, Patris est sententia, ut et Episcopi per terrae terminos definiti, ex Jesu Christi sunt sententia. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod et facitis.* In ep. ad Magnesianos: *Sed et vos decet, non familiarius, ac superbe uti aetate Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam, sicuti novi sanctos facere Presbyteros.* Et paucis interjectis, *In honorem igitur*, inquit, *illius qui vult, decet vos obedire sine ulla hypocrisi.* In ep. ad Trallianos: *Cuncti similiter revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi; et Episcopum, ut eum qui est figura Patris; Presbyteros autem, ut consessum Dei . . . Sine his Ecclesia non vocatur.* Et ne per singulas epistolas excurram, quod longioris esset operis, in ep. ad Smyrnaeos ita scribit: *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem; et Presbyterum, ut Apostolos. Diaconos autem revereami-*

ni, ut Dei mandatum. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa quae sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Brevitati studens mitto reliqua, quum pauca haec ad rem nostram satis superque sufficiant. Praeclara sunt etiam quae scripsit Hegesippus de Simeone Cleophae filio qui in jerosolymitano Episcopatu Jacobo successit, quaeque legi possunt apud Eusebium lib. 4. Hist. eccl. cap. 22. Clemens Alexandrinus sine ulla ambage verborum hierarchicum in Ecclesia ex divina institutione statuit Ordinem dicens in lib. 3. Pedag. cap. 12. alia in sacris Litteris data esse praecepta Episcopis, alia Presbyteris, et alia Diaconis: quod et repetit lib. 6. Strom. ubi sic inquit: *Nam et hic quoque in Ecclesia sunt progressiones Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum.* Multa afferri possent ex Origene, sed paucis his contenti simus. Hom. 29. in Num. *Putasne*, inquit, *qui Sacerdotio funguntur, et in sacerdotali Ordine gloriantur, secundum Ordinem suum incedunt, et agunt omnia quae illo Ordine digna sunt? Et unde est, quod saepe audimus blasphemare homines, et dicere: Ecce qualis Episcopus, aut qualis Presbyter, aut qualis Diaconus.* Hom. autem 2. in Jerem. *Plus a me exigitur quam a Diacono,* (Origenes enim Presbyter erat) *plus a Diacono quam a Laico. Qui vero totius Ecclesiae arcem obtinet Episcopus, pro omni Ecclesia reddet rationem.* Numquid luculentius superioritatem Episcoporum, diversosque in Ecclesia gradus distinguere poterat Origenes? Hoc apertissime statuit etiam Tertullianus qui in lib. de Bapt. cap. 17. inquit: *Dandi quidem Baptismi habet jus summus Sacerdos, dehinc Presbyteri, et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem, quo salvo, salva pax est.* Splendidissimum africanae Ecclesiae lumen S. Cyprianus in ep. 27. *Dominus noster*, inquit, *cujus praecepta metuere et observare debemus, Episcopi honorem, et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Inde pro temporum et successionum vice Episcoporum Ordinatio, et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, etc.* In ep. 69. scribit: *Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo.* Habes in hisce Cypriani verbis eximiam Episcoporum dignitatem, et ex institutione quidem divina. Optatus Milevitanus quatuor recenset hominum classes qui Christi Ecclesiam componunt, Episcopos nimirum Presbyteros, Diaconos, Laicos. Vide lib. 1. cont. Donat. S. Athanasius in ep. ad Dracontium: *Priusquam*, inquit, *gratiam Episcopatus accepisses, nulli notus eras. Jam vero cum sis ordinatus, te populi expectant. Si tibi constitutio Ecclesiae non placet, aut nullam omnino mercedem Episcopi functioni destinatam arbitraris, et Servatorem qui eam ita instituit, contemnis, oro te ne istiusmodi quid in mentem admittas . . . Nam quae Dominus per Apostolos instituit, et bona sunt et firma.* Quid clarius? Ne in longum nimis absque necessitate abeat oratio, mitto Gregorii Nazianzeni, Basilii, Hilarii, Epiphanii,

aliorumque tum graecorum tum latinorum Patrum sententias quae collectae videri possunt apud Carolum Witasse: neque ad Augustini auctoritatem provoco adversarios, quum S. Doctor sui temporis presbyterianos, nempe Aerium ejusque discipulos inter haereticos ab Ecclesia damnatos recensuerit; et in perscrutanda S. Hieronymi circa hanc controversiam mente paulisper immorabor; hujus enim eximii Doctoris auctoritate puritani adeo abutuntur, ut Blondellus dissertationi ad falsum suum dogma tutandum elucubratae, titulum fecerit, *Apologia S. Hieronymi*. Hieronymus ergo in primis hanc de Episcoporum praeeminentia controversiam eadem pertractat methodo ac serietate qua graviora Fidei dogmata versari solent: et quemadmodum haec ex veteri Testamento in quo, ut plurimum, praefigurata sunt demonstrantur, ita in veteri Testamento adumbratam fuisse testatur dignitatem Episcoporum. Nam Comm. in cap. 19. Isaiae inquirens quid illae quinque civitates quae chananaeam linguam loquuturae erant, significarent, inquit: *Quinque civitates quinque Ecclesiae Ordines, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, Cathecumenos sentiunt.* In caput ejusdem Prophetae 61. verba illa, *Ponam principes tuos in pacem*, *et Episcopos tuos in justitiam*, ita fatur: *Principes futuros Ecclesiae Episcopos nominavit.* In Michaee caput 7. *Nolite*, inquit, *credere in Ducibus*, *non in Episcopo*, *non in Presbytero*, *non in Diacono*, *non in qualibet hominum dignitate. Non hoc dico, quod istiusmodi gradibus non debeatis esse subjecti . . . Sed quod aliud sit honorare Duces*, *aliud spem habere in Ducibus. Honoremus Episcopum*: *Presbytero deferamus*: *assurgamus Diacono*; *et tamen non speremus in eis.* In ep. ad Nepotian. *Quod Aaron et filios ejus*, *hoc Episcopum et Presbyteros esse noverimus.* Haec et similia de Episcoporum praeeminentia Hieronymus habet nonnulla loca exponens veteris Testamenti. Non absimili modo loquitur novum interpretans Testamentum, et alibi saepe puta Comm. in cap. 26. Matth. scribit: *Quod fecerunt Apostoli per singulas provincias Presbyteros et Episcopos ordinantes*. Ubi duos illos in Ecclesia gradus aperte distinguit. Clarius adhuc in ep. ad Tit. cap. 1. explicans illa verba, *Et constituas per civitates Presbyteros*, scribit: *Audiant Episcopi*, *qui habent constituendi Presbyteros per urbes singulas potestatem.* In Apol. 1. cont. Rufin. *Quomodo inter homines ordo dignitatum ex laborum varietate diversus est*, *cum Episcopus*, *et Presbyter*, *et omnis ecclesiasticus gradus habeat Ordinem suum*. Si in adversariorum sententia fuisset Hieronymus, ut Blondellus sibi suadet, illam manifestare maxime debuisset loquens aut scribens de Joanne jerosolymitano qui cum eodem Hieronymo in caussa Origenistarum simultates fovebat. Et nihilominus scribens de eodem Joanne ad Theophilum Alexand. ita fatur: *Non sumus tam inflati cordis*, *ut ignoremus*, *quid debeamus Sacerdotibus Christi*; *qui enim eos recipit*, *non tam eos recipit quam illum cujus Episcopi sunt. Sed contenti sint honore suo*; *patres se sciant esse*, *non dominos.* In ep. ad Marcellam Catholicos opponens montanistis, *Apud nos*, inquit, *Apostolorum locum Episcopi tenent*. Quod repetit in ep. ad Heliodorum. In epitaphio nepotiani affirmat Episcopum superare Regem in

dignitate. Ob nonnullas itaque subobscuras a S. Doctore adhibitas phrases, non debuit Blondellus in erroris sui patrocinium tam fidenter illum advocare.

Prob. 3. Plura alia a polemicis nostris scriptoribus afferri solent adversus presbyterianos argumenta quae legi possunt apud Natalem Alexandrum ac Joannem Laurentium Berti. Unumque nos addemus, quod invictissimum ab omnibus existimatur. Est autem hujusmodi. Blondellus aliique, et ante et post ipsum calviniani systematis sui hoc jaciunt fundamentum, quod usque ad annum Christi 136. Sacerdotes omnes essent dignitate pares; omnes promiscue, modo Episcopi, modo Presbyteri appellarentur; collatisque ex aequo consiliis in communi Ecclesias gubernarent; subinde vero distinctionem inter utrosque coepisse; et Episcopos Presbyteris superiores fuisse constitutos; unde concludunt praeeminentiam illam esse non de jure divino, sed de jure dumtaxat humano; atque idcirco potuisse Calvinum qui ad Ecclesiam venerat, ut sectatores sui arbitrantur, reformandam, post Aerium atque Wiclefum jam ab Ecclesia damnatos, discretionem illam de medio tollere, et penitus abolere, quo purior sit christiana Religio; unde ortum puritanorum nomen. Verum si res ita se habeat, jam Christi Ecclesia vel a primis temporibus quae aurea a cunctis appellantur, humana jura divinis admiscendo, corrupta est; eamque corruptionem non agnoscens Ecclesia, tamquam haereticos a sua Communione removit Aerium primitus, tum Joannem Wiclefum, donec Calvinus de caelo delapsus pristino candori Ecclesiam restituit. Haec sunt portenta quae deglutire coguntur protestantes. Atqui falsissimum est, si superis placet, quod tam audacter affirmant puritani, distinctionem nimirum inter Episcopum et Presbyterum agnosci caepisse in Ecclesia post annum Christi 136. quum ex hactenus disputatis luce meridiana clarius appareat, vel a tempore Apostolorum discrimen illud viguisse. Apostoli namque suum cuique Ecclesiae dederunt Episcopum a Presbyteris penitus diversum. Paulus v. g. Ephesi ubi multi erant Presbyteri Episcopum consecravit Timotheum: toti insulae Cretae praeposuit Episcopum Titum cum facultate Presbyteros ordinandi in singulis urbibus: Athenis creavit Episcopum Dionysium. Petrus quoque reliquit post se Episcopum Romae Linum, hunc excepit Cletus, post hujus mortem Clemens suffectus fuit, et ita porro de reliquis. Marco Episcopo Alexandrino successit Anianus, huic substitutus Savilius, tum Cerdo etc. Post Principem Apostolorum sederunt in Cathedra episcopali antiochena Evodius, deinde Ignatius cum reliquis post eum. Jacobus electus ab Apostolorum collegio primus jerosolymorum Episcopus habuit post se Simeonem Cleophae, et ita per singulas Ecclesias excurrendo. Argumentum hoc fuse et egregie versat adversus cavillationes Blondelli Natalis Alexander, et maximi ponderis existimatum fuit semper a veteribus Patribus nostris; unde Tertullianus, Irenaeus, Optatus Milevitanus, Augustinus, ut erroris suorum temporum haereticos revincerent, ad Episcoporum successionem tamquam ad arcem confugiebant. Quare concludere fidenti animo possumus quod si ab Apostolorum aetate ac semper deinceps per successiva tempora fuerunt in Ecclesia Episcopi a Presbyteris in dignitate distincti, iisque superiores, jam caussa

sua ceciderunt tum Blondellus tum Presbyteriani, seu Puritani omnes, qui Blondellum praecesserunt, illumque secuti sunt. Reliqua argumenta vide apud tractatores nostros.

CAPUT V.

Praecipuae Presbyterianorum cavillationes eliminantur.

Obj. 1. Ex sacris litteris haec Puritanorum nomine collegit argumenta Blondellus. Nullam, inquit, Episcopos inter ac Presbyteros statuit Scriptura distinctionem; immo e contra. Et primo quidem Act. cap. 20. narratur Paulum vocasse a Mileto Majores natu, sive, ut graece habetur, Presbyteros ephesinae Ecclesiae, illisque dixisse, *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Duo hic observanda sunt. Unum, quod Apostolus illos eosdem nunc Presbyteros appellat, nunc vero Episcopos. Alterum, quod cum essent Ephesi Presbyteri, omnibus in communi regimen illius Ecclesiae commendat. Primis ergo temporibus non erant Episcopi in dignitate Presbyteris superiores. Deinde idem Paulus in ep. ad Philip. cap. 1. Episcopos commemorat atque Diaconos nulla facta Presbyterorum mentione. Qua de caussa, nisi quia tunc Presbyteros inter et Episcopos nullum plane discrimen erat? Praeterea etiam Petrus in 1. sua Ep. cap. 1. Ecclesiae regimen non Episcopis commisit, sed Presbyteris: *Seniores* (graece πρεσβυτέρους Presbyteros,) *qui in vobis sunt obsecro . . . Pascite qui in vobis est gregem Dei*. Unde munus quod nunc ad Episcopos spectat, commissum tunc erat in communi Presbyteris. Hinc Paulus 1. ad Tim. 4. commemorat *Presbyterium*: et cap. sequenti Presbyteri dicuntur *qui* Fidelibus *praesunt*.

Resp. Jam haec a nobis praeoccupata sunt ab initio, atque idcirco veteres novique aeriani haec et similia effutientes oleum perdunt et operam. Nomina siquidem isthaec, *Episcopus*, *Presbyter*, *Diaconus*, immo et *Apostolus*, communia profecto erant multis antiquitus, ut post graecos Patres et Hieronymum aliquot exemplis demonstravimus, sed non communis erat honor, dignitas, atque potestas. Et sicuti ex quo Christus in Scripturis dicatur Apostolus et Episcopus, et Apostoli Presbyteri et Diaconi, non consequitur eamdem Christi et Apostolorum, vel Apostolorum aliorumque Ecclesiae Ministrorum potestatem esse ac dignitatem, ita ex quo Episcopi modo Presbyteri, modo Diaconi appellentur et vicissim, colligi nequit parem omnibus stetisse honorem et auctoritatem, sed unusquisque sub communi nomine suum exercebat Ministerium, quemadmodum nostris etiam temporibus alium habet in Ecclesia gradum Episcopus, alium Presbyter, aliumque Diaconus, ipsis fatentibus adversariis, et nihilominus omnes in communi Clerici appellantur. Sed propagata subinde per universum orbem Christiana Religione, ne perturbatio aliqua ob nominum similitudinem in ecclesiasticam irreperet Hierarchiam, diversi illius gradus diversis sunt distincti nominibus, ut Chrysostomus observavit hom. 1. in

Ep. ad Philip. *Procedente tempore proprium cuique distributum est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vero Presbyter appellaretur*. Neque catholico dogmati quidquam officit, quod Apostoli Ecclesiae curam et sollicitudinem commendarent Episcopis promiscue atque Presbyteris, quos simul junctos Presbyterium appellant. Nam omnes revera Ministerio incumbebant, et singuli ampliandae conservandaeque Religioni studebant. Sed numquid omnes eodem modo, parique auctoritate? Minime. Sed Episcopi ut supremi Hierarchae, Presbyteri Episcopis subordinati, sicuti et Diaconi Presbyteris, singuli propria munera exercebant. Hinc Paulus Tito atque Timotheo, non omnibus indiscriminatim Presbyteris, mandat ut praesint, et laborent in verbo et doctrina, ut caussas dirimant Ecclesiasticorum, ut Presbyteros constituant per civitates. Quod si Paulus ad Philip. scribens, salutatis Episcopis et Diaconis, Presbyteros omittit, non hos proinde excludere intendit, sed Episcoporum vel Diaconorum nomine universum forte ecclesiasticum intelligit Ministerium, vel quia a Religionis christianae primordiis apud Philippenses Episcopi dumtaxat erant cum Diaconis ad Ministerium, quum *Nulla res sit quae ab initio suis omnibus numeris sit absoluta; sed procedente demum tempore, sua opportunitatibus omnibus ad perfectionem accessio contigit*, inquit Epiphanius haer. 75. adv. Aerium.

Obj. 2. Presbyteriani cum eodem Blondello testimonia urgentes veterum Patrum. Et I. quidem ad S. Clementis Romani provocant auctoritatem, qui in Ep. 1. ad Cor. duas tantum Ecclesiae Ministrorum classes recenset, Episcoporum videlicet et Diaconorum, praetermissa Presbyterorum commemoratione, quod et complures alii fecerunt, et Polycarpus praesertim in Ep. ad Philip. et Justinus martyr in Apol. 1. et Clemens Alexandrinus in lib. 7. Strom. et Hilarius in Psal. 134. unde consequitur nullam antiquitus fuisse Presbyterum inter et Episcopum distinctionem. II. idem Clemens ad Corinthios non suo, sed Ecclesiae Romanae nomine scribit, quod certe non fecisset si Ecclesiae illi praefuisset cum auctoritate. III. Ignatius quoque Martyr cui tantopere fidunt Catholici, in Ep. ad Magnesianos de Episcopis verba faciens, affirmare non dubitat, Episcoporum praeeminentiam *novellam esse Ordinationem*. IV. Papias apud Eusebium lib. 3. H. E. cap. 34. S. Marcum Episcopum alexandrinum, non Episcopum, sed Presbyterum appellat. V. Cyprianus denique in Ep. 49. affirmat Novatum Presbyterum satellitem suum Felicissimum Diaconum constituisse; quare habebant Presbyteri facultatem ordinandi, quam Romani solis adscribunt Episcopis.

Resp. Allata hactenus argumenta meras esse malae caussae advocatorum captiunculas. Atque ad 1. Jam in antecedentibus animadvertimus veteres Patres modo duas, modo tres, aliquando quatuor, et non raro quinque etc. sacrorum Ministrorum classes recensere, ut ex illorum testimoniis inter probationes nostrae Thesis allatis luculentissime patet; idque faciebant prout subjectae materiae opportunitas exigebat. Quare duos Ordines dumtaxat commemorando, reliquos excludere non intendebant, sed sub Episcoporum nomine Presbyteros quoque comprehendebant; sicuti sub nomine Ministrorum, non Diaconos tantum, sed et minores Clericos intelligebant. Quod

adeo verum est ut laudati in argumento Patres, duobus exceptis, Clemente nimirum ac Polycarpo, post annum Christi 136. quo tempore, fatentibus Puritanis, distinctio inter Episcopos et Presbyteros jam invaluerat, omnes floruerint. Quod si nihilominus duos aliquando Ministrorum Ordines commemorant, alia plane de caussa id faciunt quam ut negent inter Episcopos et Presbyteros distinctionem. Et revera, cur Clemens Romanus in Ep. ad Cor. Presbyterorum omittat mentionem ex sola testimonii ipsius lectione patet; explicat enim locum illum Isaiae, *Constituam Episcopos etc.* ubi Propheta Episcoporum dumtaxat et Diaconorum meminit: unde et Clemens sub duobus illis nominibus universam comprehendit ecclesiasticam Hierarchiam.

Ad 2. In primis, si Blondelli valeret argumentum, sequeretur in Ecclesia Romana S. Clementis tempore nec Episcopum fuisse neque Presbyteros neque Diaconos, quoniam nullius horum nomen habetur in fronte Epistolae quae data est universim nomine Ecclesiae Romanae, hoc est, Congregationis Fidelium Romae degentium. Ecclesiae ergo Romanae nomen, quo Epistola data est ad Corinthios, universam ecclesiasticam continet Hierarchiam, cujus caput erat ipse Clemens: quemadmodum litterae ab Ecclesiis lugdunensi et viennensi ad Asiae Ecclesias datae, de quibus Eusebius lib. 5. H. E. cap. 1. scriptae intelliguntur ab Episcopis cum reliquis hierarchici Ordinis; erant enim tunc Episcopi distincti a Presbyteris etiam per Blondellum.

Ad 3. Parum attente certe legit Blondellus Ignatii locum quem contra nos urget ex Ep. ad Magnesianos. Nam non loquitur ibi S. Martyr de omni generatim Episcopo, sed de Ordinatione Damae qui admodum juvenis erat, hortaturque Magnesianos ne illum propter juvenilem aetatem contemnendum arbitrentur; sicuti Paulus fecit loquens de Tito quem ob egregias illius virtutes promoverat adhuc adolescentem ad Episcopatum.

Ad 4. Non Marcum Evangelistam Papias Presbyterum appellat alexandrinum, sed illum qui de Marco multa narraverat; ait enim, juxta Rufini ac Valesii versionem: *Etiam hoc Presbyter narrabat, quod Marcus Interpres Petri* etc. Quamvis si Marcum ipsum Presbyterum appellasset, non proinde contra catholicam sententiam quidquam sequeretur, quum Episcopatus sacerdotalis Ordinis extensio sit, ut pluries animadvertimus.

Ad 5. De Vigilio Romano Pontifice narrat Marcellinus in Chronico, ordinatum fuisse Episcopum a Bellisario. Numquid strenuus ille militiae Dux Vigilium Episcopum suis manibus consecravit? Absit. Sed studio, officiis, ac industria sua illius procuravit Ordinationem. Hoc idem significare voluit Cyprianus scribens, a Novato Presbytero constitutum fuisse Diaconum Felicissimum; eo nempe procurante, omniaque susque deque vertente, evectum fuisse satellitem suum ad Ordinem Diaconatus; unde inquit: Diaconum *sua factione et ambitione constituit.* Atque hanc esse Cypriani mentem ex eadem apparet Epistola in qua subdit: *Qui istic adversus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum* (Novatianum) *fecit.* Sicut ergo Novatianus romanus Episcopus Novati africani artibus, non illius manuum impositione ordinatus est, sic et Felicissimus consecratus fuerat Diaconus subdola ejusdem Novati machinatione, non habita a se Ordinatione.

Obj. 3. Eusebius caesariensis H. E. lib. 6. cap. 14. de Ordinatione loquens Origenis a Theoctisto caesariensi, et Alexandro jerosolymitano facta, appellat Presbyteratum *supremum honorem*; adeoque non distinguitur ab Episcopatu. II. Ambrosiaster in cap. 3. Ep. ad Tim. 1. *Episcopi*, inquit, *et Presbyteri una est Ordinatio*, proindeque gradus idem. III. S. P. Augustinus Ep. 82. alias 19. ad Hieron. cap. 4. n. 33. *Quamquam*, inquit, *secundum honorum vocabula quae jam Ecclesiae usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit: tamen* etc. IV. auctor QQ. in N. et V. T. *Quid enim*, inquit, *est Episcopus, nisi primus Presbyter?* etc.

Resp. Juvat in Primis puritanorum hic rursus repetere principium de quo diximus supra, laudatos videlicet in argumento scriptores floruisse post annum 136. quo tempore ipsi contendunt discrimen inter Episcopum atque Presbyterum jam in Ecclesia obtinuisse. Quare tenentur et ipsi suum solvere argumentum. Sed aliquid dicamus ad singula. Atque ad 1. Quis umquam in dubium vertit, gradum Presbyteratus eximium esse, et si comparate ad potestatem Christi Corpus consecrandi spectetur, appellari posse supremum? Neque enim ea quae in hoc genere potestas est in Episcopo, major est illa quae in Presbytero residet. Hinc Theoctistus et Alexander Origenem ad Presbyteratus Ordinem promovere volentes existimarunt se ad supremum honorem illum evehere. Sed Episcopi qui in Christi Corpus conficiendi potestate pares habent Presbyteros, longe hos in auctoritate superant ac jurisdictione per quam Presbyteros ipsos ad Ordinem promovent et sacrum Chrysma conficiunt, et Fideles sibi subjectos confirmant, et gregem sibi creditum regunt, et caussas dirimunt quae in Ecclesia occurrunt etc. quae facere non possunt Presbyteri.

Ad 2. Rari admodum sunt inter veteres, ac nullus fere inter recentiores qui auctoritatem commentariis tribuat Ambrosiastri; constat enim opus illud ab haeretico aliquo et forte pelagiano, sub amplissimo Ambrosii nomine, ad conciliandam sibi auctoritatem fuisse exaratum: et Blondellus ipse scriptorem hunc schismaticum fuisse arbitratur; atque idcirco non est illius sententia in catholici dogmatis praejudicium afferenda.

Ad 3. In ipsis Ecclesiae incunabulis Episcopi et Presbyteri nomina promiscue, ut ab initio observavimus, usurpabantur: et quemadmodum Episcopi saepe Presbyteri, ita Presbyteri non raro appellabantur Episcopi; quamvis potestas et honor longe major in Episcopo quam in Presbytero esset. Sed tempore procedente quum numero adaucto Credentium Ecclesiae regimen exigeret ut qui sibi propriam habebat dignitatem, proprium sibi quoque ad vitandam confusionem retineret nomen, usus apud Fideles invaluit ut simplices Sacerdotes Presbyteri, qui vero facultatem habebant alios ordinandi, Ecclesiam regendi etc. Episcopi nomen sibi retinerent. Atque ad consuetudinem hanc profecto respexit Augustinus ad Hieronymum scribens. Et eo vel magis id verum est, quia ea protulit Augustinus ne videretur in studio veritatis in quam est omnium aequa potestas ad inquirendum, velle ullo pacto Hieronymo imponere: quod adeo verum est, ut ipse in multis ibi se minorem fateatur Hieronymo, inquiens: *Tamen in multis rebus Augu-*

stinus Hieronymo minor est: imo vel ipse correctionem a Hieronymo expectet subjungens: *Licet etiam a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio;* exemplo instructus Petri, de quo in ea Epistola, qui correctionem Pauli humillime excepit: et libertatem commendans Pauli qui pro amore veritatis Petro licet superiori restitit in faciem: in quem finem et ille paulo inferius recordatur Hieronymo libertatem amicitiae, oratque ne taceat si in aliquo forte se deprehendat errantem. Mens ergo Augustini illo in loco est expellere et quasi obliterare et abradere ab animo Hieronymi metum sive reverentiam episcopalis auctoritatis et potestatis, quasi Episcopatus non excelleret Presbyteratu nisi solo nomine: et hoc ut dixi propter studium veritatis. Jam vero qui talia agit, aequat ne Episcopum Presbyteratui? Minime sane. Imo si recte perpendantur verba superius allata, apparet Augustinum se confiteri superiorem in aliquibus Hieronymo, dum in aliis aequalem se, imo inferiorem appellitat: non enim in omnibus, sed *in multis* se fatetur minorem Hieronymo, ut visum est.

Ad 4. Mirari subit, quod ad auctorem QQ. in V. ac N. T. in re tam gravi provocet Blondellus qui scriptorem hunc haereticum aut saltem schismaticum arbitratur. Et revera innumeris quaestiones illae scatent erroribus, nec admodum antiquae videtur auctor aetatis; unde nullam meretur auctoritatem.

Obj. 4. novi Aeriani auctoritatem S. Hieronymi quem e partibus suis stare pro re tam certa tenet Blondellus, ut ex illo potissimum, ut ab initio animadvertimus, causae suae praesidium confidentissime sumat. Sic ergo inquiunt: Hieronymus Comm. in cap. I. Ep. ad Tim. I. exponens illa verba, *Et constituas per civitates Presbyteros* etc. ita scribit: *Idem est ergo Presbyter qui et Episcopus: et antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae, communi Presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur.* Affert hic ad ea quae dixerat confirmanda aliquot Scripturae testimonia, deinde prosequitur: *Haec propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros quos et Episcopos: paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine ei qui sibi praepositus fuerit esse subjectos, ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate, Presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere.* Haec eadem docet in Ep. quoque ad Oceanum. Et in Ep. ad Evangelum, *Audio*, inquit, *quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, idest, Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse Presbyteros quos Episcopos, quis patiatur mensarum et viduarum Minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Corpus Christi, Sanguisque conficitur?* Multas addit hic N. T. sententias ad

suadendum aequam esse Presbyteris ac Episcopis dignitatem; ac subinde concludit: *Quod autem postea unus electus est, qui ceteris praeponeretur, in schismatum remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens, Christi Ecclesiam rumperet. Nam et Alexandriae a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat; et Diaconi eligant de se quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent*. Quae demonstrant unius labii semper hac in caussa fuisse Hieronymum; ubique enim eamdem tradit sententiam, iisdemque utitur ad eam confirmandam argumentis. Ast coecus esse oportet qui in tot Hieronymi locis Puritanorum non videt expressum systema. Nam I. peremptoria est illa sententia, *Idem est ergo Presbyter qui Episcopus*. II. ad cujus vim eludendam vana equidem est Catholicorum cavillatio, quod Presbyter, juxta Hieronymum, idem sit qui Episcopus quoad nomen, non quoad dignitatem; quum ibidem Hieronymus scribat nullam ab exordiis Ecclesiae habuisse Episcopos supra Presbyteros eminentiam, sed *in remedium schismatum quae instinctu diaboli* vexare coeperunt Ecclesiam, fuisse institutam; unde superioritas haec esset ad summum de jure ecclesiastico, non autem de jure divino, ut Catholici tenent. III. hinc absque verborum ambage scribit S. Doctor: *Episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate Presbyteris esse majores*. IV. quod Doctor eximius confirmat consuetudine quae in ipsis initiis obtinebat, quod nempe *communi Presbyterorum consilio Ecclesiae regebantur*. V. eamdemque consuetudinem ob oculos ponit Evangeli exemplum assumendo ab Ecclesia alexandrina in qua a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium, *Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant*. VI. neque haec S. Patris verba de sola exponi debent electione, ut Romani facere solent. Nam praeterquamquod novae non meminit Ordinationis, aut si quae intercedebat, a solis fiebat Presbyteris, comparatione utitur Imperatoris qui a commilitonibus, et Archidiaconi qui a Condiaconis eligitur, in quorum sane inauguratione nulla intercedit consecratio. Atque hoc est Blondelli, Salmasii, aliorumque Calvinistarum achilleum argumentum quo proprium incrustare contendunt semel praeconceptum praejudicatum systema: et qui Sanctorum Patrum, ubi falsis eorum dogmatibus opponuntur, auctoritatem contemnunt, putantes modo Hieronymum sibi favere, illius doctrinam, dignitatem, auctoritatemque usque ad sydera extollunt.

Resp. Durandi, Alphonsi a Castro, Vasquesii, Michaelis Medinae, aliorumque veterum responsiones utpote minus aptas ad Hieronymi mentem explicandam missas facio, solutionemque tradam recentiorum qui in sanctorum Patrum voluminibus fuerunt magis exercitati. Sed ut Hieronymi sensum probe intelligamus, nonnulla animadversione digna praemittenda esse censeo. Atque primum erit. Duplicem habet Episcopus potestatem, interiorem unam, et episcopali Ordini et Characteri essentialiter conjunctam, qua Episcopos et Presbyteros ordinare, et Chrysma conficere, et Fideles confir-

mare potest, alteram vero exteriorem quae pro objecto habet Ecclesiam legibus atque statutis regere et gubernare, Fidei dogmata et regulas morum ab erroribus vindicare, ea sancire quae spectant ad disciplinam, devios in viam veritatis arguendo, obsecrando, increpando reducere in omni patientia et doctrina. Prior potestas et auctoritas episcopali Ordini et Characteri adeo adnexa est ut aliis nullimode queat communicari. Altera vero quamvis et ipsa de jure divino Episcopo conveniat, tamen non talis est ut communicari non possit Presbyteris, quoniam licet Christus totam regiminis Ecclesiae auctoritatem concesserit Episcopis tamquam Apostolorum successoribus, non eis tamen prohibuit ne Presbyteros in partem vocarent sollicitudinis; sicuti neque prohibuit ut si schisma inde vel scandalum oriretur, totam extrinsecam illam potestatem ad se revocarent. Duplicem eam potestatem paucis exponit Hieronymus dicens: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod non faciat Presbyter?*

Alterum adnotatione dignum sit, quod initio evangelicae praedicationis coeperunt Episcopi propriam cum Presbyteris partiri, in sensu proxime exposito, auctoritatem. Quum enim adaucto numero Credentium, causae non raro occurrerent dirimendae, quamvis a solis Episcopis ingenita sibi a Christo auctoritate, ut diximus, terminari possent, ad dissentiones nihilominus quae inter Fideles ingruere poterant, vitandas, fratrumque animos devinciendos facilius, Episcopi ipsi prudenti quadam oeconomia vocarunt in partem Ministerii Presbyteros ut consilio et conventu plurium res quaeque gravissimae pertractarentur. Atque hoc modo auctoritatem licet precariam in populos exercentes Presbyteri, habebantur a Fidelibus tamquam Ecclesiae Inspectores. Cumque Episcopus, juxta nominis ethymologiam, idem sit ac Inspector seu *Superintendens*, non immerito duo illa nomina Presbyter et Episcopus promiscue usurpabantur; et Episcopi Presbyteri, et Presbyteri Episcopi priscis illis temporibus appellabantur, quamvis *Presbyter et Episcopus aliud aetatis, aliud dignitatis sit nomen*, ut Hieronymus inquit. Ceterum nihil gerebant Presbyteri absque suorum Antistitum auctoritate, unde nec baptizare poterant sine facultate Episcopi, nec Eucharistiam conficere si Episcopus id vetasset, teste ipso Hieronymo qui in Dial. adv. Lucif. post Tertullianum inquit: *Sine Episcopi jussione neque Presbyter neque Diaconus jus habet baptizandi.* Et ante illum Ignatius Martyr in Ep. ad Smyrn. scripserat: *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quae ad Ecclesiam pertinent. Rata Eucharistia habeatur illa quae sub Episcopo fuerit*, *vel cui ipse concesserit ... Non licet sine Episcopo baptizare, neque Agapen celebrare.*

His modo addamus tertio loco Hieronymi scopum tum Comm. in Ep. ad Titum, tum in Epistola sua ad Evangelum. In commentariis ergo in Ep. ad Tit. totus est S. Doctor ut demonstret non esse ab Episcopo in Presbyteros cooptandos nisi magnae probitatis summaeque prudentiae viros. Quod ut suadeat, per ea Scripturae loca excurrit in quibus honorabilis fit Presbyterorum commemoratio; aitque Paulum eadem quae Episcopis in Ep. ad Tit. salutaria dedisse hortamenta; et in Ep. ad Philip. appellare Presbyteros Episcopos: additque Presbyteros olim una cum Episcopo communi

consilio Ecclesiam gubernasse. Ex quibus concludit nonnisi summae pietatis viros ad gradum Presbyteratus esse promovendos. In Ep. autem ad Evangelum sibi proponit cujusdam Falcidii retundere arrogantiam qui simplex Diaconus quum esset, Presbyteris se comparare praesumebat. Quam impudentiam ut comprimeret Hieronymus, sicuti Diaconi gradum quodammodo deprimit infimum administrationis recensens officium: *Quis patiatur, ut mensarum et viduarum Minister supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces Corpus Christi Sanguisque conficitur?* neque proinde sublimia Ordinis hujus ministeria denegat; ita Presbyterorum gradum extollit, eadem fere afferendo argumenta quae in Ep. ad Tit. adduxerat, absque ullo tamen superioris dignitatis, videlicet episcopalis, praejudicio. His hoc modo praemissis, quae ex S. Hieronymo opponuntur, nullo negocio explicantur. Atque

Ad 1. quod ab adversariis pro eorum causa dicitur peremptorium. Per Hieronymum idem est Presbyter qui Episcopus quoad nomen et sacerdotalia munera, non quoad gradum et dignitatem. Nomina enim haec, *Episcopus et Presbyter*, tum quia uterque Eucharistiam conficiebat, tum etiam quia Presbyter ab Episcopo in partem vocabatur Ministerii, promiscue antiquitus usurpabantur; unde ait ibidem S. Doctor: *Sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris* (Apostolus) *est locutus.* Differre autem a Presbytero Episcopum gradu ac dignitate, diserte eis locis affirmat Hieronymus. Nam in Ep. ad Evangel. negat in una civitate plures esse posse Episcopos; unde unum praeeminere ceteris in Clero agnoscit. Et Comm. in Ep. ad Tit. affirmat reliquisse Paulum Cretae dilectum illum discipulum suum ut Presbyteros constitueret per civitates. Quare inter eos quorum communia erant nomina, unus erat qui aliis praeeminebat. Relege quae inter conclusionis nostrae attulimus probationes.

Ad 2. Falsum est S. Doctorem nullam Episcoporum in Presbyteros agnoscere superioritatem. In fine siquidem Ep. ad Evangel. *Et ut sciamus*, inquit, *Traditiones apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus, atque Levitae in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, et Presbyteri, et Diaconi vendicent in Ecclesia.* Ast Aaron Sacerdotibus omnibus de jure divino eminuisse quis inficiatur? Quod autem unus de Presbyteris superpositus ceteris esset, *ut schismatum semina tollerentur*, non modo Presbyterianorum caussam nullimode juvat, verum illorum potius evertit systema. Non juvat, inquam, quoniam antequam unus superponeretur ceteris, Ecclesia ab Episcopo atque Presbyteris in iis dumtaxat quae externam respiciunt potestatem ac jurisdictionem, non vero in iis quae ad interiorem pertinent auctoritatem communi consilio regebatur. Evertit autem Puritanorum systema, quoniam integer Hieronymi textus ita habet: *In toto orbe decretum est ut unus de Presbyteris electus ceteris superponeretur; ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur.* Schismata autem tunc esse coeperunt, *Quando diaboli instinctu dicebatur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Caephae*,

tempore videlicet Apostolorum. Peto nunc a Blondello qui de hoc argumento tantopere gloriatur, a quibus in toto Orbe decretum est ut unus ceteris superponeretur Presbyteris nisi ab Apostolis? Tunc enim dici coepit in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae. Apostoli autem a quibus nisi ab eorum praeceptore Christo formam hanc regiminis acceperunt? Si hoc est, jam turpiter fallitur Blondellus distinctionem inter Episcopum atque Presbyterum statuens circa an. 136. falliturque etiam turpissime dum discrimen illud vult esse tantum de jure humano; quoniam quod ab Apostolis institutum est, quum a Christo descendat, de jure divino est. Genuinus autem hieronymianae sententiae sensus est, Apostolos accepta a Christo Ecclesias fundandi regendique potestate, quando praesentes erant per seipsos illas administrabant. Ubi autem abesse ratione Ministerii cogebantur retento penes se supremo regendarum Ecclesiarum jure, Seniores, Episcopi scilicet et Presbyteri quae externam spectabant politiam communi consilio administrabant. Factum est autem ut in quibusdam Ecclesiis ob diutinam Apostolorum absentiam coeperint schismata oriri, dicentibus aliis: ego sum Pauli; aliis, ego Apollo; aliisque, ego autem Cephae; et tunc *toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur.* Ex qua rerum serie apparet, decretum illud ab Apostolis ipsis fuisse promulgatum, adeoque esse de jure divino.

Ad 3. De institutione divina profecto non est, quod in iis quae externam respiciunt politiam Episcopus solus dispotico quodam regimine, absque Presbyterorum consilio, Ecclesiam sibi creditam regat atque gubernet; sicuti de jure divino est ut alios Episcopos ac Presbyteros tamquam Patres Ecclesiae generet, ut ait Epiphanius. Imo magis congruere videtur Ecclesiae ut ab Episcopo simul cum Presbyteris gubernetur, imitantes Moysem qui cum in potestate haberet solus praeesse populo Israel, septuaginta nihilominus eligere voluit Seniores cum quibus populum judicaret. Quare bene ait Hieronymus: *Episcopi noverint, se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate Presbyteris esse majores*, subintellige in iis quae externam respiciunt Ecclesiae administrationem. Ex his interim aperte colligitur Episcopos superiores esse Presbyteris. Quamvis enim Moyses auctoritatem in populum una cum septuaginta Senioribus exerceret, poterat tamen ipse solus auctoritatem illam divinitus acceptam et in populum et in septuaginta Seniores exercere. Ita licet Episcopus in partem sollicitudinis vocet aliquando Presbyteros, potest nihilominus ipse solus ac per se gregem sibi creditum ac Presbyteros ipsos auctoritate a Deo accepta gubernare.

Ad 4. Hoc Blondelli argumentum non moror, quoniam praeoccupatum jam est in praenotatis et in solutione aliorum.

Ad 5. Aliud est eligere, et aliud ordinare sive consecrare Episcopum, ut per se manifestum est. Dicens Hieronymus, a Marci aetate ad Heraclam usque et Dionysium, Presbyteros alexandrinos unum ex suo gremio electum Episcopum consuevisse nominare, non de consecratione quae a simplicibus Presbyteris fieret, sed de mera loquitur electione. Et aptissime quidem ad

rem suam quae erat insolentiam reprimere Falcidii Diaconi qui se Presbyteris aequare ambiebat; ad quod obtinendum, privilegium ibi recenset Presbyterii alexandrini eligendi absque plebis interventu unum ex suis in Episcopum. Non meminit eo loci Consecrationis, quoniam ad rem suam non pertinebat, et quoniam notum omnibus arbitrabatur non posse fieri Consecrationem nisi ab Episcopo. Interim eodem qui opponitur loco negat Presbyteros posse ordinare: *Quid enim*, inquit, *facit, excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?*

Ad ultimum: Allata a Hieronymo inter Episcopi et Imperatoris vel Archidiaconi electionem comparatio in hoc dumtaxat consistit, quod sicuti e militum numero eorumque suffragio Imperatores assumebantur, atque unus ex Diaconorum coetu Archidiaconus a Diaconis eligebatur, ita apud alexandrinos unus e Presbyteris ex eorum assumptus collegio constituebatur Episcopus. Ceterum haec eadem comparatio in adversarios retorqueri facile potest. Nam quemadmodum miles in Imperatorem semel assumptus, et Archidiaconus a Condiaconis renuntiatus jure in electores potestatem exercet; ita et Presbyter etiamsi a Compresbyteris (ut etiam nunc in pluribus Germaniae Ecclesiis fieri solet) Episcopus fuerit electus, statim a sua Ordinatione in omnes Presbyteros ipsosque electores praeeminentiam habet et superioritatem. Sed de hac controversia satis.

CAPUT VI.

An validae sint Ordinationes ab Episcopis excommunicatis, intrusis, haereticis, schismaticis factae.

Adeo gravis antiquis temporibus controversia de validitate Ordinis a Simoniacis, Invasoribus, Depositis, Excommunicatis, Schismaticis, Haereticis collati ecclesiasticis Scriptoribus visa est, ut Petrus Lombardus vir in Scripturarum Patrumque lectione versatissimus lib. 4. Sent. dist. 25. scripserit: *Hanc quaestionem perplexam, ac pene insolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur*; unde et ipse indefinitam illam dimisit. Hujus dirimendae controversiae difficultas ex eo praesertim orta est, quod Conciliorum Canones, Decreta Pontificum, sanctorum Patrum, et etiam Historicorum dicta et phrases ubi de Haereticis, Schismaticis, Simoniacis, ceterisque ad Ecclesiam redeuntibus sermonem instituunt, implexa admodum et ambigua argumenti hujus tractatoribus apparuerint. Sed a quingentis tandem et amplius annis, rebus studio clarissimorum Theologorum Hugonis a S. Victore, S. Thomae, aliorumque in majori luce positis, dubietatis tenebrae eliminatae sunt; et quaestio dirempta dici poterat nisi Joannes Morinus specioso quodam a se conficto systemate novas illi tenebras offundere conatus esset.

Joannes ergo Morinus sacras omnes Ordinationes contra Ecclesiae Canones celebratas nullas olim et irritas etiam quoad substantiam fuisse contendit. Atque hoc fere modo philosophatur: Quamvis nullam habeat Eccle-

sia in Sacramentorum substantiam potestatem, neque enim vel materiam vel formam illorum mutare potest, ut de Sacramentis in genere pertractantes demonstravimus, a Christo nihilominus auctoritatem accepit nonnullas statuendi conditiones quibus non servatis essent veluti impedimenta quae Ordinem etiam cum debita materia, forma, et intentione collatum dirimant ac nullum omnino reddant; quemadmodum potestate a Christo accepta impedimenta posuit quae Matrimonium dirimunt etiamsi cum debitis materia, forma, et intentione sit celebratum. Porro Ecclesia, inquit, firma lege priscis temporibus cavit ne Haeretici, Schismatici, Intrusi, Simoniaci Ministros agerent sacrae Ordinationis. Unde si id audebant, non solum illicita, sed etiam invalida, omnique effectu et Charactere vacua erat Ordinatio, non de jure quidem divino, sed tantum ecclesiastico. Quod jus, addit Morinus, vel quia revocatum est, vel quia per contrariam fuit abrogatum consuetudinem, nostris hisce temporibus amplius non obtinet; ac proinde qui modo contenderet Ordinationes ejusmodi contra Ecclesiae Canones factas esse iterandas, turpissime erraret.

Adversus ergo Morinum et alios qui talium Ordinationum vel inficiantur vel dubiam habent validitatem, breviter modo disputandum est. Sed antequam rem aggrediamur, unum vel alterum claritatis gratia observandum esse arbitror. Et 1. Per sacram Ordinationem imprimi Characterem, non secus ac per Baptismum et Confirmationem, tamquam certum in hac versanda controversia supponimus ex demonstratis in libro de Sacramentis in genere, ubi etiam ostendimus Characterem eumdem semel impressum indelebilem esse, videlicet amitti non posse quamvis Gratia sanctificans per Sacramentum accepta abjiciatur. 2. Alia est in sacris Ministris potestas Ordinis, alia vero potestas Jurisdictionis. Illa quidem jus virtutemque tribuit Ministro Ordinis sui munera exequendi, ut Presbytero conficiendae ac dispensandae Eucharistiae; haec autem vel ordinariam vel delegatam confert potestatem in alios. Puta, simplex Sacerdos ab Ordine ipso facultatem habet ligandi atque solvendi, sed legitime exercere illam non potest nisi in eos in quos ordinariam vel delegatam obtinuit jurisdictionem. Prior potestas est ipse Ordinis Sacramenti Character, vel aliquid certe ipsi necessario connexum, altera vero ab Ecclesiae proficiscitur et dependet auctoritate. His ita observatis seu potius revocatis in mentem, sit

CONCLUSIO I.

Ordinatio ab illegitimo collata Ministro valida est.

Ex iis quae harum institutionum libris 35. et 36. cap. utrobique 8. tradidimus, propositio haec nostra satis superque demonstrata remanet. Ad eam nihilominus confirmandam pauca hic adnectemus argumenta; unde

Prob. 1. Idem prorsus de Sacramento Ordinis ac de Sacramento Baptismi ferendum esse judicium ambigere nemo sanae mentis poterit, si animadvertat utrumque Sacramentum non hominis, sed Christi esse, Cha-

racterem in anima imprimere, et potestatem tradere subjecto utriusque propriam Sacramenti. Sacramentum Baptismi ab illegitimo Ministro collatum validum est. Cur invalidum et iterandum Ordinis Sacramentum si ab illegitimo Ministro conferatur? Argumentum est Augustini qui lib. 2. cont. Epist. Parmen. cap. 13. ita scribit: *Ipsi* (Donatistae) *explicent, quomodo Sacramentum Baptizati non possit amitti, et Sacramentum Ordinati possit amitti . . . Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.*

Prob. 2. perpetua constantique Ecclesiae praxi quae Ordinis Sacramentum etiam ab iis qui foris sunt collatum, validum semper ratumque habuit; unde Ordinatos ab Haereticis vel Schismaticis vel Simoniacis aut Intrusis ad Ecclesiam venientes numquam reordinavit, sicuti nec baptizatos ab iisdem rebaptizavit. Quod si aliqua sunt veterum dicta quae specie tenus indicare contrarium videantur, facilem admittunt explicationem ut ex infra dicendis liquido apparebit.

Prob. 3. Si Ordinatio extra Ecclesiam administrata invalida est, debet id vel ex divino vel ex humano jure proficisci. Verum ex neutro jure invaliditas Ordinis extra Ecclesiam collati proficiscitur. Non ex divino, quoniam in Sacra Scriptura aut in Traditione nihil omnino legitur quod Ordinationes eiusmodi vanas ac nullas definiat. Neque ex humano, tum quia nullum in Sacramenta jus habent homines, tum quia nullam Morinus afferre potest Ecclesiae legem Ordinationes illas invalidas declarantem, tum denique quia in Ecclesia cautum semper fuit ne rebaptizationes fierent aut reordinationes; unde Concilii 3. Carthaginensis Patres can. 38. definierunt, *Non licere fieri rebaptizationes et reordinationes*: quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum. Sed ad rem paullo propius accedamus.

CONCLUSIO II.

In Ecclesia validae semper habitae sunt Ordinationes a Simoniacis, Invasoribus, Schismaticis, atque Haereticis factae.

Prob. prima prop. pars. Basilius in Ep. 76. quum agnovisset Antistites sibi subjectos ab iis quos ordinabant, pecuniam sub obtentu pietatis accipere consuevisse, postquam acriter eos reprehendit, e vestigio subjungit: *Si quis post hanc Epistolam meam tale quid designaverit, cum nostris his Altaribus nihil habebit commune, sed quaeret ubi donum Dei coemptum vendere queat*. Ordinationes ergo a Simoniacis illis accepto pretio habitas, irritas Basilius non declaravit, sed cavit dumtaxat ne quid simile deinceps fieret. Palladius in vita S. Joannis Chrysostomi narrat delatum ad eumdem Chrysostomum fuisse ephesinum Praesulem Antoninum quod multos Episcopos atque Presbyteros extorta pecunia ac pretiosa suppellectili ordinasset, eaque da caussa a Chrysostomo convocatum fuisse Conci-

lium in quo statutum fuit ut sex ex illis Episcopis simoniace consecratis restitueretur ab Antonini haeredibus pecunia; et subinde Sacerdotio privati in Altario admitterentur ad communionem. Ita Palladius. Ex qua narratione colligitur, ex tot tantisque ab Antonino simoniace ordinatis, sex dumtaxat Episcopos fuisse multatos, et non alia quidem puena quam suspensionis; quum facultas eis relicta fuerit intra Altaris septa communicandi, quod Laicis permissum non erat; unde Ecclesia tunc existimabat, semper in Ordinatis etiam per simoniam impressum remanere Characterem. Concilium Oecumenicum Chalcedonense eos qui per simoniam sunt ordinati removet quidem ab officio ac dignitate, sed Ordinationem irritam esse non affirmat. Sic enim inquit can. 2. *Si quis Episcopus propter pecuniam Ordinationem fecerit, et non venalem gratiam in venditionem deduxerit, et propter pecunias ordinaverit Episcopum, Chorepiscopum, Presbyterum*, etc. *qui hoc tentasse convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat; et qui est ordinatus ex Ordinatione vel promotione nihil juvetur, sed sit a dignitate vel officio alienus*. Canonem hunc confirmavit in C.-P. Synodo Gennadius anathematis tantum poena superaddita. Concilium Trullanum, *Eos*, inquit, *qui pecuniis ordinantur, sive Episcopos, sive qualescumque Clericos . . . deponi jubemus. Sed et eos etiam qui ordinaverunt*. Synodus 8. Oecumenica quod in Chalcedonensi fuerat definitum auctoritate sua confirmat. Alia brevitati consulens omitto quum pauca haec ad dignoscendum quaenam Ecclesiae graecae circa hanc materiam fides fuerit et disciplina, sufficiant. Non dissimilis fuit praxis Ecclesiae latinae. Nam Gelasius R. P. in Ep. ad Episcopos Lucaniae, *Quos constiterit*, inquit, *indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos, oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes, quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis, quam sacra Lectio testatur, involvit*. Etiam Hormisdas Summus Pontifex in Ep. ad Episcopos hispan. vetata simonia nullam infligit Simoniacis poenam. Clemens. II. apud Petrum Damiani opusc. 6. cap. 35. sancivit, *Ut quicumque a Simoniaco consecratus esset, in ipso Ordinationis suae tempore non ignorans Simoniacum cui se obtulerat promovendum, quadraginta nunc dierum poenitentiam ageret, et sic in accepti Ordinis officio ministraret*. Quod Clementis Decretum ex prudenti oeconomia coactus est quodammodo confirmare Leo IX. postquam ex duriore a se in Simoniacos lata lege, seditionis tumultus magnus ortus est Romae. Legatur etiam Epistola Nicolai II. ad omnes Episcopos in qua varia Simoniacorum genera distinguuntur, nulliusque Simoniaci Ordinationem irritam esse declarat. Silentio praetereo Alexandri II. Gregorii VII. et Urbani II. edita in Conciliis Romanis Decreta in quibus ab officio ac dignitate tantum simoniace Ordinati deponuntur, et coronidis loco pono duo Lateranensia Concilia, primum sub Callixto II. et alterum sub Innocentio II. celebratum. In priori legitur can. 1. *Si quis in Ecclesia Ordinationem vel promotionem taliter*, nempe per pecuniam, *acquisierit, acquisita prorsus careat dignitate*. Alterum vero can. item. 1. *Si quis*, inquit, *simoniace ordinatus fuerit, ab officio omnino cadat, quod illicite usurpavit*. Digni

sunt qui legantur, duces scholarum Hugo Victorinus, Robertus Pullus, Petrus Lombardus, S. Thomas.

Prob. altera nostrae prop. pars, licet ex hactenus dictis fluat. Nam non majoris sceleris est aliquam episcopalem Sedem invadere quam soluto pretio illam acquirere. Cumque Simoniacorum Ordinationes non repetantur, non video cur iterari debeant illae Invasorum. Sed aliqua ex ecclesiastica historia afferamus exempla. Quid Flaviano C.-P. Sedis Antistiti in latrocinali ephesina Synodo acciderit, norunt omnes. Ejecto in exilium sanctissimo viro, in ejus locum per Dioscorum euthychianae factionis antesignanum ordinatus ac suffectus fuit Anatolius qui utpote Ecclesiae C.-P. Episcopus plures tum Episcopos tum Presbyteros, aliosque Clericos ordinavit. Et S. Papa Leo nihilominus agnoscens, *divinam adfuisse illi misericordiam, ut malis principiis bene uteretur*, ad Pulcheriae Augustae relationem et preces, non modo cum eo communicavit, sed Ordinationes ab eo factas uti ratas habuit et validas, gravi dumtaxat in Epistola ad eum scripta addita exhortatione, ut videlicet *divini muneris Gratiam alia offensione non perderet.* Quare Auxilius in Apol. pro Formoso R. P. concludit: *Anatolius magis sacrilegus Invasor quam Episcopus fuit ordinatus. Et tamen a S. Papa Leone non condemnatur, sed potius admonetur, quatenus sacerdotalem benignitatem alia offensione non perdat.* Petrus Moggus qui duplici ex capite contra Ecclesiae statuta fuerat ordinatus Episcopus, tum quoniam per fraudem ac vim alexandrinam Cathedram occupaverat, tum etiam quoniam ab uno tantum, contra regulas Patrum, Manuum acceperat impositionem, multas habuit, teste Metrophane, Ordinationes. Et tamen Ecclesia Romana illas omnes ut validas habuit, et cum Episcopis a Petro Moggo ordinatis communicavit. Afferamus postremo loco in exemplum celeberrimum Photii facinus qui medio circiter saeculo nono auctoritate fretus ac vafritie Bardae qui gratia plurimum apud Imperatorem valebat, C.-P. Sedem occupavit expulso Ignatio Episcopo sanctissimo; et simplex laicus quum esset, a Gregorio syracusano jam degradato, intra sex tantum dies contra ecclesiasticas regulas fuit ordinatus. Multos ille profecto ad episcopalem sacerdotalemque promovit dignitatem, ejectis illis quos ordinaverat Ignatius. Et tamen post varia discrimina rerum, a Basilio a quo fuerat expulsus, in gratiam receptus, Joannes VIII. Romanus Antistes e vivis S. Ignatio sublato ad ejusdem Basilii preces patriarchalem illi Cathedram absque nova Ordinatione concessit, neque Consecrationes ab eo celebratas irritas habuit. Et quamvis Joannes nimiae facilitatis cum Baronio culpandus esset, qui tamen a Christiano Lupo et Petro de Marca defenditur, non inde tamen sequeretur irritas fuisse illius Ordinationes; quum nullibi iteratas esse legatur.

Prob. tertia pars, non amitti videlicet propter schisma sacrae Ordinationis Characterem, quod exemplo et auctoritate fit manifestum. Hi siquidem qui saeculo 3. (ut ab exemplo incipiam) schismati adversus Cornelium Romanae Urbis Episcopum a Novatiano conflato non exiguo numero adhaeserunt, inter quos Maximus Presbyter, et postmodum poenitentia ducti re-

sipuerunt, absque iterata Consecratione recepti sunt in communionem, teste ipso Cornelio in Ep. 44. ad Cyprian. scribente: *Maximum Presbyterum locum suum agnoscere jussimus , ceteros cum ingenti populi suffragio recepimus*. Item a primis schismatis Donatistarum temporibus Donatistas ipsos communionem petentes consuevit semper Ecclesia absque nova Ordinatione recipere, ut ex can. 68. Ecclesiae africanae constat, ubi sic legitur: *Placuit ut qui ex ipsis Donatistis Clerici ad catholicam unitatem transire voluerint, in suis honoribus suscipiantur sicut prioribus ejusdem divisionis temporibus factum est : quod multarum, et pene omnium Ecclesiarum africanarum in quibus talis error ortus est, exempla testantur*. Praeterea alia schismata plura quovis fere saeculo Ecclesiam vexarunt. Puta illud Ursicini adversus Damasum excitatum : aliud Eulalii contra Bonifacium : et Laurentii contra Symmacum: et Dioscori adversus alterum Bonifacium : Joannis contra Gregorium hujus nominis V. et Cadolai contra Alexandrum : et Guiberti adversus Gregorium VII. Alberti ac Theodorici adversus Paschalem II. Interim qui Pseudopapae extiterunt, et Episcopi qui coeco studio illis adhaeserunt innumeras propemodum habuerunt tum Episcoporum tum cujusvis Ordinis Clericorum Ordinationes. Quae nihilominus cessante schismate , rebusque compositis , ratas ac validas communi suffragio agnovit Ecclesia . Ac denique in gravissimo illo schismate quod postquam per annos circiter 40. Ecclesiam misere laceraverat, aliis unum, aliis alterum, aliisque tertium tamquam verum Pontificem sequentibus, per Constantiense Concilium tandem fuit extinctum, quot habitae sunt in quavis *obedientia* et Communione Ordinationes? Numquid proinde vel una titulo schismatum improbata est et iterata? Accedit allatis exemplis auctoritas quoque ex Patrum testimoniis deprompta. Melchiades enim R. P. ad quem Caeciliani ac Donati causa delata fuerat, secumque Episcopi Romanae Ecclesiae , Caecilianum ipsum quidem absolverunt, *damnatoque uno quodam Donato qui auctor schismatis fuisse manifestatus est , ceteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus recipiendos esse censuerunt*, inquit Augustinus ep. 184. alias 50. ad Bonifacium c. 10. Idem S. Doctor passim in scriptis suis testatur hanc fuisse semper Ecclesiae praxim , ut quemadmodum Baptisma, ita et Sacramentum Ordinis extra Ecclesiam rite collatum non iteraretur. Unum addo ex lib. 1. de Bapt. cap. 1. testimonium : *Sicut redeuntes qui priusquam recederent baptizati sunt , non baptizantur ; ita redeuntes qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur : Sed aut administrant quod administrabant si hoc Ecclesiae utilitas postulet, aut si non administrant, Sacramentum Ordinationis suae tamen gerunt.* Sed audi clariora et rationem hujus praxis apprehende ex lib. 2. cont. Crescon. cap. 10. ubi S. Pater respondens Cresconii difficultatibus ait: *Magnum aliquid tibi dicere visus es, nominando Candidum Villa-regiensem et Donatum Macomadiensem, qui ex vestris Episcopis etiam apud nos Episcopi fuerunt . . . quasi Sacramenta et invocatio nominis Dei quae fit apud vos ipsa inimica sit nobis . . . Christiana sane in vobis Sacramenta cogno-*

sco, et in his illud quoque (Ordinationis) . . . *Prorsus agnoscit in vobis Ecclesia cuncta quae sua sunt . . . Episcopus est, inquis, Episcopum recipis: Presbyter , Presbyterum . Posses et mihi hoc dicere , homo est , hominem recipis. Tam quippe in illo Sacramenta christiana, quam membra humana cognosco: nec curo per quem fuerint seminata , sed a quo creata.* Legas et lib. 2. cont. Ep. Parmen. cap. 13. brenic. coll. primi diei cont. Donat. cap. 5. Ep. 141. alias 152. etc. Aliorum Patrum sententias brevitati studens praetereo.

Prob. postrema pars quae est de Haereticis. Et principio quidem de Donatistis qui teterrimo schismati plura falsa dogmata jam ante Augustini tempora addiderant, satis, ut reor, dictum est hactenus. Concilium Nicaenum I. can. 8. sancivit ut Cathari seu Novatiani schismatici et ipsi simul et haeretici, *Si aliquando venerint ad Catholicam Ecclesiam*, ejuratis erroribus, *placuit, sicut et magnae Synodo, eos Ordinatos sic manere in Clero.* Canonem hunc regulam in haereticorum recipiendis Ordinationibus exhibuisse Ecclesiae testantur in primis S. Hieronymus in Dial. adv. Luciferian. tum Syricius in ep. ad Himeri. Innocentius I. in ep. 22. et Tharasius Act. 1. Syn. 7. aliique. S. Athanasius non ex sua modo, sed et alexandrinae Synodi ab eo congregatae sententia, statuendum curavit ut Episcopi ariani ad Ecclesiam revertentes, solis exceptis illius haeresis ducibus, in communionem cum Ordinibus reciperentur: *His qui auctores non fuerint impietatis, placuit, ut venia detur, et habeant Cleri locum.* Basilius quoque in Ep. ad Amphiloch. can. 1. *Scio*, inquit, *quod fratres Zoin, et Saturninum, qui erant ex illorum* (Eneratitarum) *ordine in Episcoporum Cathedram suscepimus.* Damasus R. P. et Hilarius Pictaviensis a Luciferianis reprehensi sunt, *quasi male consuluerint Ecclesiae, quod praevaricatores Episcopos in communionem et Sacerdotium , pacis recuperandae caussa recepissent*, scribit Gennad. de Script. eccl. cap. 13. Innocentius I. non solum non vituperat, sed impensis laudibus cumulat Toletanae 1. Synodi Praesules, quod urgente necessitate quosdam priscillianistas Episcopos ad Ecclesiam revertentes cum omnibus honorum suorum ornamentis admisissent dicens, Petrum post lacrymas ac Thomam post dubitationem nihil de prioribus meritis amisisse. Nimius essem si loca omnia Augustini quae ad rem hanc faciunt in medium afferre vellem. Quare consulite, praeter opera paullo supra citata ep. 87. et 90. et 185. librum de unico Baptismo cap. 16. ac librum cont. Crescon. cap. 7. Concilium Ephesinum Act. 7. de Mepulianis seu Enthusiastis qui Ecclesiae communionem desiderabant, verba faciens inquit: *Si anathematizaverint* etc. *si Clerici fuerint , maneant Clerici.* Hoc canone moti sunt Patres Synodi 7. Act. 1. ut Clericos a Nestorianis ordinatos in Ecclesia reciperent cum propriis Ordinibus. S. Leo M. probat quidem ut haeretici poenitentes cum suis gradibus admittantur, sed vetat subinde ne ad gradus promoveantur altiores. *Circa quos etiam illam canonum constitutionem praecipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta omni spe promotionis in quo inveniuntur Ordine, stabilitate perpetua maneant.* S. etiam Gregorius ep. 61. praeci-

pit ut Nestoriani in suis Ordinibus recipiantur. Tharasius ad Act. 1. Synodi 6. inquit: *Circiter quinquaginta annos haeresis illa* (Monothelitarum) *viguit; et tamen in 6. Synodo Patres quatuor illos praenominatos tantum damnarunt, ceteros cum Ordinationibus receperunt*. Concilii 7. Patres allatis Nicaeni 1. Concilii canone 8. et pluribus Patrum testimoniis statuerunt Ordinatos in quavis haeresi, servatis servandis, in proprio unum quemque clericali gradu esse recipiendum. De praxi latinae Ecclesiae in recipiendis Graecis, schismate et haeresi laborantibus, et de veterum in hanc sententiam consensione Theologorum non loquor quoniam momenta haec notissima sunt omnibus.

CAPUT VII.

Expositio eorum quae in contrarium afferuntur.

Antequam argumenta quae adversus communem Theologorum sententiam a Joanne Morino pro suo statuendo systemate afferuntur recitemus atque solvamus, non abs re erit animadvertere nihil ipsius caussam juvare, quod nonnulli antiquitus post Simoniacos, Invasores, Schismaticos etc. sacras iteraverint Ordinationes, vel quod aliqui ex veteribus in eam abierint opinionem, cassas videlicet et irritas esse Consecrationes extra Ecclesiam celebratas, quoniam nos quoque id ultro citroque fatemur. Contendimus tamen ad faciendam auctoritatem, sententiamque statuendam hoc non valere, quoniam exiguissimo fuere numero reordinationes a Morino jactatae, multoque minores scriptores qui Theologi hujus ceteroquin doctissimi praeluserint opinationi; unde non est cur ejus generis exemplo et auctoritate nos opprimere contendat. Sed ad rem descendamus.

Obj. 1. adv. 2. prop. Gregorius M. Ep. 110. nullum esse statuit Sacerdotium pretio sive simoniace comparatum: *Quicumque hoc pretii studet donatione mercari, dum non officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit*. II. Tharasius C-P. Episcopus de Simoniacis ad Adrianum R. P. scribens, *In eis*, inquit, *non est gratia Spiritus S. idest Sacerdotii dignitas, nam quod non acceperunt non habent*. III. testatur Petrus Damiani Opusc. 5. quod Leo IX. Summus Pontifex *plerosque Simoniacos, et male promotos tamquam noviter ordinavit*. IV. Gregorius VII. in Rom. 5. Concilio, *Ordinationes*, inquit, *quae interveniente pretio . . . et quae non communi consensu Cleri et populi, secundum canonicas sanctiones fiunt, et ab his ad quos Consecratio pertinet, non comprobantur, infirmas et irritas esse dijudicamus*. V. Urbanus II. Daimbertum Diaconum simoniace a Nezelone promotum iterum consecravit; unde a duobus Conciliis Placentino et Romano 3. sub eodem Urbano celebratis veluti regula sancita est nullas Simoniacorum Ordinationes vires habere, nempe irritas esse. VI. et ea quidem regula veterum auctoritati Patrum, Gregorii videlicet Nazianzeni, Ambrosii, et Leonis M. quorum testimonia Gratianus in Decreto recitat, innixa est.

Verum haec et similia quae a Morino afferuntur rem minime conficiunt. Atque ad 1. Affirmat quidem Gregorius hominem per simoniam ordinatum non esse Sacerdotem, sed quoad officium tantummodo finemque sibi propositum, non vero quoad rem ipsam et Characterem. Distinguendum quippe est in sacra Ordinatione inter Characterem per Sacramentum in anima impressum, et gradum in ecclesiastica Hierarchia, vi cujus aliquod exercendo Ministerium, Ordinati certis privilegiis honoribusque fruuntur. Atque de hoc, non de illo verba facit Gregorius, nam inquit ibidem quod *qui sic ordinantur, nomen quidem, non dignitatem ambiunt Sacerdotii.* Ceterum quae fuerit circa simoniacas Ordinationes illius mens luculentissime patet ex iis quae paullo supra produximus.

Ad 2. Velle Tharasium C-P. trahere ad partes Morini idem est ac velle tenebras offundere luci. Nam si Haereticorum et Schismaticorum ratas existimavit Ordinationes, ut constat ex illius Oratione quae extat Act. 1. Synodi 7. quanto magis Simoniacorum? In allata ergo sententia a Gratiano relata loquitur de Gratia dumtaxat ac dignitate, non de essentia Sacerdotii; praesertim cum ibidem dicat: *Eos qui propter pecunias Manus imposuerunt vel imponunt . . . Petrus divinus Apostolus deponit.* Non deponitur autem qui Ordinis Charactere insignitus non est.

Ad 3. In Leonis IX. mente interpretanda paullo diutius immorandum est, quum ea quae hoc in loco observavimus ad multa similia veterum loca exponenda quam maxime valeant. Simonia ergo quae ortum habuit in Oriente occidentalem etiam Ecclesiam occupavit, et tam longe lateque brevi temporis intervallo propagata est, ut rari essent qui absque simonia Ordines darent vel acciperent. Non defuerunt tamen omni aetate et Summi Pontifices et piissimi Episcopi qui apostolico zelo ferventes in Conciliis quae passim celebrabantur contra hoc turpissimum vitium insurgerent, et gravissimis poenis illud extirpare satagerent; unde ea labe infectos nunc excommunicatione multabant, nunc deponebant, nunc vero de suo gradu dejiciebant: ex qua rigida disciplina infaustis illis temporibus necessaria, innumeras turbas atque tumultus fuisse excitatos testatur historia ecclesiastica. Hinc ut Ecclesia a turpissimo eo facinore filios suos revocaret, atque in eorum animis horrorem erga illud imprimeret, disciplinam instituit ut sicuti in Simoniacis degradandis ac deponendis auferebat ab Ordinatis proprii gradus insignia, et vel ipsam externam Unctionem ex eorum manibus abradebat; ita dum resipiscentibus pristinus honor restituebatur, ea usurpabatur coeremonia ac si nova fieret Consecratio; imponebantur scilicet illis de novo Manus, sui gradus insignia tradebantur, et instrumenta propria suorum Ordinum. Discimus hoc ex Synodo 4. Toletana, ubi can. 18. haec leguntur: *Episcopus, Presbyter, aut diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altario de manu Episcopi. Si Episcopus est, orarium, annulum, et baculum: si Presbyter, orarium et planetam: si Diaconus, orarium et albam: si Subdiaconus, patenam et calicem: et si reliqui gradus in reparationem sui recipiant*

quae cum ordinarentur receperunt. Verum integra haec ecclesiastica coeremonia non eo tandem tendebat ut Simoniaco a scelere suo purgato potestas Ordinis seu Character, sed jus Ministerii, ac honor quo antea in ecclesiastica Hierarchia fruebatur, redderetur. Hoc itaque sensu Petrus Damiani de Leone X. affirmat, *plerosque Simoniacos, et male promotos tamquam noviter ordinasse*: eaque de caussa non absolute inquit, noviter ordinavit, sed, *tamquam noviter ordinavit.* Addo Leonem in Simoniacos nimium exercuisse rigorem, quem ad sedandos a Romanis Clericis excitatos tumultus coactus est mitigare, et rem ad Clementis II. Decreti tramites, ut supra diximus, redigere.

Ad 4. Facile est intelligere quo sensu Gregorius VII. decreverit Ordinationes interveniente pretio factas *irritas* esse et *infirmas*: quoad Ordinis videlicet executionem, non quoad Characterem. Nam comparat ibi simoniacas Ordinationes cum illis quae sine populi ac Cleri fiunt consensu. Hae autem irritae certe non sunt quoad Characterem.

Ad 5. Factum Daimberti a Nezelone simoniace consecrati, quod intricatissimum a Witassio appellatur, fabulosum omnino videtur. Primo, quoniam duae circumferuntur epistolae, exhibita una a Gratiano, altera a Binio, in quibus factum illud narratur. Ast duae illae ep. sibi invicem directe adversantur. Quare vel alterutra vel utraque supposititia esse debet. Deinde incertum est apud Historicos an Nezelo moguntinae Sedis invasor qui Daimbertum accepto pretio promovisse supponitur, fuerit nec ne Episcopus. Ac denique Urbanus II. qui reordinasse dicitur Daimbertum in Ep. ad Lucium S. Juvencii Praepos. ratas habuit ac validas Ordinationes Haereticorum atque Schismaticorum; quanto ergo magis illas Simoniacorum?

Ad 6. Quantumvis Gregorii Nazianzeni ac magni Leonis opera viri docti volverint atque revolverint, testimonia a Gratiano citata nullibi invenire potuerunt; unde ad auctoritatem faciendam nullimode valent. Quamvis sententia sub nomine Gregorii laudata exponi facile possit de Simoniacis deponendis, et illa tributa Leoni non de Charactere, sed de Gratia sanctificante intelligi debeat. Librum autem de Dignitate sacerdotali sub Ambrosii nomine laudatum, Ambrosii non esse tradunt omnes eruditi; et verba inde deprompta significant Episcopum per simoniam ordinatum magnum esse leprosum, quoniam Characterem in perniciem recipit animae suae, sed tamen recipit.

Obj. 2. adv. alter. ejusd. thesis partem. Maximus philosophus Cynicus C-P. Sedis, eam administrante Gregorio Nazianzeno, invasor, in Synodo C-P. non modo fuit damnatus, sed Ordinationes ab eo celebratae irritae declaratae sunt et infirmae. *Placuit*, inquit Concilium can. 3. juxta Dionysii Exigui translationem, *neque Maximum Episcopum fuisse, vel esse, nec eos qui ab ipso in quolibet gradu Clerici sunt ordinati, cum omnia quae ab eodem perpetrata sunt, in irritum deducta esse videantur*. II. Anastasius Bibliothecarius Schol. ad Concilium 8. discrimen inter Haereticorum ac Invasorum Ordinationes assignans, in hoc affirmat consistere, quod Ordinationes Haereticorum ratae esse possint, non item Invasorum; atque

ad id demonstrandum, exemplum assumit ex Consecratione Maximi Cynici. III. S. Leo in Ep. ad Rusticum Narbonensem regulam statuit ut qui nec a Clericis sunt electi nec a plebibus expetiti nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati, Episcopi non censeantur. Ejusmodi autem sunt episcopalium Sedium Invasores. IV. Stephanus IV. Ordinationes omnes a Constantino in Romanam Sedem intruso celebratas, non solum cassas irritasque declaravit, sed coacto Episcoporum Concilio, quos Constantinus ordinaverat, iterum consecravit, ut in Stephani vita narrant Anastasius et Sigebertus. V. Photii qui C-P. Cathedram, ejecto S. Ignatio, per vim occupavit, Ordinationes tamquam vanas omnino abrogarunt Summi Pontifices, et Patres Oecumenici Concilii 8. qui 8. can. ita loquuntur: *Photium veluti atrocem lupum in gregem Christi insilientem, numquam antea Episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse justo decreto declaramus: nec ab illo creatos in eo Sacerdotii gradu in quem ab eo promoti sunt, manere.* VI. et de irrita prorsus Consecratione intelligendum esse Concilii Decretum, ex eo patet quod Ordinati ab Ignatio et Methodio qui Photii secuti fuerant schisma perpetua depositione puniuntur, qui autem fuerant a Photio consecrati numquam Episcopi fuisse dicuntur. VII. Stephanus hujus nominis VI. et Sergius ambo Romani Pontifices Ordinationes habitas a Formoso eorum decessore quem Petri Cathedram invasisse existimabant, nullas et irritas declararunt, iterata in singulis Episcopis, Presbyteris, aliisque Clericis Consecratione, praesentibus ac consentientibus bene multis Episcopis.

Resp. ad 1. Concilii C-P. canon contra Maximum Cynicum promulgatus non de Charactere sacramentali, sed de episcopali honore ac Ministerio est accipiendus. Nam Maximus episcopalem Ordinem acceperat juxta ecclesiasticam regulam a S. Petro Alexandrino. Quis ergo de illius dubitaverit validitate? De iis autem qui a Maximo fuerant ordinati ita canon habet juxta Isidorum Mercatorem: *Neque ii qui ab ipso sunt ordinati qualemcumque gradum Clericatus obtineant*; et in alia paraphrasi quae tom. 1. Conc. Harduini legitur: *Nec ille qui Ordines ab eo accepit in quemlibet Sacerdotii gradum admittatur:* unde clarum est, de honore ac Ministerio, non de Charactere ibi fieri sermonem.

Ad 2. Stat optime discrimen ab Anastasio statutum inter Haereticos et Invasores, etiamsi horum rata atque valida sit Ordinatio. In hoc enim discrimen ponit Anastasius, quod qui lapsi sunt in haeresim quum praeter sacramentalem Characterem, usum etiam et exercitium sui Ordinis olim haberent, si resipiscant pristinam recuperare possunt ex integro dignitatem. Ast Ordinati ab Invasoribus, licet impressum habeant in anima Characterem, numquam tamen illius munere et exercitio gavisi sunt, proindeque non tam facile sunt cum omnibus honoribus recipiendi.

Ad 3. Nimis quam par sit argumentum ex S. Leone depromptum, si consisteret, demonstraret. Nullae videlicet essent non solum Consecrationes Invasorum et Intrusorum, sed etiam eorum qui nec a Clericis sunt electi nec a plebibus expetiti, quod praeter mentem est sancti illius Pontificis.

Vult ergo Leo M. illos non esse habendos Episcopos quoad exercitium dumtaxat potestatis. Quare subjungit ibidem: *Si qui autem Clerici ab istis pseudo-Episcopis in Ecclesiis ordinati sunt, qui ad proprios Episcopos pertinebant, Ordinatio eorum judicio praesidentium facta poterit rata haberi ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent.*

Ad 4. Respondet Auxilius in Apol. pro Formoso lib. 2. cap. 4. Stephanum R. P. in reordinatione illorum quos consecraverat Constantinus, graviter contra sanctorum Patrum statuta deliquisse; atque idcirco nullum ab eo exemplo desumi potest argumentum. Ast cl. Annalium parens, et Natalis Alexander existimant, nequaquam Stephanum quos pseudo-pontifex consecraverat reordinasse, sed adumbrata quadam Ordinationis specie, longo videlicet rituum coeremoniarumque apparatu, ut supra ex Concilio Toletano 4. animadvertimus, suorum Ordinum exercitium illis restituisse. Quae opinio auctoritati innititur Anastasii qui in Stephani vita narrat, Ordinatos a Constantino, *denuo facto decreto electionis, ab eodem Sanctissimo Stephano Papa benedictionis suscepisse Consecrationem, ut ordinum suorum juribus gauderent.*

Ad 5. Etiam Ordinatio Photii et eorum qui ab ipso fuerant consecrati a Summis Pontificibus et 8. Synodi Patribus nulla et irrita declarata est quantum ad munera, honores, ac privilegia, non quantum ad Ordinis Characterem. Et re quidem vera nullibi legimus vel Photium vel aliquem ab eo consecratum fuisse reordinatum, quamquam Ecclesia sive graeca sive latina ut veros Episcopos habuerit semper et habeat illos qui iis succedunt quos olim ordinaverat Photius. Deinde Nicolaus I. R. P. in Ep. ad Gregorium syracusanum eum anathemati subjecit, non quod invalide, sed quod *irregulariter* Photio Manus imposuerit. Praeterea Act. 7. Concilii 8. Patres inquiunt, invasorem Photium et Gregorium illius ordinatorem non modo Episcopi, sed et Christiani nomine carere. Numquid infandum ab illis admissum scelus ex eorum animo Baptismi eraserat Characterem? Absit, sed quoniam jura amiserant et privilegia quibus baptizati fruuntur. Idipsum ergo dicendum de Ordine episcopali. Denique Joannes VIII. ad Basilii Imperatoris, et Patriarcharum alexandrini, antiocheni, ac jerosolymitani preces, Photii et ab eo Ordinatorum Consecrationes ut ratas et validas recepit, uti supra adnotavimus; et Joannes IX. in cathalogo C-P. Ecclesiae Patriarcharum una cum S. Ignatio Photium et ab eo ordinatum olim in Diaconum Stephanum absque ulla haesitatione recensuit.

Ad 6. Episcopi a Methodio et Ignatio ordinati qui photiano schismati adhaeserunt in hoc ab illis Ordinatis a Photio discriminantur, quod illi ante exortum schisma potestatis usum et honorem habuerint; hi autem numquam episcopalia munera legitime exercuerunt; atque hoc sensu Synodus inquit: *Nequaquam tales in sacerdotali cathalogo recipiantur, etiamsi ex hoc converti voluerint.*

Ad 7. Inumana tyrannis quam Stephanus VI. ac Sergius adversus Formosum exercuerunt non est a Morino adducenda in exemplum. Facinus enim illud hominibus aeque ac Superis invisum Ecclesia semper sic dete-

stata est, ut optandum foret veram esse Panvinii in notis ad Platinam sententiam, infandam illam tragoediam totam et integram fabulosam esse.

Obj. 3. adv. tertiam partem. Nicaenum I. Concilium de Sacerdotibus qui Meletii schismaticis secuti fuerant partes agens statuit ut cum susceptis ab eodem Meletio gradibus non recipiantur nisi post sanctiorem Ordinationem. Ita enim Concilii Patres in Ep. ad Ecclesiam Alexandr. loquuntur: *Illi vero qui a Meletio in sacrum Ordinem lecti sunt, simulatque sanctiore Ordinatione, (vel Manuum impositione,* μυστικωτέρα χειροτονία βεβαιωθέντες *) ad Communionem post haec admittantur, et permittatur illis quidem honoribus frui, et sacris muneribus fungi etc.* Porro χειροτονία ad litteram vel Ordinationem, ut omnes norunt, vel Manuum significat impositionem. Utrumque autem sacri Ordinis exprimit collationem; praesertim cum μυςικωτέρα, scilicet, *sanctior* ibi appelletur; atque adeo Schismaticos ad unitatem revertentes solebat Ecclesia priscis illis temporibus iterum ordinare. II. quum Caeciliani carthaginensis Episcopi Ordinationem multi in Africa Episcopi recipere nollent, quod Manus ei impositae fuerint a Felice Aptungnetano quem sacrorum librorum existimabant proditorem, his Caecilianum dixisse narrant Optatus Milevitanus lib. 1. et Augustinus in Brev. coll. diei 3. cap. 16. *Si traditores sunt qui me ordinaverunt, ipsi veniant et ordinent me.* Quae responsio supponit vanam esse potuisse suam Ordinationem. III. Pelagius R. P. hujus nominis II. teste Praepositivo a Morino citato inquit: *Si veritate ducente dirigamur, non est vere Corpus Christi quod conficit Schismaticus*; proindeque Ordinis Character in schismate non imprimitur. IV. Nicolaus II. in Synodo Placentina, Innocentius II. in Concilio Lateranensi I. et Alexander III. in tertio item Lateranensi Concilio vacuas et irritas declararunt Ordinationes ab Antipapis Guiberto, Petro Leonis, Octaviano, Guidone, ac Joanne Strumensi factas. V. de Lucio III. haec habet Robertus Flammesbur lib. 3. Poenitential. M. S. *Lucius tamen Papa fecit reordinari, ut dicunt, Ordinatos ab illis qui ultimam Manus impositionem acceperant extra Ecclesiam: et mirum fuit quod Cardinales consenserint. Forte . . . hoc fecerunt in odium schismatis.*

Resp. ad 1. Graeca vox haec, χειροτονία, si juxta etymologiam ad litteram transferatur, proprie significat *Manuum extensionem*, ut libri hujus initio animadvertimus. Manuum autem extensio seu impositio ad plura antiquitus usurpabatur. Et ut cetera quae non sunt hujus loci, mittam, alia erat *consecratoria*, ut illa quae in Ordinum adhibebatur collatione, et alia *reconciliatoria* qua utebatur Ecclesia in iis recipiendis qui ad sinum suum revertebantur. Nam ex 4. Toletano Concilio. ut supra observavimus, diximus eos qui jure vel injuria e Sacerdotii gradibus disjecti erant, restitutos non fuisse nisi per instrumentorum indumentorumque novam traditionem, benedictioni super Clerici caput conjunctam, quam Nicolaus II. Manuum appellat impositionem. Nicaenus ergo canon in argumento relatus de Meletianis dicens, *Simulatque sanctiore Ordinatione*, seu Manuum impositione *confirmati fuerint*, non de Ordinis collatione, sed de ecclesiastica coeremonia loquitur, adhiberi solita in reconciliatione. Ordinatio autem

illa dicitur *sanctior*, quoniam qui fuerat in schismate consecratus, quamvis sacramentalem percepisset Characterem, non receperat tamen Gratiam sanctificantem quae ad Ecclesiae super reconciliatorum caput preces descendebat. Hanc esse canonis illius intelligentiam in dubium verti nequit, si animadvertamus Meletium non ante, sed post Concilium Nicaenum; evasisse schismaticum atque idcirco illius Ordinationes, etiam in Morini systemate, irritae esse non potuerunt, sed tantum illicitae, quod in alterius Episcopi Dioecesi fuerint ab illo celebratae.

Ad 2. Caecilianus per verba ab Optato relata irridere intendebat Donatistas qui illius ordinatorem Felicem traditorem fuisse autumantes, quod tamen falsissimum erat, ejusdem Caeciliani Consecrationem invalidam fuisse dictitabant. Hinc S. P. Augustinus loco proxime laudato, recitatis ex Optato Caeciliani verbis, subdit: *Quod quidem si dictum est, ideo dici potuit ad illos irridendos quibus hoc mandasse perhibetur, quoniam certus erat Ordinatores suos non esse traditores*. Quam irrisionem optime intelligens Porphyrius donatista respondit: *Exeat huc, quasi imponatur illi Manus in Episcopatu, et quassetur illi caput poenitentiae.*

Ad 3. Etiam S. Leo in Ep. ad Anatolium C-P. affirmare non dubitat, Christi Corpus a Schismaticis confectum non esse verum Christi Corpus. Sed quo sensu affirmat id S. Pontifex? Nempe ratione mysticae significationis per quam Corpus Christi symbolum est unitatis, non autem ratione substantiae. Hoc ipsum significare vult Pelagius II. alioquin quod confectum est a Schismatico, Corpus Christi ab eo non diceretur.

Ad 4. Laudati in argumento Romani Pontifices irritas declararunt habitas ab Antipapis Ordinationes quoad effectum et munera, non quoad Sacramenti substantiam. Et Urbanus quidem post allata superius verba subdit: *Qui vero ab Episcopis quondam quidem catholice ordinatis, sed in schismate a Romana Ecclesia separatis consecrati sunt, eos nimirum cum ad Ecclesiae unitatem redierint, servatis propriis Ordinibus, misericorditer suscipi jubemus.* Haec prostant cap. 10. Synodi Placentinae. Cap. autem 11. *Quicumque a praedictis Schismaticis se ordinari permiserit, nullatenus hac venia dignus habeatur.* Et cap. 12. hanc reddit rationem: *Quamvis misericordiae intuitu, magnaque necessitate urgente, hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen praejudicium sacris canonibus fieri volumus.* Dispensatio autem in Sacramenti substantia locum non habet. Innocentium vero de mera loqui depositione, testatur Chronicon mauriniacense tom. 10. Concil. ubi summus Pontifex viva voce dixisse legitur: *Quia inordinatae personae inordinata sunt decreta, quodcumque ille* (Petrus Leonis) *statuerat destruimus, quoscumque exaltaverat degradamus, et quotquot ordinaverat exordinamus et deponimus.* Alexander denique III. facto comprobavit irritas quoad potestatis exercitium, et non quoad Characterem Ordinationes appellasse Schismaticorum. Nam in ipso Lateranensi Concilio pluribus Germaniae Episcopis resipiscentibus, absque iterata Ordinatione pacem concessit, ac episcopalium munerum exercitium. Quod idem fecit in Concilio Venetiis habito proprias restituendo Sedes Christiano Moguntino, Philippo Coloniensi, et aliis.

Ad 5. Quae de Lucio III. Robertus Flammesbur narrat, non absolute affirmat, sed ex incerto se didicisse rumore testatur, ut ea phrasis, *ut dicunt*, ab eo adhibita insinuat. Imo idem Robertus eo loci sententiam nostrae contrariam tamquam pravam opinionem a sui temporis Theologis et Canonistis habitam fuisse asseverat.

Obj. 4. cont. postremam partem quae est de haereticis. Canon inter Apostolicos 60. alias 68. ita statuit: *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus secundam Ordinationem acceperit, deponatur et ipse, et qui ordinavit, nisi ostendat se Ordinationem habere ab haereticis.* Poenam ergo non meretur ille qui post haereticos iterum ordinat aut ordinatur. II. Nicaeni I. Concilii can. 8. quem pro nostra attulimus sententia illi potius adversatur. Ita enim ibi legitur: *Si aliquando venerint ad Catholicam Ecclesiam Cathari* (seu Novatiani), *placuit sicuti et magnae Synodo, eos sic ordinatos manere in Clero*, graece autem, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν κλήρῳ. Quae sane verba indicant recipiendos esse Haereticos per novam Manuum impositionem, ut complures veteres Patres et ecclesiastici scriptores testantur. Nova autem Manuum impositio nova Ordinatio est. III. Innocentius I. in Ep. ad Alexandrum Antiochenum, *Arianos*, inquit, *ceterasque ejusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine poenitentiae suscipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii aut Ministerii cujusdam suscipere dignitate, quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus*, etc. Distinguitur hic Ordo a Sacramento Baptismi, atque hoc tantum, non illud ratum esse decernitur. IV. neque Innocentii sententia de Clericatus honore vel officio potest explicari. Nam in Ep. 22. ad Episcopos Macedoniae de Bonosiacorum loquens Ordinationibus affirmare non dubitat Ordinatos ab Episcopis haereticis vulnus in caput recipere, quod idem fere tradiderat in Ep. 21. ad Martianum.

Resp. ad 1. Plerique docti viri pro certo tenent canonem inter Apostolicos 60. vel 68. aut ex Firmiliano, aut ex Iconiensi Concilio rebaptizantium fuisse a collectore depromptum; atque idcirco nullam prorsus meretur auctoritatem. Et sicuti contra illius canonis mentem Baptismum recipimus Haereticorum, ita canone illo non obstante, recipere debemus Haereticorum Ordinationes. Dionysius tamen Exiguus, Cresconius, Adrianus Papa Beveregius, Cotelerius, et alii canonem interpretantur de Baptismo et Ordinatione absque debita forma collatis, quae Sacramenta eo modo confecta nulla esse et invalida nos quoque fatemur.

Ad 2. Duplex est veterum ac recentiorum interpretum octavi nicaeni canonis expositio. Arbitrantur complures Patres illius Concilii praecepisse ut Novatiani ad Ecclesiam accedentes cum propriis Ordinibus admitterentur praemissa Manuum impositione, confirmatoria tamen seu reconciliatoria in sensu superius exposito, non autem consecratoria. Quam intelligentiam canoni tribuunt Syricius, Innocentius I. Tharasius, Auxilius, Petrus Damiani, aliique. Sunt autem longe numero plures qui Manuum illam impositionem de qua loquitur canon, intelligunt quidem de Consecratione, sed quam Novatiani in propria receperant haeresi non quam in eorum ad Ec-

clesiam reditu ab Episcopis catholicis recipere deberent. Atque interpretatio haec probabilior mihi videtur, 1. Quoniam magis consona est Canonis verbis quibus sancitur ut Clerici novatiani Manuum impositione insigniti, *sic ordinati maneant* in Clero. Quid porro particula illa, *sic*, significat nisi, *prout sunt*, in sua videlicet Consecratione quam ante reditum ad Ecclesiam in sua secta acceperant? 2. Illud idem denotant etiam quae sequuntur in Canone, nimirum: *Ubicumque enim, sive in vicis, sive in civitatibus ipsi soli inventi fuerint ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem Ordine permaneant*, nempe in eodem Ordine extra Ecclesiam accepto. 3. Prosequitur adhuc Canon, et inquit: *Si autem Catholicae Ecclesiae Episcopo, aut Presbytero existente, quidam accedunt, manifestum est, quod Episcopus Ecclesiae dignitatem Episcopi habeat. Qui autem apud eos Episcopus nominatur, habeat honorem Presbyteri, nisi forte placuerit Episcopo honorem nominis illi concedere. Si hoc autem ei minime placeat, inveniet ei locum Chorepiscopi, aut Presbyteri, ut in Clero omnino esse videatur, ne in civitate duo sint Episcopi.* Quum Concilii Patres nullam hoc in loco novae Ordinationis mentionem faciant, clarum est supponere novatianos Episcopos in eorum Consecratione Ordinis recepisse Characterem; alioquin nec Episcopi honorarium nomen, nec Chorepiscopi, vel Presbyteri locum potuissent inter Catholicos habere. 4. Hinc in antiqua Concilii 6. Chartaginensis versione legitur: *Placuit eos ordinatos sic manere in Clero.* Ferrandus in Breviario canon. *Ut hi qui nominantur Cathari, accedentes ad Ecclesiam, si ordinati sunt, sic maneant in Ecclesia.* Vetus Canon. Synopsis apud Justellum: *Si qui ordinati reperiantur, sint in eodem Ordine.* Eodem fere modo Canon legitur apud Alexium Aristenem, Zonaram, Balsamonem, Blastrem, et alios.

Ad 3. Innocentius affirmans solum Baptisma ratum esse apud Haereticos, loquitur revera de jure et honore, non de substantia et Charactere Sacramenti. Qui namque baptizatur in haeresi, statim ac reconciliatur Ecclesiae, jura ac privilegia acquirit Sacramenti. Ast in haeresi consecratus ab Ordinis juribus et privilegiis excidit ita ut de illis amplius participare non possit nisi reconciliatus Ecclesiae per novam quamdam coeremoniam juxta veterem disciplinam jura ac privilegia illi concedantur. Atque hoc tantum sensu Innocentius Baptisma, non Ordinem ratum esse affirmavit. Ab eo namque petierat Alexander, an *Ordinati ab Arianis essent cum Ordinum suorum gradibus suscipiendi.* Cui quaestioni ut S. Pontifex satisfaceret, allata Baptismatis et Ordinis discrepantia, decernit, *non esse cum Sacerdotii aut Ministerii cujuspiam dignitate suscipiendos*. Nec quemquam movere debet vox illa, *ratum*, ubi loquitur de Baptismo, quoniam etsi *ratum* et *validum* promiscue usurpentur, rigorose tamen loquendo, illud est ratum quod omnem consequi potest effectum. Cumque Baptisma in haeresi acceptum, ejuratis erroribus, statim in subjecto suos effectus producat, quod de Ordine, ut diximus, non verificatur, merito ait Innocentius solum Baptisma ratum esse apud Haereticos.

Ad 4. hoc idem habeto responsum. Innocentius quippe Haereticorum

Ordinationem vulnus infligere docet quoad suscepti Ordinis usum, non quoad Characterem. Ita enim scribit ibidem S. Pontifex: *Ventum est ad tertiam quaestionem . . . Nos dicimus, ab Haereticis Ordinatos vulneratum per illam Manuum impositionem habere caput: ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda . . . atque ubi poenitentiae remedium necessarium est, illic Ordinationis honorem locum habere non posse decernimus.* Episcopi nempe macedones existimabant Ordinatos a Bonoso photiniano posse ab Ecclesia cum suis gradibus recipi. Negat id S. Pontifex hoc ductus argumento: Qui ab Haereticis est consecratus quum vulneratum habeat caput, si redeat, indiget medicina, publica scilicet poenitentia. Publica poenitentia (juxta illius temporis disciplinam) a sacris Ordinibus arcet, unde Ordinati ab Haereticis suorum Ordinum nequeunt munera exercere. Sed de difficili controversia satis. Reliqua enim quae contra communem Theologorum sententiam affert Morinus, obviam ex hactenus disputatis habent solutionem.

CAPUT VIII.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

Duplicem distinguere solent Theologi cujuslibet Sacramenti Ministrum, ordinarium unum, alterum vero extraordinarium. Inquirendum itaque modo venit, quinam ordinarius sit, et quinam esse possit extraordinarius Sacramenti Ordinis Minister. Et de jure quidem ordinario solum Episcopum Sacramentum hoc conferre posse ac debere, nemo est inter Theologos et Canonistas qui in dubium vertere audeat; res quippe est ab Oecumenicis Conciliis Florentino ac Tridentino post Scripturas, Patres, et perpetuam Ecclesiae praxim definita. Ast ubi de hujus Sacramenti conferendi jure extraordinario disputatur, in varias distrahuntur docti viri opiniones. In uno equidem convenire videntur quod Chorepiscopi episcopali Charactere carentes, et Abbates episcopali benedictione praediti, et S. R. E. Cardinales non Episcopi, et simplices etiam Presbyteri, ex privilegio et Ecclesiae facultate Tonsuram et Ordines qui minores dicuntur conferre possint. Sed quoad majores Ordines Subdiaconatum nempe, Diaconatum, et etiam Presbyteratum spectat, magna adhuc fervet inter eruditos controversia, affirmantibus aliis, aliis vero negantibus posse a non Episcopo tales Ordines administrari. Quaenam sit sententia nostra sequentes aperient propositiones.

CONCLUSIO I.

Solus Episcopus Minister est ordinarius sacrae Ordinationis.

Prob. 1. Scripturis. Ex variis Actuum Apostolicorum, et Pauli Epistolarum testimoniis in superioribus saepe relatis meridiana luce clarius apparet, primis illis temporibus neminem praeter Apostolos quibus Episcopi successerunt, Sacramentum Ordinis contulisse. Nam septem Diaconis, Paulo,

ac Barnabae Manus impositas fuisse ab Apostolis, apertissime in horum Actibus legitur cap. 6. ac 13. Capite autem sequenti 14. dicitur Paulum et Barnabam jam Episcopos Presbyteros constituisse per Ecclesias. In Ep. 1. ad Tim. cap. 4. Paulus idem affirmat Timotheum fuisse ordinatum per impositionem Manuum Presbyterii, sive, ut diximus, Episcoporum. Imo ipse idem Paulus affirmat in Ep. 2. cap. 1. ad eumdem Timotheum se illum ordinasse manibus suis, inquiens: *Admoneo te ut resuscites Gratiam Dei quae est in te per impositionem Manuum mearum*. Quum ergo de Apostolis semper, et numquam de aliis legatur, Sacramentum Ordinis administrasse, sua sponte sequitur solos Episcopos qui, ut ajebam, Apostolorum sunt successores esse Sacramenti hujus Ministros ordinarios.

Prob. 2. Traditione. Auctor Constitutionum apostolic. lib. 3. cap. 2. expresse affirmat. Apostolos solis Episcopis potestatem ordinandi Presbyteros, Diaconos, aliosque inferiores Ministros concessisse. Concilium Alexandrinum et Clerici Mareotae ut Athanasium ab Arianorum impacta calumnia quod Ischyram Presbyterum male tractasset, vindicarent, et Athanasius ipse ut suam tueretur innocentiam, inter alia argumenta afferunt illud quod Ischyras a Collutho simplici Presbytero et non Episcopo ordinatus, Presbyter neutiquam esset. Epiphanius haer. 75. quae est Aerii, Hieronymus in Ep. ad Evagrium, Chrysostomus hom. 11. in Ep. ad Tim., quorum testimonia agentes de Episcoporum supra Presbyteros eminentia recitavimus, diserte testantur, in hoc Episcopos a simplicibus differre Presbyteris, quod illi, non isti gignendorum Patrum per Manus impositionem habeant auctoritatem. Quocirca duo Oecumenica Concilia Florentinum ac Tridentinum merito rem definitam esse voluerunt.

Prob. 3. ratione. In quavis bene constituta Republica ordinarium jus eligendi Ministros ad supremos spectat ejusdem Reipublicae Praepositos atque Rectores. Ast Episcopi supremi sunt in Ecclesia Rectores: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, ajebat Apostolus Actor. cap. 20. Ad illos ergo de jure ordinario pertinet auctoritas alios ordinandi Ministros. Cui principio innixus Apostolus Titum Cretae reliquit ut alios per Ecclesias constitueret Presbyteros.

CONCLUSIO II.

Exploratum omnino est, simplicem Presbyterum administrare de jure extraordinario posse Tonsuram et quatuor minores Ordines, et probabilior illorum sententia videtur qui tenent eodem jure conferre posse etiam Subdiaconatum.

Prob. prima thes. pars. I. ex Conciliis. Plures Synodi cum in orientali tum in occidentali Ecclesia priscis temporibus celebratae facultatem conferendi Tonsuram et quatuor minores Ordines concesserunt Chorepiscopis, quorum bene multi episcopali insigniti non erant dignitate. Concilium Nicaenum 2. Can. 14. permittit Abbatibus ut ad minores Ordines promo-

veant proprios subditos , *dummodo Abbates Presbyteri sint*, *et ab Episcopo, juxta morem Abbatum praeficiendorum, fuerint benedicti.* Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 3. *Abbatibus*, inquit, *et aliis exemptibus non liceat in posterum cuiquam qui regularis subditus sibi non sit*, *Tonsuram vel minores Ordines conferre*. Quod si ad subditos regulares potestas ordinandi restringitur, jam illa Abbatibus relinquitur. II. ex Summis Pontificibus. Gelasius I. in Ep 9. tradit posse a summo Pontifice facultatem concedi Presbytero minores Ordines administrandi. Innocentius III. cap. *Cum contingat*, de aet. et qualit. Ordinand. de Tonsura ac Lectoratu illud idem adstruens., intelligi debet etiam de minoribus aliis Ordinibus. Innocentius IV. in cap. *Quanto*, de Consuetud. eamdem sequitur opinionem quam tribuit Sylvestro. Innocentius autem VIII. longe ampliora concessit Abbatibus cisterciensibus privilegia. 3. Accedit his omnium et veterum et recentiorum Canonistarum atque Theologorum consensus, quorum nomina superfluum est recitare.

Prob. altera pars prop. iisdem fere momentis quibus pars superior probata est. Nam Gelasius I. non de Tonsura modo ac minoribus Ordinibus, sed de Subdiaconatu quoque loquitur, ubi affirmat ex Summi Pontificis dispensatione posse non Episcopos ad Ordines promovere. Et revera facultatem conferendi etiam Subdiaconatum datam a Romanis Pontificibus fuisse Abbatibus benedictinis, cisterciensibus, et franciscanis in India missionariis, complures affirmant Theologi pontificia diplomata afferendo.

CONCLUSIO III.

Simplex Presbyter nequit Diaconatum, multoque minus Presbyteratum alteri conferre.

Prob. prior prop. pars. Theologi ac Canonistae qui contrariam huic assertioni tuentur ne unum quidem ex tota retro antiquitate exemplum proferre possunt ex quo demonstretur Ecclesiam alicui Presbytero facultatem fecisse, Clericos ad Diaconatus Ordinem promovendi. Neque enim putandum est nemini in mentem id venisse, aut non extitisse aliquando necessitatem hac in re dispensandi. Extitit utique et quidem non raro necessitas ut in pagis et oppidis Diaconi constituerentur, et nihilominus licet frequentissimi essent illis in locis Chorepiscopi, nullibi legimus hanc illis collatam fuisse potestatem. Noverat quippe Ecclesia septem Diaconos ab Apostolis, et alios deinceps per plura saecula ab Episcopis Apostolorum successoribus, nec ab alio quoquam Manuum accepisse impositionem. Hinc Gelasius superiori concl. laudatus admittit in simplici Presbytero potestatem conferendi ex Ecclesiae licentia Subdiaconatum, sed de Diaconatu omnino silet. His accedit auctoritas S. Thomae in 4. D. 25. Q. 1. art. 1. ad 3. et suffragium insignium Theologorum quorum sententias collectas vide apud praeclarum scriptorem Witasse.

Prob. altera pars thes. Nullum contrariae sententiae patroni aut ex

Scriptura aut ex Conciliis aut ex Patribus aut ex ecclesiastica historia exprompium proferre possunt momentum quo demonstretur simplices Presbyteros extra Ordinem, et ex Ecclesiae concessione aliquem ad Sacerdotium promovisse. Imo ex omnibus Theologiae fontibus eruitur omnino contrarium. Nam in Scripturis habemus primos Presbyteros sacrum hunc Ordinem recepisse ab Apostolis. Concilium Alexandrinum sub Athanasio coactum ex eo demonstrat, ut supra observavimus, Ischyram non fuisse Presbyterum, quod a simplici Presbytero Colluiho, et non ab Episcopo Manuum receperit impositionem. Patres omnes qui contra Aerianos pugnarunt, inde Episcoporum supra Presbyteros demonstrant eminentiam, quod Episcopi, et non Presbyteri possint Sacerdotium conferre. II. si quando Chorepiscopi Manus imponere tentarunt ut Diaconos ad Presbyteratum elevarent, non solum fuerunt ab Ecclesia acerrime reprehensi, sed insuper irritae vanaeque habitae sunt tales Ordinationes. Neque alia de caussa quando ab arianis Regibus ex Africa pulsi sunt Episcopi tam magna inter Catholicos exorta est commotio nisi quia absentibus Episcopis, etiam Presbyteri qui populos regerent, paullatim defecissent, quod sane timere non poterant si Presbyter Presbyterum efficere posset. III. demum ex laxa illa nimis adversariorum opinione duo magna sequuntur incommoda. Primum, quod ea semel adscita, Episcoporum excellentia supra Presbyteros difficile admodum adversus Presbyterianos propugnatur; ea quippe eluditur discriminis ratio quam Episcopos inter atque Presbyteros contra Aerianos urgent veteres Patres. Alterum vero, quod Catholicorum argumentum ad demonstrandum Protestantium schisma ex Pastorum successione deductum non parum enervatur, quum reponere possint, Presbyteros quales erant Lutherus, Zuinglius, et ceteri, alios sibi substituisse Presbyteros. Rejicienda ergo videtur omnino tam libera nonnullorum sententia.

Adversariorum objectamenta refelluntur.

Obj. 1. cont. 1. prop. In Ep. 1. ad Tim. cap. 4. v. 14. sic scribit Apostolus: *Noli negligere Gratiam quae data est tibi per Prophetiam, cum impositione Manuum Presbyterii.* Pauli sententia haec insinuat ab exordio Ecclesiae Presbyteros ita ordinario jure conferendi Ordines fuisse praeditos ut consecrarent etiam Episcopos. 2. Patres Nicaeni Concilii in Ep. synodica quae apud Theodoretum aliosque veteres legitur, Presbyteris a Meletio schismatico Ordinatis facultatem in schismatis poenam adimunt quemquam ad Ordines promovendi, προχειρίζεσθαι, potestate relicta illis qui ad nullum schisma defecerant. Presbyteri ergo a simplici ordinati Presbytero valide Sacramentum recipiebant. Unde hoc nisi ex jure ordinario Ministerii. Huc faciunt multa argumenta quae a Presbyterianis afferri solent ad aequam in Episcopo ac Presbytero statuendam potestatem.

Resp. ad 1. Agentes in superioribus de Episcoporum supra Presbyteros eminentia adversus Calvinistas sententiam Apostoli in suo vero sensu explicavimus, quod nempe *Presbyterii* nomine Ecclesiae eo loci intelligatur

Senatus vel ex solis Episcopis vel ex Episcopis simul atque Presbyteris constitutus; quo in consessu Manuum acceperat impositionem Timotheus ab Episcopo, hoc est ab ipso Apostolo Paulo: vel si Presbyteri quoque de Senatu Manus imposuerunt, ad ritum id, non ad Ordinationem spectabat, ut nunc etiam fit in Ecclesia Romana. Sed relege quae laudato loco diximus.

Ad 2. Patrum Nicaenorum sententia fuit ut Presbyteri meletiani in schismatis poenam jure privarentur, non ordinandi, quod jus numquam habuerant, sed suffragii ferendi in Presbyterorum electionibus. Neque enim graecum verbum, προχειρίζεσθαι, significat, *ordinare*, sed, *promovere*, et per suffragium eligere.

Obj. 2. adv. alter. thes. Ordines qui minores dicuntur et Subdiaconatus vera Sacramenta sunt ac Ordines proprie dicti. Ast solus Episcopus, non alius quavis praeditus facultate Ordines proprie dictos conferre potest. 2. Si de Subdiaconatu loquamur, inter majores Ordines computatur, et relationem habet ad Corpus Christi conficiendum; quapropter sicuti hac de caussa ordinari nequit Presbyter a Presbytero, ita nec ordinari poterit a simplici Presbytero Subdiaconus.

Resp. ad 1. Non pauci sunt Theologi qui Ordines minores ac Subdiaconatum proprii nominis Sacramenta esse inficiantur, indeque concludunt simplices Presbyteros, supposita Ecclesiae facultate, posse illos conferre. Qui autem eos Ordines Sacramenta esse concedunt, dum a non Episcopis administrantur, talia esse negant, affirmantes esse mera Sacramentalia. Deinde nonne Confirmatio Sacramentum est, et non secus ac Ordo Characterem imprimit in anima? Et nihilominus impellente necessitate ex Sedis Apostolicae dispensatione a simplici Presbytero etiam in Ecclesia latina valide administratur. Cur ergo idipsum de minoribus Ordinibus ac Subdiaconatu dici non potest?

Ad 2. Subdiaconatus inter majores Ordines relatus non est nisi post saeculum 10. Quare si antea poterat a non Episcopo, ex indulto Ecclesiae, administrari, non video cur etiam nunc id fieri non possit. Falsum autem est Subdiaconatum respicere Eucharistiam vel conficiendam vel distribuendam. Nam confectio Eucharistiae ad solum Sacerdotem, distributio autem ad Diaconum spectat. Ac tandem, etiam minores Ordines aliquam ad Eucharistiam relationem habent, et tamen fatentibus omnibus possunt a non Episcopis administrari.

Obj. 3. cont. 3. prop. Innocentius VIII. R. P. Abbatibus cisterciensibus edito diplomate concessit ut Monachis sibi subjectis, ne extra claustrum discurrere cogerentur, non solum Subdiaconatum, sed etiam Diaconatum conferrent. II. Et eo privilegio iidem Abbates usi sunt Romae et in Galliis, Summo Pontifice Alexandro VII. non reclamante.

Resp. ad 1. Illud Innocentii VIII. diploma non parum Theologorum ingenia exercuisse. Nam qui Diaconum a simplici Presbytero neque ex Apostolicae Sedis licentia ordinari posse contendunt, Innocentianam Bullam falsam esse aut subreptitiam demonstrare conantur. Eam vero germanam esse et ex deliberato animo exaratam defendunt qui affirmativam

propugnant partem. Vide vitiligationem apud cl. Witasse. Arbitror ego examini non subjecisse Innocentium Joannis Abbatis cisterciensis petitionem, atque in re disputabili opinionem quae sibi probabilior videbatur sequutum, petitioni annuisse. Nec proinde potest erroris insimulari quum controversiam hanc non definierit.

Ad 2. Numquam demonstrare poterunt adversae sententiae tutores, Ordinationes ab Abbatibus intra septa habitas monasterii notas fuisse Summo Pontifici Alexandro VII. ut reclamare, easque nullas declarare posset.

Obj. ultimo adv. eamd. thes. Chorepiscopi aliquando Diaconos ad Presbyteratum promoverunt. II. nunc etiam simplices Presbyteri una cum Episcopo, dum Presbyter ordinatur, Manus imponunt. III. Theologi, ecclesiasticique juris periti complures totis viribus sententiam hanc propugnant.

Resp. ad 1. Chorepiscopi quorum Ordinatio Presbyterorum rejecta non est ab Ecclesia, episcopali insigniti erant Charactere. Nam licet plerique simplices essent Presbyteri, non pauci tamen erant Episcopi.

Ad 2. Presbyteri qui in aliorum Presbyterorum Ordinatione Manus una cum Episcopo imponunt, faciunt id in signum consensus et societatis, non ad imprimendum Characterem, quum solus Episcopus orationem ac verba pronunciet.

Ad 3. Qui in contrariam a nostra abiere sententiam, aut rem hanc non satis accurate expenderunt, aut illam amplexati sunt falsis innixi principiis. Puta Aureolus eam tribuit Presbyteris auctoritatem, quoniam *gradus Episcopalis, et Sacerdotium non sunt distinctae potestates*. Et Nicolaus de Orbellis probabilem hanc opinionem existimat, quoniam *in primitiva Ecclesia non erat distinctio Sacerdotum, et Episcoporum*. Accedit etiam quod Theologi qui liberam illam sequuntur sententiam pauci admodum numero sunt, et iisdem fere momentis ac Canonistae innituntur.

CAPUT IX.

De Sacrae Ordinationis subiecto.

Veteres nonnulli philosophantes potius quam haeterodoxi qui de christiano nomine gloriabantur, quales erant Marcosii, Montanistae seu Pepuziani, et Surculus quidam Eutychianorum acephali, aliique hujus furfuris homines tam vehementi libidinis aestu in mulieres ferebantur, tantoque eas diligebant ardore ut in sacri Ministerii partes assumere foeminas non dubitaverint. Imo et quidam fuere Collyridiani sic nuncupati, qui B. Mariae Virgini non per se, sed per mulierum manus sacrificia et placentas, Gentilium more, tamquam Deae statutis per annum diebus offerebant. Cumque delirantes hosce phanaticos debita confutatione refellerint Tertullianus de Praescript. cap. 41. et alibi, Irenaeus lib. 1. adv. Haer. Epiphanius Haer. 49. et Augustinus in lib. de Haer. cap. 27. nemo est inter Catholicos qui portentum hoc non execretur.

Haeresis hujus refutandae occasione Theologi circa sacrae Ordinatio-

nis subjectum plures instituere solent quaestiones quas enucleatas et prudenter resolutas vide apud cl. Witassii Continuatorem. Praecipuae autem sunt sequentes: An qui baptizatus non est, si ordinetur recipiat Sacramenti Characterem; An puerilis aetas capax sit sacrae Ordinationis: Et an validus sit Ordo collatus invito prorsus ac reluctanti; quas brevi stilo hoc in capite nos ventilabimus, postquam monstruosam de mulierum sacra Ordinatione sententiam confutaverimus. Unde sit

CONCLUSIO I.

Mulieres non sunt sacrae Ordinationis suscipiendae capaces.

Prob. 1. Scripturis. Apostolus in Ep. 1. ad Cor. cap. 19. v. 34. scribit: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et Lex dicit.* Paria his tradit in Ep. ad Ephes. cap. 5. v. 22. et in 1. ad Tim. cap. 2. v. 2. *Mulier*, inquit, *in silentio discat cum omni subjectione.* Sane Ordo sacer importat ut qui eo insignitus est populum in Religionis doctrina erudiat, in eumdem populum auctoritatem exerceat, et loco Christi sit reliquorum caput sicut Christus ipse est invisibile caput totius Ecclesiae. Haec autem omnia a foemineo sexu excludit Apostolus, ut ex allatis testimoniis apparet. Hinc in vera sive V. sive N. T. Ecclesia numquam occurrit ut mulier aliqua Sacerdotio fungeretur.

Prob. 2. ex PP. qui opinionem hanc quam nos impugnamus, tamquam haereticam confutaverunt simul ac deriserunt. Tertullianus de Veland. Virgin. cap. 9. inquit: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.* Epiphanius loco supra laudato sacerdotissas Collyridianorum multis Scripturarum sententiis insectatur ac irridet. Idem facit Ambrosiaster adversus Cataphrygas, et S. P. Augustinus loco superius commemorato opinionem illam fatuam appellat et insolentissimam. Quibus innixa fundamentis Ecclesia Marcosios, Pepuzianos, Collyridianos, et alios qui mulieribus sacrum Ordinem conferebant tamquam haereticos e sinu suo ejecit.

Prob. 3. rationibus. I. nequit Ordinis Sacramentum absque capillorum incisione conferri, exordium quippe ducitur a Tonsura. Verum mulieri quae velato capite incedere debet, *turpe est tonderi*, scribit Apostolus in 1. ad Cor. cap. 11. II. si quae mulier fungi in N. T. Sacerdotio debuisset, haec proculdubio esse debuisset omnium dignissima Redemptoris nostri purissima Mater. Ast nec a Christo nec ab Apostolis ad sacram Ordinationem promotam fuisse legimus, imo nec supremae Coenae in qua Eucharistiae Sacramentum fuit institutum, praesens adfuit. III. vir fuit, non mulier, mediator Dei et hominum Homo Christus Jesus cujus vices gerunt in terris Sacerdotes, atque adeo non de foemineo, sed de virili sexu eligi debent qui Altari inserviunt.

CONCLUSIO II.

Solus baptizatus homo idoneus est ad Ordines suscipiendos.

Prob. Concilium Nicaenum 1. Baptizatos a Paulianistis, si ordinati in eorum secta invenirentur, ad Ecclesiam redeuntes praecepit non modo rebaptizandos, sed et reordinandos esse si in Sacerdotio manere vellent: idque non alia de caussa, quia Baptismatis formam quum deturparent, habebantur tamquam non baptizati. Et quoniam insignis eutychianus et antiochenae Sedis invasor Petrus Fullo quemdam Xenajam nondum baptizatum Episcopum consecraverat, nulla et irrita talis Ordinatio habita est ab Ecclesia. Cohaerenter ad haec in 3. Decretal. antiquissimus legitur Canon hisce verbis expressus: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.* Canonem hunc in Concilio Compendiensi exaratum citat Innocentius III. in Ep. ad Episcopum Ferrariensem, in qua decernit Ordinatum absque Baptismate esse prius baptizandum, deinde reordinandum, addens, Baptisma fundamentum esse omnium Sacramentorum. Eugenius IV. definiens, *primum omnium Sacramentorum locum tenere Baptisma, quod vitae spiritualis janua est, per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiae*, sententiam hanc nostram apertissime confirmat. Nam quomodo praeclariora exercere potest Ecclesiae munera qui in Ecclesiam per illius januam quae est Baptisma, ingressus non est? Quomodo inter nobiliora Christi membra potest computari qui ad corpus ejus defectu Baptismatis minime pertinet?

CONCLUSIO III.

Ut Ordo sit validus, quaelibet sufficit aetas; ut autem licite conferatur, standum est Decretis Ecclesiae.

Prob. prior thes. pars. Viguit antiquitus in Ecclesia consuetudo ut pueruli ante usum rationis aliquando Deo consecrarentur per inferiorum Ordinum collationem. Nam de S. Felice Nolano cecinit Paullinus: *Et primis Lector servivit in annis.* De africano Clero in exilium a Vandalis Religionis caussa pulso narrat Victor Vitensis in lib. 5. de Persec. vand. cap. 9. quod inter exules plurimi erant Lectores *infantuli.* Eutymius Abbas anno aetatis suae tertio, ut scribit Cyrillus Scytopolitanus in illius vita, baptizatus et Lector ordinatus fuit. Hoc idem de Eugenio I. qui ad Summum evectus fuit Pontificatum saeculo 7. in Pontificali Romano legitur, quod scilicet *Clericus fuerit ab incunabulis.* Et Joannes Morinus ex can. 1. Concilii Toletani 2. et 19. Concilii 3. Carthaginensis, nec non ex Decretalibus Syricii et Zosimi colligit, communem fuisse priscis illis temporibus in Ecclesia praxim, filiolos in puerili aetate Deo per Clericatum mancipare. Quam praxim Joan. Franciscus Baldini illustrat atque confirmat in Not. ad Anastas. Biblioth. ex urna marmorea in qua corpusculum Maximi infantis inventum est, in cujus annulo haec erat epigraphes: MAX.

LEVIT. Levitae nomine, more veterum, pro minori Clerico sumpto. Nec deest afferri solita a Scholasticis ratio, scilicet quod Sacramenta quae Characterem imprimunt nullum exigunt ex parte subjecti liberum actum, ut exemplo patet Baptismi et Confirmationis.

Prob. alt. pars prop. Animadvertens Ecclesia omnes Ordines sua habere determinata munera, quum horum obeundorum capaces non sint infantuli, in multis Conciliis ac etiam in Tridentino certa quaedam aetas pro singulis recipiendis Ordinibus statuta est; unde si quis praeter sancitam aetatem, quemlibet susciperet Ordinem, valida quidem, sed illicita foret Ordinatio.

CONCLUSIO IV.

Nullus est Ordo invito ac penitus reluctanti collatus.

Prob. Tametsi Sacramenta quae Characterem producunt, liberum plerumque non exigant in suscipiente consensum, unde qui terroribus atque supplicio ad Baptismum attrahitur, Sacramenti recipit Characterem, ut Innocentius III. in cap. *Majores*, §. *Item quaeritur*, definivit, nihilominus si sit in subjecto expressa suscipiendi Sacramenti ac determinata contranitens voluntas, Sacramentum omni effectu vacuum remanere probabilissimum est; quoniam expressa illa ac manifesta animi contradictio obex est qui omnem impedit Sacramenti effectum. Qua de re Ordo invito penitus ac reluctanti collatus, tamquam irritus et nullus haberi debet. Argumentum est Innocentii III. R. P. loco proxime laudato, qui de Baptismo ejusque effectu loquens scribit: *Ille qui numquam consensit, nec rem nec Characterem suscipit Sacramenti*. Et paullo post Decretum suum concludens subdit: *Tunc autem Characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem.* Haec quidem de Baptismo pronuntiat Summus Pontifex, sed de Ordine quoque esse intelligenda, per se manifestum est.

Nec valet cum nostro Van-Roy reponere cogi ad Baptismum non posse invitum, quoniam cum extra Ecclesiam sit, nullam in eum habet eadem Ecclesia potestatem: posse autem per vim compelli Baptizatum ad Ordinem, quoniam Catholicus subditus est Ecclesiae. Et quemadmodum potest Respublica civem ad publicum obeundum munus obligare, quoniam Reipublicae membrum est, ita potest Ecclesia virum baptizatum, etiam invitum ac renitentem ad Ordines suscipiendos, velit, nolit, attrahere, quoniam est Ecclesiae membrum. Non juvat, inquam, haec reponere. Nam primo, ideo qui extra Ecclesiam est, nequit, ipso expresse renuente, baptizari, quoniam Christus expresse praecepit ne quis ad evangelicam Legem amplectendam cogeretur invitus. Et similiter nullibi legimus virum Baptismate initiatum subjiciendum esse per vim sacris Ordinibus. Imo legimus in Evangelio, ecclesiastica munera exercere vi Ordinis, consilii esse, non praecepti. Qua de re sicuti infidelis ante Baptismum ita sui juris est ut cogi ad illum suscipiendum nequeat, licet necessarius absolute sit ad salutem, sic vir ba-

ptizatus ita sui juris est comparate ad Ordinem clericalem, ut si per vim ei conferatur, irritus omnino sit et invalidus, praesertim cum necessarius minime sit ad salutem. Secundo, potest utique civis ad exercenda Reipublicae munera cogi, quoniam Reipublicae ministeria quum extrinseca sint subjici possunt coactioni. Ast potestas ecclesiastica quae tota in animo residet, qua ratione coactionem et violentiam pati potest? Quapropter praestantissimi Theologi argumentum demonstrat quidem, posse Ecclesiam necessitate exigente omnem vim adhibere, et suasione uti et minis atque terroribus ut a probo viro obtineat in sacram Ordinationem assensum, non autem contradicentem illum, et expresse invitum ac reluctantem, adhibita extrinseca vi, ordinare.

Nonnullae adversus statutas theses solvuntur difficultates.

Obj. I. cont. 1. prop. In Ecclesia tam orientali quam occidentali in usu per plura saecula fuere Diaconissae quae juxta Concilia ac veteres Patres per Ordinationem consecrabantur. Nam imponebantur illis manus, oratio super illas fundebatur, ceteraque fiebant quae in Diaconi fieri solent Ordinatione, ut ex graecis Euchologiis, et antiquo Pontificali Romano apparet. II. in ecclesiastica historia crebro commemoratio occurrit episcopae atque presbyterae. Quid hoc est nisi quia foeminis conferebatur olim, licet raro, Episcopatus et Presbyteratus? III. Honorius nominis hujus III. non dubitavit jurisdictionem cuidam Abbatissae tribuere ecclesiasticam, facultatem ei concedendo ut Clericos sibi subjectos ab officio ac beneficio suspenderet. Constat id ex *cap. Dilecta*. Et quaelibet Monialium Praefecta nonne regimen habet sacrarum Virginum? Imo non dedignatur Ecclesia permittere mulieribus ecclesiastica possidere beneficia. Non sunt ergo tam rude ab Altaris ministerio arcendae mulieres.

Resp. haec minima esse. Atque ad 1. Ordinatio, Consecratio, Manuum impositio, ceteraque nomina quae a veteribus de Diaconissis loquentibus usurpabantur, nomina sunt quae lato quodam, non stricto ac rigoroso sensu sumebantur. Quum enim certa quaedam munera, ut mulierum Baptisma recipientium, corporum denudatio, earumdem intra domesticos parietes instructio, et Templi januae per quam foeminae ingrediebantur custodia, et vigilantia super eas in Ecclesia commorantes, quum, inquam, munera haec non omnibus promiscue committi possent, quia non omnes ad ea obeunda erant idoneae, consuevit Ecclesia mulieres nonnullas aetate maturas, prudentia morumque honestate exornatas eligere, quibus laudata mox officia committerentur. Et quoniam exercitium illud spirituale quoddam ministerium erat, dictae sunt Diaconissae, et a foeminarum vulgo per quamdam benedictionem, impositionemque Manuum segregabantur. Ast ea benedictio et consecratio, et Manuum impositio, non Sacramentum aut proprie dicta Ordinatio, sed ritus quidam erat coeremonialis, ut ex omnibus antiquis Scriptoribus qui de Diaconissis verba fecerunt, apparet, quorum testimonia legi possunt apud Cotelerium, Morinum, Mabillonium, atque du-Gangium.

Ad 2. Nemo ignorat episcopas atque presbyteras quarum mentio fit

in historia, priscis Ecclesiae temporibus fuisse uxores illorum qui ad Episcopatum ac Presbyteratum a Clero et populo eligebantur. Neque enim tam ingens erat tunc Fidelium numerus ut qui Episcopi vel Presbyteri munere dignus esset, inter coelibes semper inveniretur. Mulieres autem illae a maritis statim sejungebantur, ac votum emittebant castitatis. Et quoniam Episcopi vel Presbyteri fuerant uxores, dicuntur in historia ecclesiastica episcopae vel presbyterae.

Ad 3. Discrimen non parvum est inter internam potestatem in animas, ac externam quamdam jurisdictionem. Hanc, non illam cuidam Abbatissae indulsit Honorius III. cui optime notum erat ligandi atque solvendi facultatem viris, non mulieribus fuisse a Christo collatam. Imo extrinseca illa jurisdictio Abbatissae concessa, suspensio quaedam erat improprie sic nuncupata. Nam Summus Pontifex non Abbatissae, sed cuidam Abbati commisit ut si ab illa suspensi non obtemperarent, ecclesiasticis censuris compelleret reluctantes. Multo minus mulierum juvat caussam quod e vestigio subjungitur. Nam munus Abbatissae nil aliud denique est quam domestica quaedam sacrarum Virginum cura atque tutela. Quod sequitur de nihilo est, quoniam in potestate est Ecclesiae bona sua justa de caussa etiam mulieribus distribuere, quemadmodum faciebant Apostoli qui Fidelium oblationibus viduas quoque sustentabant.

Obj. 2. cont. alt. prop. Qui ante Baptismi susceptionem integram Fidem habet, membrum evadit Christi Domini. Cur ergo promoveri ad sacros Ordines non poterit? 2. Narrat Socrates Hist. lib. 5. cap. 22. quod *in urbe alexandrina Lectores et Psaltae, absque ullo discrimine, tam catechumeni, quam Fideles sunt.*

Resp. ad 1. Qui ante Baptismum veram Fidem habet, membrum evadit Christi, quatenus illi adhaeret; atque si lavacrum regenerationis in votis habeat, particeps esse potest aeternae salutis. Ast non est adhuc insertus Ecclesiae, neque membrum ejus est; quod requiritur ut sit suscipiendorum Ordinum idoneus.

Ad 2. Non loquitur Socrates de Lectoris atque Cantoris Ordine; neque enim χειροτονίας, aut χειροθεσίας nomine utitur. Sed loquitur tantum de legendi atque psallendi officio, quod Alexandriae a viris laicis ac etiam catechumenis exercebatur; unde immediate subdit: *Omnibus ubique Ecclesiis ad Ordinem hunc promoventibus.*

Obj. 3. cont. 4. thes. Multa ex ecclesiastica historia depromi possunt exempla quae commonstrant in more positum fuisse apud veteres ut inviti ac reluctantes ordinarentur. Ita ordinatos fuisse Cyprianum, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Nepotianum, S. P. Augustinum, Paulinum, et alios, patet ex antiquitatis monumentis. Et Ordinationes illae absque ulla haesitatione validae habitae sunt ab Ecclesia. De Pauliniano S. Hieronymi fratre narrat Epiphanius, magna illata vi fuisse ordinatum, primitus Diaconum, tum non multo post, nova adhibita violentia, ad Presbyteratum fuisse promotum. Macedonius, teste Theodoreto, a Flaviano Antiocheno, ipso Macedonio inscio et quid in se fieret ignorante, consecratus, postquam Pre-

sbyterum se factum fuisse agnovit, baculo cui innitebatur, Pontificem ejusque Ministros insectabatur. Bassianus non solum non acquiescens, sed reluctans penitus et contradicens a Memnone Ephesinorum Antistite inter plagas ac sanguinem quo Altare sanctumque Evangelium fuere respersa, Evazorum Episcopus fuit ordinatus. Gregorius Thaumaturgus quem Phoedimus Amaseuus ut Sacerdotio insigniret, manu capere non potuit, interjecto spatio triduani itineris, loco impositionis Manuum, sermonem adhibens, ordinavit. Denique etiam Salamanes quamvis ignoraret quid Episcopus faceret, ordinatus fuit Episcopus. Quae Ordinationes validae habitae sunt, ut ajebam, ab Ecclesia. Qua de re valet utique Ordo invito prorsus ac reluctanti collatus.

Resp. Omnia ex ecclesiastica historia deprompta exempla ostendunt quidem multos primis Ecclesiae saeculis ordinatos fuisse invitos, sed non reluctantes penitus et constantissime contradicentes. Quum sancti illi viri exquisita praediti humilitate, indignos se Sacerdotio ac Episcopatu existimarent, populus vi apprehendens eos Antistiti ordinandos praesentabat, qui post multam repugnantiam Dei timore commoti, tandem Ordinationi consentiebant. Hoc de Cypriano, Gregorio Nazianzeno, Ambrosio, Augustino, et aliis legimus. Imo exempla quae contrariam a nostra sententiam aperte confirmare videntur, non alio intelligenda sunt modo. Ita Paulinianus non prius consecratus fuit in Presbyterum, quam Manuum impositioni consenserit: *Valde quippe obnitebatur,* scribit Ordinator ejus Epiphanius, *indignum se esse contestans: vix ergo compulimus eum, et persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, et persuasione mandatorum Dei*. Gregorii Thaumaturgi, Danielis Stylitae, aliorumque similium facta, si in adversariorum sensu admittantur, nimis quam ipsi velint demonstrant. Ostenderent nimirum posse aliquem absentem, et absque Manuum impositione ordinari. Ceterum quod Gregorium spectat, alter Gregorius nempe Nyssenus in eadem narratione subdit: *Post haec iis quae legitime fieri solent super illum peractis,* etc. Theodoretus qui Macedonii describit Ordinationem inquit: *Scimus sane, haud laudandam multis visum iri hanc narrationem*, contestans illam se afferre ad animi ejus simplicitatem demonstrandam. Deinde aliud est inscium esse eorum quae fiunt, aliud vero invitum penitus ac repugnantem. Macedonius interim sponte se Altari admoveri permisit, et cum super eum sacri celebrarentur ritus, ne verbum quidem protulit. Hoc idem dicendum de Salamane qui divinae se voluntati committens passus est, in eo fieri quae facta sunt. Vide exempla haec enucleatius exposita apud Joan. Laur. Berti. Multa alia scitu digna ac utilissima exponenda forent de Sacramento Ordinis. Sed quoniam propositum nostrum est theologicas studiosae juventuti tradere Institutiones, ne nimis quam par est Tyronum memoriam oneremus, consulto missa facimus, eos exhortantes ut adultiores facti magna volumina evolvant praestantissimorum virorum qui de re sacramentaria scripserunt, quorumque nomina nota sunt omnibus.

Finis libri XLI.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XLII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Oh! admirabilis divini Numinis Sapientia! Matrimonium quod in officium naturae ad humanam speciem propagandam fuerat ab initio institutum, et subinde ad Reipublicae conservationem et tranquillitatem tamquam civilis contractus adoptatus, tandem a Christo Servatore nostro fuit ad esse Sacramenti Gratiam sanctificantem conferentis exaltatum. Postremo hoc modo consideratum magnam habet cum Sacramento Ordinis analogiam. Nam praeter sanctificationem quam communem cum Ordine aliisque Sacramentis habet, sicut Ordo ad Christianae Religionis publicum bonum institutus est; per Ordinem nimirum sacri constituti Ministri nos per Baptismum regenerant, per Eucharistiam enutriunt, renovant per Poenitentiam, et ita de reliquis, et per acceptum a Christo Ministerium nos regunt atque gubernant, ita per Matrimonium quod virum mulieri copulat, filii legitime generantur, in Dei timore instituuntur et pascuntur et gubernantur. Quare postquam superiori libro de Ordine disputavimus, nunc postremo hoc volumine de Matrimonio erit brevissime disserendum. Sed antequam ad rem descendamus, nomen ipsum Matrimonii est explicandum. S. P. Augustinus lib. 19. cont. Faust. cap. 26. *Matrimonium*, inquit, *ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat foemina nubere, quam ut mater fiat*. Consentiunt Augustino Jureconsulti qui apud Brissonium de Verbor. signific. ajunt, *Matrimonium dici a matris nomine, non adepto jam, sed spe et omine mox adipiscendo.* Tria alia habet Matrimonium nomina, videlicet, *conjugium, connubium, nuptiae,* quorum originatio disci potest a Lexicographis. Matrimonium autem triplici ratione, ut paulo ante ajebam, spectari potest, nimirum ut *Officium naturae* ad propagandam speciem, quo sensu commune est omnibus sive infidelibus sive fidelibus. Secundo ut *Contractus civilis* ad Reipublicae societatisque bonum ordinatus; atque hoc modo ab iis etiam qui Sacramentum esse inficiantur, consideratur. Tertio prout a Christo ad esse *Sacramenti* fuit elevatum, et definiri potest *Sacramentum novae Legis, in quo vir et mulier per maritalem conjunctionem individuam vitae consuetudinem legitime ineunt.* De Matrimonio hoc postremo sensu acceptum hoc in opusculo nos disseremus.

CAPUT I.

An Matrimonium verum sit novae Legis Sacramentum.



Non animus hic est Simonis Magi, Saturnini, Tatiani, Marcionis, ac Manetis sectatorum exagitare deliramenta, qui licet impudicissimi essent, ut morum tamen castitatem per hypocrisim affectarent, non solum a Sacramentorum albo Matrimonium expunxere, sed affirmare ausi sunt Nuptias inventum esse Diaboli, spurcissimam scortationem, impudicitiaeque seminarium. Non hos stultos haereticos, inquam, in animo habemus adoriri, tum quia a Tertulliano, Clemente Alexandrino, S. P. Augustino, aliisque veteribus confutati fuere strenuissime, tum etiam quoniam nemo tam stultus modo est qui bonas esse Nuptias, et a Deo institutas, et a Christo praesentia sua in Cana Galilaeae sanctificatas non fateatur. Agemus potius contra Lutheranos et Calvinistas qui licet bonas esse Nuptias, et ad societatis tranquillitatem conservationemque conducere nobiscum fateantur, negant tamen ad esse Sacramenti fuisse a Christo sublimatas. Contra hos ergo sit

CONCLUSIO

Matrimonium verum est novae Legis Sacramentum.

Prob. 1. Scripturis. Paulus ad Ephes. cap. 5. de Matrimonio loquens, *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*. Et paullo ante scripserat: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea*. Si duo haec testimonia, ut animadvertit cl. Berti, solitarie cum nonnullis Theologis accipiantur, minime demonstrare videntur Matrimonium esse proprie dictum Sacramentum, tum quia non semper Sacramenti nomen signum rei sacrae Gratiam producentis significat, tum quia etiam Nuptiae infidelium unionem Christi cum Ecclesia aliquo sensu repraesentant. Ast si Apostoli contextus et scopus sedulo attendantur, non leve caussae nostrae suppeditant argumentum. Nam vult ibi Paulus viri ac mulieris per Matrimonium conjunctionem non carnale dumtaxat vinculum, sed Gratiam praeterea respicere et Caritatem, quoniam per Caritatem et Gratiam, non per solum humanae naturae consortium fuit Christi Domini unio cum Ecclesia. Deinde praecipit Apostolus ut viri diligant uxores non modo propter filiorum procreationem, sed ob consecutionem quoque aeternae vitae; quemadmodum Christus sponsus factus est Ecclesiae, non solum, ut illam undique congregatam sibi copularet, sed praeterea ut illam sanctificaret atque mundaret, et gloriosam sibi exhiberet sine macula. Hoc sensu Matrimonium christiano ritu celebratum Sacramentum magnum est in Christo, et in Ecclesia. Ast quis non videt tale connubium Gratiam secum ferre ac sanctificationem quae veri proprieque dicti novae Legis Sacramenti effectus est? Potest ne conjunctionis Christi cum Ecclesia in sensu ab Apostolo intento ab infidelium Matrimonio repraesentari? Nec aliter sentire poterat Apostolus qui probe noverat Christum invitatum in Cana Galilaeae una cum discipulis ad Nuptias, eas praesentia sua honestasse, ut narratur Joan. cap. 2. non ad merum urbanitatis actum exercendum, sed ut institutis a Deo Nuptiis Gratiam conferret per benedictionem, ut demonstrat primum ab eo patratum in illa circumstantia miraculum, et veterum Patrum firmissima auctoritas quorum testimonia mox afferemus.

Prob. 2. ex Traditione cujus testes sunt antiqui Patres. S. Ignatius in Ep. ad Polycarp. *Decet*, inquit, *ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi Conjugium faciant, quae nuptiae sint secundum Dominum*. Cur benedictio Episcopi, si conjugium res mere profana est? Justinus Martyr. in Dial. cum Triph. affirmat, *Connubia Jacobi rei per Christum perficiendae figuram fuisse*. Clemens Alexandrinus in lib. 3. Paedag. mulieres illas redarguit quae alieno capillitio pedibus sistebant Sacerdotum ut nuptialem reciperent benedictionem. Tertullianus lib. 2. ad Uxor. cap. ultimo commemorat benedictionem et Gratiam in Nuptiarum celebratione: *Ad enarrandam*, inquit, *felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet*. Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 7. de eo qui vult alienae uxori nubere

loquens scribit: *Qui sic egerit, peccat in Deum cujus legem violat, Gratiam solvit, et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti caelestis amittit consortium.* S. P. Augustinus tract. 9. in Joan. ait: *Per hoc ergo Dominus invitatus venit ad Nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, et ostenderetur Sacramentum Nuptiarum.* Cyrillus Alex. lib. 2. in Joan. affirmat, ideo Christum ad Nuptias venisse, *ut illas praesentia sua cohonestaret, et veterem partus tristitiam depelleret, iisque quoque qui postea nascituri erant, Gratiam praestitueret.* Epiphanius Haer. 67. *Nam,* inquit, *venerabiles esse Nuptias, et Dei, aspirante Gratia, Regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoscat, quod ad Nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret?* Maximus Hom. 1. de Epiph. *Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum potestate constituit, nunc praesentiae suae benedictione sanctificet.* Redeo nunc ad praestantissimum Doctorem Augustinum qui in pluribus suis operibus veri Sacramenti rationem agnoscit in Matrimonio quod christiano ritu inter Fideles initur. Sic in lib. de Bono Conjug. cap. 24. in Nuptiis Fidelium tria distinguit, generationem, fidem, Sacramentum; ait enim: *Bonum igitur Nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Eodem in lib. cap 15. scripserat: *Semel initum Connubium in Civitate Dei nostri . . . nullo modo potest nisi alicujus eorum morte dissolvi*; usque adeo cujusdam Sacramenti res est. Et cap. 18. *In Christianorum quippe Nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam foecunditas uteri.* Et in lib. 1. de Nupt. et Concup. cap. 10. *Non tantum foecunditas, cujus fructus in prole est; nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides; verum etiam quoddam Sacramentum Nuptiarum commendatur Fidelibus conjugatis.* Et cap. 17. *In Nuptiis bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum.* Brevitatis caussa multa alia omitto. Falsus est ergo Calvinus qui lib. 4. Instit. cap. 19. fidenter affirmat neminem ante Gregorium M. habuisse ut Sacramentum Matrimonium.

Prob. 3. ecclesiasticis definitionibus. Syricius R. P. in Ep. ad Himerium cap. 4. *Illa benedictio,* inquit, *quam nupturae Sacerdos imponit, apud Fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Innocentius I. in Ep. ad Probum scribit: *Statuimus, Fide Catholica suffragante, illud esse Conjugium, quod primitus erat divina Gratia fundatum.* Concilium Carthaginense 4. cap. 13. *Sponsus et Sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offeruntur.* Concilia Veronense sub Lucio III. Lateranense sub Innocentio item III. Constantiense, Florentinum, Tridentinum aperte definiunt Matrimonium esse Sacramentum, et eos qui contradicunt subjiciunt anathemati.

Adversariorum argumenta refutantur.

Obj. 1. Quod Paulus ad Ephesios scribens Matrimonium Sacramenti nomine honestet, non demonstrat esse illud reliquis accensendum novae Le-

gis Sacramentis. Nam eo appellatur nomine ab Apostolo ampliori quodam sensu, quatenus nempe rei alicujus sacrae symbolum est; quod sequentibus probare nituntur argumentis. I. ut aliquid sit proprie dictum novae Legis Sacramentum, debet esse a Christo Domino institutum, ut sunt Baptismus et Eucharistia. Conjugia autem jam ab exordio mundi fuerant a Deo Conditore instituta. II. verum Sacramentum esse debet sensibile Gratiae sanctificantis signum: quum interim Matrimonium in infidelibus nullam significet neque producat sanctificationem. III. praeter sanctificantem Gratiam debet Sacramentum rem aliquam sacram adumbrare. Ast vero Conjugia rem mere humanam significant et naturalem.

Resp. argumentum hoc superius a nobis fuisse jam praeoccupatum ubi genuinam apostolicae sententiae dedimus interpretationem, duplicem in conjugatis distinguentes unionem, nimirum secundum corpus, et secundum animam. Illis modo addimus quae Magister Sentent. dist. 26. scribit: *Ut enim inter conjuges conjunctio est, secundum consensum animorum, et secundum permixtionem corporum: sic Ecclesia Christo copulatur voluntate, et natura, quia idem vult cum eo; et ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo Sponsa Sponso spiritualiter et corporaliter, idest, caritate, et conformitate naturae. Hujus utriusque copulae figura est in Conjugio*. His bene perpensis nulla occurrit in Pauli sententia difficultas. Unde ad 1. Matrimonium a Mundi exordio a Deo Conditore institutum, Conjugium erat in officium naturae ad humanae speciei propagationem. Et hoc modo spectatum Sacramentum dici potest lato quodam sensu quoniam signum erat unionis Christi cum Ecclesia secundum humanae naturae consortium. Ast ubi a Christo Nuptiae benedictione sua locupletatae ad sublimiorem fuerunt gradum elevatae, rationem Sacramenti acquisiverunt, quoniam symbolum evasere unionis Christi cum Ecclesia et secundum carnem, et secundum spiritum, hoc est Caritatem et Gratiam. Nec refert quod Christus instituta jam Connubia invenerit. Nam quae ad officium naturae fuerant a Conditore institutae sublimavit ipse largitate sua ad esse Sacramenti sanctificantem Gratiam producentis; quemadmodum Baptismo qui tamquam religiosus ritus in usu erat apud Hebraeos virtutem impertitus est regenerandi et sanctificandi homines.

Ad 2. Si in infidelibus Nuptiae non sunt invisibilis Gratiae visibile signum, quid mirum? In illis quippe Matrimonium vel est merum officium naturae, vel est civilis contractus ad Reipublicae tranquillitatem, non stricto jure acceptum Sacramentum; qua dignitate gaudere dumtaxat affirmamus Connubia christiano ritu celebrata.

Ad 3. Haec eadem Conjugia sunt utique signum rei sacrae, quoniam praeter corporum conjunctionem, animorum significant unionem per supernaturalem Gratiam et Caritatem. Vide haec enucleatius explicata a praestantissimo Theologo Joanne Laurentio Berti. Interim Apostoli sententia in suo vero sensu intellecta invicte demonstrat christianum Matrimonium verum esse novae Legis Sacramentum.

Obj. 2. Magister Sententiarum lib. 4. dist. 26. tradit Matrimonium

datum fuisse primitus ad officium naturae, deinde vero ad humanae remedium infirmitatis; nullibi autem affirmat fuisse ad producendam Gratiam institutum. In eamdem abiere sententiam Durandus, Jacobus de Vitriaco, ac plerique veteres Jureconsulti qui rationem assignantes cur in Matrimonio ineundo licitum sit de dote pacisci, ajunt, quoniam instituta fuere Conjugia ad officium naturae. Qua de re Matrimonium verum esse evangelicae Legis Sacramentum, novum est Fidei dogma in Ecclesiam invectum.

Resp. Miror esse nonnullos Theologos qui ne in expiscanda circa theologicum aliquod scitum Veterum mente, ingenium sibi contorqueant, absque non magna difficultate eos abjiciunt, et adversariis tradunt etiam haereticis, quasi parum oculati aut rerum ignari turpissime erraverint. Non laudo in Scholasticis rigidam illam syllogizandi methodum Patribus nostris inusitatam, multoque minus approbo illos qui ex Aristotele aut supposititiis Decretalibus tamquam ex divina revelatione ad Fidei dogmata confirmanda argumenta depromunt, excuso in plerisque barbaram incomptamque rationem scribendi. Ast iis qui Scholasticos tam saepe errasse pronuntiant, minime assentior, praesertim ubi agitur de Magistro Sententiarum qui a naevis Scholasticis communibus immunis omnino est. Placet mihi quam maxime Laurentii Berti consilium, qui omni adhibita in illorum examinandis principiis diligentia, aut ab omni errore vindicat aut illorum sententias sanae doctrinae non contradicere ostendit. Quod felici exitu semper et maxime hoc in loco exequitur. Sed ad rem descendamus. Inprimis generalis regula est, peculiarem unius vel alterius Theologi opinionem Ecclesiae sententiam non constituere. Quare etsi gratis daremus commemoratos in argumento scriptores non satis accuratam habuisse de Matrimonio notionem, quum hoc catholicum dogma Scripturae, Patrum, Conciliorum, celebriorumque Theologorum auctoritati nitatur, non est ex articulorum Fidei albo expungendum. Verum falsissimum est Magistrum Sentent. atque Durandum Matrimonium ut evangelicae Legis Sacramentum non agnovisse. Nam iisdem qui citantur locis Magister scripsit: *Constat ergo, rem bonam esse Matrimonium; alioquin non esset Sacramentum*; *Sacramentum enim sacrum signum est.* Et Durandus: *Tenendum est absolute, quod Matrimonium est Sacramentum*; *quum hoc determinet Ecclesia, Extra de haereticis, Ad abolendam.* Determinavit autem Ecclesia, Matrimonium esse Sacramentum rigoroso sensu acceptum. Praeterea dicens ibi Magister, *Matrimonium post peccatum fuit ad remedium institutum contra carnalis concupiscentiae corruptelam*, satis ostendit, loqui se, ut optime S. Thomas observat, de fine institutionis, ad quem obtinendum Sacramenti virtus est utique necessaria; unde ait: *Fuit autem Conjugium ante peccatum institutum, non utique propter remedium, nec ad Sacramentum, sed ad officium.* Quare post peccatum fuit prius ad remedium, ac postea ad Sacramentum. Priscis illis temporibus nemo erat qui hanc oppugnaret veritatem praeter illos qui Nuptias tamquam a Diabolo inventas rejiciebant. Unde in iis refutandis occupati non tam expresse refutarunt errorem qui tunc Ecclesiam non vexabat. Jureconsulti vero affirmantes posse licite conjuges de dote pacisci, spectant Matrimonium

ut officium naturae, et contractum civilem, non denegant autem esse Sacramentum.

Obj. 3. Sacramentum proprie sic nuncupatum debet necessario producere Gratiam. Hanc autem minime producit Matrimonium. Nam I. Matrimonium, ad summum, Sacramentum dici potest quatenus unionem Christi cum Ecclesia significat. Ast hoc non importat Gratiae productionem in conjugatis. II. quum nemo a recipienda Gratia sit repellendus, si Matrimonium Gratiam conferret, nemo ab eo arceri posset. Verum Monachis, Monialibus, et majoribus Clericis Connubia vetita sunt. III. non habet Ecclesia in Sacramentorum substautiam potestatem, utpote quae instituta supponuntur a Christo. Ecclesia tamen potestatem exercet in substantiam Matrimonii, quum si clandestinum sit, nullum ac irritum esse praecipiat. IV. denique quamnam producit Gratiam Matrimonium? Non primam, quoniam haec propria est Baptismi et Poenitentiae. Sed neque secundam, quae in augmento consistit justificationis, quia si res ita se haberet, virgo quae domi caste vivit, si viro per Matrimonium jungatur uberiorem recipiet Gratiam, quod est contra mentem Apostoli dicentis, *Qui virginem suam viro non jungit, melius facit.*

Resp. Matrimonium quod iniri solet in Ecclesia, sanctificantem conferre Gratiam satis superque ex hactenus disputatis apparet. Quapropter ad 1. Matrimonium quod fit in Ecclesia signum est conjunctionis Christi cum eadem Ecclesia, et secundum humanae naturae consortium, et secundum Gratiam et Caritatem, ut supra observavimus. Hinc signum quoque est unionis Dei per Gratiam cum conjugatis. Praeterea non repugnat, Matrimonium Christi cum Ecclesia sua repraesentare unionem, et simul conferre Gratiam conjugatis, sicuti non repugnat ut Eucharistia sit signum illius Sacrificii quod de se Christus obtulit in Ara Crucis, et simul sanctificet eos qui illa digne pascuntur.

Ad 2. Nemo proprie loquendo a Connubio repellitur nisi qui voto se obstringens castitatis, sponte ac liberrime illi renuntiat. Et aliunde qui se tali voto obstringunt, non indigent Gratia conjugibus ad onera ferenda Matrimonii quae multa sunt, necessaria. Neque vero Matrimonium est de illo genere Sacramentorum quae cuilibet in singulari praecipiuntur; quum non omnes qui pie vivere volunt Gratia indigeant quae confertur per Matrimonium.

Ad 3. Etsi Ecclesia a Christo non acceperit potestatem in substantiam Sacramentorum, ab eo tamen potestatem obtinuit declarandi quaenam requirantur conditiones ut substantia a Christo instituta ad validum efficiendum Sacramentum vera sit ac legitima. Atque hinc facultas orta est statuendi in Matrimonio impedimenta inter quae clandestinus contractus recensetur.

Ad 4. Habitualis Gratia quam hoc efficit Sacramentum est Gratia secunda, ejusdem videlicet Gratiae augmentum, quoniam praecipua ad Sacramentum hoc digne suscipiendum requisita conditio est ut subjectum sit in statu Gratiae. Nec inde sequitur majori virginitatis perfectioni derogari, quum major status hujus perfectio non ex eo profluat quod Gratiam ha-

beat adnexam qua caret Matrimonium, sed quod virgo a Conjugii prolisque cura minime distractus, liberius Deo vacare potest. Atque hoc sensu praefert Apostolus virginitatem Conjugio ut ex illius Epistolae lectione patet.

CAPUT II.

De Ministro primitus, tum de materia et forma Sacramenti Matrimonii.

Refutatis, et quidem ut reor, satis abunde iis qui extra Ecclesiam sunt molestissimis hostibus Matrimonium verum esse evangelicae Legis Sacramentum inficiantibus, manus nunc cum domesticis sunt conserendae circa Ministrum primitus, subinde circa materiam et formam ejusdem Sacramenti; alterum quippe ab altero dependet. Scholastici namque in aristotelicae philosophiae magis quam in Scripturarum, Patrumque lectione exercitati, scriptorum qui eorum praecesserant saeculum, sententiam penes omnes communem ac receptissimam tot tantisque implexam difficultatibus reddidere, ut non modo obscura evaserit, sed contrariam penitus induerit faciem. Veteres enim tamquam rem certam exploratamque tenebant, Sacramenti Matrimonii Ministrum esse Sacerdotem. Recentiores autem hi Theologi e contra docere coeperunt in scholis, ejusdem Sacramenti Ministros potius esse contrahentes, quorum quivis sibi vel alter alteri Sacramentum administret. Atque recens haec opinio tam altas, tempore procedente, in Theologorum mente radices fixit ut eam amplexati sint omnes fere Scholastici. Sed quoniam veritas una est, nec ullo potest machinarum ariete quati, vetus sententia obtenebrari quidem potuit, sed opprimi et a sana Theologia exulari non potuit. Nam non defuerunt etiam inter Scholasticos cordati viri qui ut novam amplecterentur opinionem adduci nullo modo potuerunt. Fuerunt hi Guillelmus Parisiensis, Cardinalis Cajetanus, Ledesma, Bannesius, Toletus, et praeterea Maldonatus, Estius, Sylvius, de Marca, Juvenin, l' Hermenier, Tournely, le Drouven, Van-Roy, Piette, aliique bene multi; unde vetus illa sententia tantas vires paullatim resumpsit ut modo recentiori fere praevaleat; et jam communis ut prius penes omnes Theologos forsan evasisset nisi Romanae Curiae Congregationes Scholasticorum opinionem adhuc retinerent, secundum quam eorum ferre solent judicia. Veterum ergo sequor ego sententiam.

Qua posita, sua sponte consequitur materiam Matrimonii prout Sacramentum est esse actus contrahentium. Formam vero verba quae a Sacerdote tamquam Ministro proferuntur. Non vacat hic recitare varias hac in re Theologorum sententias, sed verbis utar cl. Cani qui lib. 8. de Loc. cap. 5. scribit: *In materia et forma Matrimonii statuenda adeo sunt inconstantes et varii, adeo incerti et ambigui, ut ineptus futurus sit qui in tanta illorum varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere.* Sit igitur

CONCLUSIO I.

Sacramenti Matrimonii Minister est Sacerdos.

Prob. 1. Scriptura. Paulus in 1. ad Cor. cap. 4. scribit: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei*, hoc est Sacramentorum. Quae verba significant solos Apostolos eorumque successores Episcopos, atque Presbyteros Ministros esse Sacramentorum. Et revera quodnam est Sacramentum quod a viro laico et non Sacerdote confici et administrari possit? Nullum, excepto Baptismate quod necessarium est absolute ad salutem, quodque propterea administrari potest in casu necessitatis etiam a viro laico, imo et a foemina et ab infideli. Ast Matrimonium Sacramentum esse confitentur nobiscum adversarii, unde et istud est a Sacerdote administrandum.

Prob. 2. veterum Patrum auctoritate qui Matrimonium non agnoscunt christianum nisi quod sacerdotali benedictione fuerit consecratum. Legantur illorum testimonia capite antecedenti laudata, Ignatii videlicet, Justini, Clementis Alexandrini, Cyrilli item Alex. ex Graecis. Ex Latinis autem Tertulliani, Ambrosii, Syricii, Innocentii I. Augustini. Quibus has alias adde Patrum sententias. Basilius 7. in Hexam. inquit: *Jugum* (Matrimonii) *per benedictionem impositum, distantium fit conjunctio.* Ambrosius Ep. 19. *Ipsum Conjugium sacerdotali benedictione sanctificari oportet.* S. P. Augustinus in Psal. 149. scribit: *Adolescentes audite. Vincula ferrea sunt* (Matrimonia), *nolite pedes mittere, ne cum miseritis, arctius constringamini compedibus. Tales compedes consolidant vobis et Episcopi manus;* potestas nempe ac benedictio. Jam vero hoc breve recolligi potest argumentum: Sancti Patres dissertissime affirmant (utique secundum fidem quae in Ecclesia eorum tempore vigebat) Matrimonium obsignari, licitum fieri, sanctificari, conciliari, Sacramenti Gratiam conferre per sacerdotalem benedictionem: benedictio ergo sacerdotalis necessaria erat ad contractum in esse Sacramenti constituendum. Itaque Sacerdos tunc erat Minister Sacramenti Matrimonii. Qua igitur auctoritate Scholastici ab hoc jure Sacerdotes dejecerunt?

Prob. 3. pluribus ecclesiasticis Monumentis. Eugenius IV. in Decreto pro Armenis veluti certum ratumque tradit, omne Sacramentum tribus constare, rebus nimirum tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri intentionem faciendi Sacramenti habentis. Quae Summi Pontificis definitio multiplex ad rem nostram suppeditat argumentum. Et primo, nomine Ministri, ubi de Sacramentis agitur, proculdubio Sacerdos intelligitur, Sacerdotibus quippe, non laicis concredita sunt divina Mysteria, ut ab initio ex Apostolo diximus; alioquin et Baptismus extra necessitatis casum, et Confirmatio, et Eucharistia a laicis confici possent et administrari. Quumque Matrimonium Sacramentum sit, ut reliqua, consequitur illius Ministrum esse debere Sacerdotem. Praeterea non est ex Eugenio verum proprieque dictum Sacramentum quod verbis tamquam forma careat. In adversariorum autem opinione falsum id aliquo in casu foret.

Nam si vir ac mulier ambo muti reciprocum ad invicem per nutus consensum praebeant in Conjugium, Matrimonium verum erit Sacramentum; atque adeo verum quoque esset Sacramentum Baptismus a Sacerdote muto per nutus Trinitatem invocante collatus, quod absurdissimum est. Demum omnis Sacramenti Minister, juxta Eugenium, intentionem habere debet verum conficiendi Sacramentum. Nescio an eam semper habeant intentionem contrahentes, nisi Sacerdoti se sistant ad obtinendam benedictionem. Haec ex Eugenii Decreto. Concilium Coloniense ante Tridentinum celebratum part. 7. cap. 40. inquit: *Sacramentum Matrimonii, si quis sicut decet, acceperit, accedente sacerdotali precatione, confert donum Spiritus quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Si ergo Sacerdotis precatio seu benedictio non accedat, donum non confert Spiritus Sancti: adeoque non est Sacramentum. Unde in Enchir. ejusdem Concilii jussu edito cap. ult. de Matrimonio legitur: *Quanto magis putandum est, et in nova Lege Sacerdotes qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus Sacramenti Ministros esse?* Sequitur Synodus Tridentina quae sess. 23. de Reform. Matrim. expresse praecipit Parocho ut audito a viro ac muliere mutuo consensu, sponsos per haec verba in Matrimonium conjungat: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris*, etc. Jam vero eodem modo juxta Concilium super contrahentes pronuntiare debet Sacerdos, *Ego vos conjungo*; sicuti super Catechumenos, *Ego te baptizo*, aut super poenitentes, *Ego te absolvo*. Sacerdos baptizans et absolvens verus Baptismi ac Poenitentiae Minister est. Cur ergo non erit verus Minister Matrimonii Sacerdos? Cur in sensu Concilii verba, *Ego te baptizo*, *Ego te absolvo*, formae sunt Sacramentorum Baptismi et Poenitentiae, non autem verba, *Ego vos conjungo*, in Sacramento Matrimonii? Si adversae sententiae patroni dicant Sacerdotem in Nuptiarum celebratione tamquam purum putumque sistere testem, praeterquamquod solida id indiget demonstratione, poterit quis existimare, etiam in Baptismi ac Poenitentiae Sacramentis testem dumtaxat assistere Sacerdotem. Si addant, ea verba, *Ego vos conjungo*, idem valere ac ista, *Ego declaro vos esse conjunctos*, caveant ne quis inde inferat, etiam in Sacramento Poenitentiae verba, *Ego te absolvo*, hunc habere sensum, *Ego declaro te absolutum*. Sed posset aliquis hoc in loco quaerere cur Tridentini Patres clare ac perspicue non definierunt Sacramenti Matrimonii Ministrum esse Sacerdotem? Quaestio facile solvitur respondendo, ne diversis Scholarum opinionibus praejudicium afferrent, indeque turbae a Theologis excitarentur tempore quo pace animorumque concordia frui indigebat Ecclesia ut fatale Protestantium schisma supprimeretur. Vide Card. Pallavicinum. Ceterum hanc fuisse Tridentini Concilii mentem, quod Matrimonii Minister solus sit Sacerdos, non solum patet ex hactenus observatis, sed praeterea etiam ex eo quod Concilia omnia Provincialia post Tridentinum pro illius promulgatione celebrata absque ulla verborum ambage pronuntiant Matrimonii Ministrum esse Sacerdotem. Ita Concilium Petricoviense habitum an. 1551. a nostro Van-Roy citatum cap. 55. de Matrim. inquit: *Magna itaque est firmitas vinculi*

conjugalis, quam non designat modo, verum etiam efficit, accedente verbo, visibilis, quae fit per Sacerdotem, copulatio; confertur enim per illam donum perseverantiae peculiare, modo quis animum habeat capacem, et eo quo debet affectu ad Sacramentum hoc accedat. Et infra: *Contracturus Matrimonium concipere debet animo, quantum sit hoc Sacramentum, nempe, quo, Deo auctore copulatur, neque aliter affectus esse quam si praesentem Deum videat, uxorem sibi copulantem; Ministerium enim Sacerdotis est, Deus autem*, etc. Gemina his habent Concilia Cameracense an. 1565. Rothomagense 1581. Rhemense an. 1583. Turonense eodem anno, Aquense 1585. Avenionense 1594. Mechliniense habitum 1597. Addi possunt his Rituales libri complures, atque in primis Romanus per Albertum Castellanum collectus, Atrebatensis, Iprensis, Mediolanensis. Dabo Mechliniensis Ritualis editi an. 1589. verba: *Stante viro ad dexteram, muliere vero ad sinistram, Sacerdos hujus Sacramenti Minister sponsum et sponsam aspergat aqua benedicta . . . dicat: Et ego, tamquam Dei Minister, ego vos conjungo in Matrimonium, in nomine Patris*, etc. Addam et alia Ritualis Ecclesiae toletanae: *Efficiens causa Matrimonii sunt ipsi contrahentes, in quantum est contractus quidam: at vero, ut est Sacramentum, Minister est causa instrumentalis sicut in aliis Sacramentis*. Haec ex ecclesiasticis Monumentis. Theologorum scholasticorum judicia quum varia sint et ad invicem discrepantia consulto missa facio. Interim nescio an aliquod aliud sit theologicum placitum tot tantisque munitum praesidiis ut istud est de Sacerdote Ministro Matrimonii. Et nihilominus ob plurium quidem, sed non omnium Scholasticorum auctoritatem non pauci contraria adhuc detinentur opinione. Videamus ergo si ex absurdis quae ex ea sequuntur tandem suaderi possint.

Prob. 4. ex absurdis quae ex contraria a nostra sententia consequuntur. I. si Matrimonii, prout Sacramentum est, Ministerium contrahentibus tribuamus, nulla ratione adversus Protestantes demonstrari poterit Matrimonium esse Sacramentum. Non sane ex Scripturis, quoniam testimonia a nobis superius allata non omnibus catholicis Theologis probantur, ut adnotavimus. Sed neque ex Traditione. Nam sacerdotalis praesentia ac benedictio quam SS. PP. tantopere commendant, per adversarios quum purus putusque sit coeremonialis ritus, nec necessaria est ad Sacramentum efficiendum neque sanctificantem Gratiam producit in conjugatis. Unde ergo revincere possunt erroris recentiores haereticos? II. posita Scholasticorum illa sententia, in Christianorum Matrimonio nihil erit quod profanum non sit; exclusa namque Sacerdotis benedictione, nihil in eo invenitur quod Infidelium, Judaeorumque Matrimonia non habeant; mutuus videlicet contrahentium consensus. Si regerant, Christianos tamen ita sacerdotalem expetere benedictionem ut si illam omittant, sacrilegio se pollui existiment; ego infero inde: ergo Christiani communiter tenent Sacerdotis benedictionem necessariam esse ad obtinendam Gratiam: quod idem est ac fateri verba a Sacerdote prolata tamquam legitimam formam, virtutem habere conficiendi Sacramentum. III. omnia evangelicae Legis Sacramenta ex Christi in-

stitutione unicum habent Ministrum, ut per singula excurrendo fit manifestissimum. Quod si adversariis auscultes, non unus, sed duplex erit Sacramenti Matrimonii Minister, et quidem uterque publicus, legitimus, solemnis, uterque laicus, et quod magis est, masculus unus, alter foemina cui prohibuit Apostolus ne in Ecclesia loquatur. IV. demum ne longus sim, recentiores hujus doctrinae assertores perturbatam quamdam in Sacramentorum administratione inducunt rerum ideam. Contrahentes enim in illorum systemate sunt Ministri simul et subjectum, dantes ac suscipientes. Ast si Eucharistiam excipias quae in re permanente consistit, quis umquam potest Sacramentum aliquod sibi conferre? Non est itaque Sacerdotis benedictio accessorium quid et coeremoniale, ut adversarii contendunt, sed sacramentalis forma a Sacerdote legitimo Matrimonii Ministro proferenda.

CONCLUSIO II.

Materia Sacramenti Matrimonii actus sunt contrahentium, Forma vero Sacerdotis benedictio.

Prob. 1. thes. pars. Cujuslibet Sacramenti materia res esse debet indifferens quae per ejusdem Sacramenti formam ad rem sacram significandam determinetur. Patet propositionis hujus veritas Sacramentorum omnium exemplo. Porro actus contrahentium, hoc est, mutuus consensus quo vir et mulier potestatem sibi dant in corpora, sunt per se indifferentes, et ad rem sacram significandam determinantur a forma; unde contrahentium actus sunt Sacramenti Matrimonii materia. Nec refert quod actus hi a contrahentium personis non distinguantur, sicuti aqua Baptismatis est extra Catechumenum, panis ac vinum Eucharistiae symbola a Consecrante et suscipiente secernuntur, et sic porro de reliquis Sacramentis; id, inquam, non officit, quoniam sicut actus poenitentis ab ipso poenitente non distinguuntur, et nihilominus materiam constituunt Sacramenti Poenitentiae, ita de actibus contrahentium discurrendum est.

Prob. altera pars prop. Benedictio sacerdotalis quae in his aut consimilibus verbis, *Ego vos conjungo in Matrimonium, in nomine Patris*, etc. consistit, juxta Sanctorum Patrum doctrinam superius expositam nuptias obsignat atque sanctificat, hoc est civilem contractum erigit ad esse Sacramenti. Ast munus hoc verae ac propriae dictae Sacramenti formae dumtaxat convenit. Hinc Tridentina Synodus sess. 24. inquit: *Si nullum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, ubi Parocus viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque ritum*, subintellige quae eumdem habeant sensum. Habes in his Concilii verbis, et clare quidem atque perspicue expressam nostram de Sacramenti Matrimonii materia et forma sententiam.

Ad objectamenta adversariorum responsio.

Obj. I. In antiquo Neocaesariensi Concilio hic editus fuit Canon num. 7. *Presbyteris in Nuptiis Bigami prandere non convenit, quia cum poenitentia Bigamus egeat, quis erit Presbyter qui propter convivium talibus Nuptiis possit praebere consensum?* Caussam assignans Concilium cur non liceat Presbytero prandere cum Bigamo est quoniam non debet Presbyter Bigami Nuptiis praebere consensum, atque adeo in ejusmodi Nuptiis benedictio non intercedebat Sacerdotis. Et nihilominus tamquam verum Sacramentum ab Ecclesia habebantur. II. Alexander III. in Ep. ad Archiepiscopum Salernitanum affirmat, ad Matrimonium sufficere Sacerdotis aut Notarii praesentiam. Numquid contrahentibus benedictionem largiebatur Notarius? III. Eugenius IV. in Instr. pro Arm. sic inquit: *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae, secundum Apostolum. Caussa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Mutuum consensum, non Presbyteri benedictionem ait Eugenius caussam esse efficientem Matrimonii. Neque reponi potest fieri ibi sermonem de Matrimonio quatenus civilis contractus est, mentio quippe ibi fit de septimo Sacramento quod est Matrimonium.

Resp. ad 1. Quum Ecclesia antiquis temporibus existimaret non iterari Nuptias nisi ab iis qui vehementi libidinis aestu agitabantur (tanta erat in primis illis Christianis morum castitas) non solum bigamiam non probabat, sed Bigamos ipsos ad aliquam cogebat subeundam poenitentiam. Hinc merito juxta veterem illam disciplinam Presbyteris vetabat ne talibus Nuptiis praeberent consensum, non modo illis non benedicendo, sed neque Bigami convivio exhibendo praesentiam. Habebat tamen Ecclesia ejusmodi Nuptias ut verum Matrimonium, sed id ratione contractus, non in ratione Sacramenti.

Ad 2. Vir. cl. Menardus Benedictinus in Notis ad Sacram. Gregorii M. erudite demonstrat diu viguisse in Ecclesia consuetudinem ut Notarii munus viris conferretur ecclesiasticis quibus committebatur contrahentium explorare consensum, impedimenta si essent, examini subjicere, ac denique sponsos conjungere in Matrimonium. Quare mirari non subit si Alexander III. in sua Decretali decernit satis esse ad validum Matrimonium etiam Notarii praesentiam, adeoque benedictionem.

Ad 3. Dum Eugenius IV. Armenos instruens affirmat caussam Matrimonii efficientem esse contrahentes, spectare videtur Matrimonium prout civilis contractus est, non prout est Sacramentum. Non enim inquit, *caussa efficiens hujus Sacramenti*, sed, *causa efficiens Matrimonii.* Nec quemquam movere debet quod haec praemittantur verba, *septimum Sacramentum est Matrimonium.* Nam nihil vetat quin asseramus sub duplici aspectu considerasse Eugenium Matrimonium. Primo quatenus est Sacramentum, ut Ecclesiae Romanae circa numerum Sacramentorum doctrinam doceret Armenos. Deinde vero prout civilis contractus est cujus certe caussa efficiens

est mutuus contrahentium consensus: eamque adhibuisse idearum praecisionem oeconomiae caussa, ne videlicet Theologis scholasticis diversa circa eam quaestionem opinantibus praejudicium afferret. Certa namque et indubia, non quae Scholarum subduntur vitiligationibus tradenda erant Armenis. Quod si adversarii adhuc obstinate contendant intelligendum esse Decretum de Matrimonio prout est Sacramentum, quid inde concludere pro eorum causa poterunt? Nihil. Nam eo in casu sic verba illa sunt accipienda, ut contrahentes efficiant Matrimonium subministrando Sacerdoti materiam, mutuum videlicet consensum qui per benedictionem ab esse contractus civilis ad esse Sacramenti elevetur; quemadmodum de Poenitente qui proprios actus exhibet Sacerdoti dici non prorsus improprie potest, Sacramentum efficere Poenitentiae. Sicut enim actus Poenitentis ad Sacramentum Poenitentiae, ita actus contrahentium ad Sacramentum Matrimonii necessario requiruntur.

Obj. 2. Tridentina Synodus de Matrimoniis clam celebratis verba faciens, sess. 24. cap. 1. definivit, *clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*. Ast clandestina illa Matrimonia ante Tridentinam Synodum facta praesentia ac benedictione Parochi carebant. Praesentia itaque Parochi ejusque benedictio sunt quid accessorium et accidentale. II. neque argumentum solvitur reponendo Matrimonia illa vera ac rata declarata fuisse in ratione contractus, non Sacramenti. Nam in Jure canonico quoties Matrimonium verum simul et ratum dicitur, semper intelligitur Matrimonium sub utroque respectu consideratum. III. ibidem Can. 12. ait Concilium: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices ecclesiasticos, anathema sit*. Et interim etiam causas Matrimoniorum quae ante Concilium clam celebrabantur cognoscebat Ecclesia, ad quam nihil plane pertinet judicia ferre de contractu mere civili, unde talia Matrimonia Sacramenti rationem habere arbitrabatur. IV. hinc Can. 2. laudata Synodus Parochi benedictionem non inter essentialia ad Sacramentum, sed inter coeremonias recenset, anathema dicens illi qui *benedictiones, et alias coeremonias quibus Ecclesia in illis* (Nuptiis) *utitur, damnaverit*. V. hinc rursus intelligimus quare sapientissimi illi Patres rejiciant quidem Matrimonia sine Parochi ac testium praesentia celebrata, non tamen illa inita absque Parochi benedictione. VI. denique litem omnem dirimit Decretum Cardinalium exponendo Concilio Praefectorum, in quo expresse declaratur Matrimonium etiam tacente Sacerdote celebratum verum ac ratum esse Matrimonium.

Antequam iis quae ex Tridentina Synodo ab adversariis depromuntur argutiunculis satisfaciam, operae pretium existimo in memoriam revocare quae de ejusdem Synodi methodo in antecedentibus et alibi animadvertimus. Prudentissimi itaque illi Patres probe scientes se ad Lutheranorum Calvinistarumque praefocandam sectam fuisse ad Concilium vocatos, ab initio de rebus tantum ad Fidem spectantibus serio ac diligenter pertractare sibi proposuerunt, Scholasticorum vanis ac inter se dissentientibus missis

opinionibus, tum ne tempus in rebus parum utilibus inaniter tererent, tum maxime ne quae excitari a Theologis poterant turbae impedimento essent paci et unitati Ecclesiae restituendae. Hanc fuisse mentem Concilii, pluribus in locis testatum reliquit in illius historia Cardinalis Pallavicinus. Qua de re si omni deposito partium studio, cum convenienti viro Theologo animi candore loqui volumus, a Tridentino Concilio in judicio hac in causa ferendo, utraque disputantium pars deberet abstinere, quoniam celebrem etiam illis temporibus hanc controversiam nec debuit nec voluit definire. Verum si cuncta quae de hac re Concilium tradidit sedulo ac diligenter perpendamus, non obscure apparebit principia omnia a Patribus ad Fidei definitiones adversus Heterodoxos edendas assumpta eo demum collimare ut satis appareat persuasum illis fuisse, Sacramenti Matrimonii Ministrum non contrahentes esse, sed Sacerdotem, quamvis ab hoc definiendo consulto temperaverint. Relege quae supra ex Concilio observavimus. Neque contrarium demonstrant quae hactenus allata sunt, unde

Resp. ad 1. Clandestina Matrimonia vera ac rata Concilium appellat in ratione contractus, non in ratione Sacramenti. Quare laudatus proxime Pallavicinus lib. 23. cap. 9. inquit: *Numquam declaravit Concilium clandestina Matrimonia fuisse Sacramenta*. Et Melchior Canus qui Concilio interfuit affirmat clandestina Matrimonia vera ac rata dicta fuisse in genere contractus, non Sacramenti. Et apposite quidem ac prudentissime. Quum enim justis de caussis statutum fuerit ne talia Matrimonia deinceps admitterentur, quis non videt quot incommoda inde sequi potuissent nisi fuissent omnia perspicue declarata? Unde ad rerum vitandam confusionem, tranquillitatemque procurandam societatis, statuendum erat ea Matrimonia in abscondito antehac celebrata vera ac rata fuisse Matrimonia, subintelligendo in ratione contractus, quod satis erat ad finem sibi propositum obtinendum.

Ad 2. Falsum autem omnino est quod tam fidenter adversarii pronuntiant, nimirum in Jure canonico vera ac rata Matrimonia non dici nisi quae talia sunt in ratione contractus simul et Sacramenti. Multi quippe ex eo Jure afferri possent, si necessitas id exigeret, textus in quibus vera rataque appellantur Matrimonia quibus nihil eorum deest quae ad legitimum contractum requiruntur.

Ad 3. Quod Ecclesia judicia olim circa Matrimonia clandestina ferret, non demonstrat haec fuisse Sacramenta, alioquin Sacramenta forent etiam sponsalia circa quae sua Ecclesia interponit judicia. Itaque Ecclesia judicare utique potest de Matrimonio etiam prout est contractus civilis, tum quia jus habet statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, tum etiam quia civilis ille contractus in nubentium consistens mutuo consensu materia est Matrimonii quatenus est Sacramentum, circa quam Ecclesia potest inquirere ac judicare sicuti circa quamlibet aliorum materiam Sacramentorum.

Ad 4. Argumentum nullam meretur solutionem, quum neminem lateat coeremoniarum nomen omnibus convenire sacris, et tam coeremonias aut ritus dici sacramentalia quae variabilia sunt quam Sacramenta quae sunt essentialia, et in quae nullam habet Ecclesia potestatem. Cumque Conci-

lium inter coeremonias ibi non distinguat, damnans eos qui rejiciunt benedictionem, insinuare videtur se loqui de coeremonia non accidentali, sed essentiali. Lutherani quippe et Calvinistae quos Canon ille respicit, omnia quae a Catholicis in solemni Matrimonii administratione fiebant, veluti totidem superstitiones damnabant et irridebant.

Ad 5. Ratio cur Matrimonium absque benedictione initum Concilium non damnavit, jam a nobis nuper allata est, ut videlicet incommoda vitaret quae secuta ex ea damnatione essent. Volens e contra ad majora vitanda mala, ut clanculum celebratae Nuptiae non essent deinceps sufficiens hujus Sacramenti materia, sapienter prudenterque se gessit, illas omnino improbando ac rejiciendo.

Ad 6. In primis allatum S. Congregationis Concilii Decretum non inquit, Matrimonium tacente Parocho celebratum verum esse Sacramentum, sed ait dumtaxat verum ac ratum esse Matrimonium, quod intelligi potest ratione civilis contractus, praesertim cum talis contractus coram testibus ac Parocho quamvis tacente aut etiam improbante celebratus supponatur. Deinde Decretum illud et alia consimilia nullam ad auctoritatem faciendam vim habere, ex ipsa patet Sacra Congregatione quae vel ab an. 1631. decisiones omnes, collectiones, ac interpretationes, inter quas locum habet allata in argumento decisio, super Tridentino tam impressas quam imprimendas solemni Decreto prohibuit. Et merito quidem. Nam Congregationis illius Cardinalibus facultas dumtaxat data est interpretandi ac resolvendi dubia non quae Fidem concernunt, ut in casu nostro, sed circa morum et ecclesiasticae disciplinae reformationem. Quod si quis quaerat cur Ecclesia venientes ab haeresi non moneat ut si conjugati sunt Sacerdoti se sistant, ab eoque accepta benedictione, Matrimonium quod contractus mere civilis erat, evadens Sacramentum, sanctificante ac sacramentali Gratia non priventur? facilis est responsio, ne videlicet errandi occasio detur pusillis qui Matrimonium eorum irritum antehac fuisse suspicari possent, adeoque liberum illis esse aut jam ductam in haeresi retinere aut aliam ducere in Ecclesia. Alii alias assignant caussas. Sed de hac controversia satis.

CAPUT III.

De vinculi Matrimonii indissolubilitate.

Non levis Catholicorum est cum Protestantibus controversia, an quocumque in casu, excepta unius conjugis morte, Matrimonii vinculum sit indissolubile. Recentiores enim Heterodoxi quibuscum hac in causa faciunt etiam Graeci, tamquam firmum ratumque tenent, posse Conjugium adulterii caussa dirimi atque dissolvi, et quidem quoad vinculum, ita ut vir aliam conjugem, conjux vero alium virum ducere absque ullo piaculo possit. Falsae huic damnataeque opinationi adhaerent Christi Domini in transversum acceptae sententiae innixi, quae apud Matth. cap. 19. prostat: *Dico*

autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; eisdemque abutuntur verbis etiam Graeci. Catholici e contra rectam allato Christi oraculo tradentes interpretationem, Matrimonium dissolvi utique propter fornicationem posse fatentur, sed quoad thorum dumtaxat, nusquam autem quoad vinculum, sicut in Tridentina Synodo definitum est. Cum Catholicis ergo sit

CONCLUSIO

Matrimonii vinculum propter adulterium non dissolvitur.

Prob. I. Scripturis. Genesis cap. 2. ubi sermo fit de Matrimonii institutione narratur quomodo Deus, condito ex limo terrae viro et ex una de costis viri muliere, hanc illi in uxorem dedit dicens: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*. Et cap. 1. *Masculum et foeminam creavit eos. Benedixitque illis . . . et ait: Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Ast vero quis dixerit quod a Deo institutum est suaque benedictione consecratum destrui qualibet ex caussa ab homine posse? *Quod Deus conjunxit*, inquit Christus Matth. cap. 19. recitatis Genesis verbis, *homo non separet.* Idque magis de Matrimonio in Christiana Ecclesia celebrato verificatur, ubi Sacramentum est, et Sacerdotis benedictione per Trinitatis invocationem dedicatum. II. Christus Dominus Marci cap. 10. v. 11. et 12. ita Pharisaeos affatur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur*. Et apud Lucam cap. 16. v. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro duxerit, moechatur*. Cumque haec respondeat Christus Pharisaeis interrogantibus an liceat quacumque ex causa uxorem dimittere, prono velut alveo sequitur Conjugii stabilitatem declarasse ad mortem usque alterutrius conjugis. III. quod Paulus in Domini schola eruditus in Ep. ad Rom. cap. 7. v. 3. luculentissime confirmat dicens: *Igitur vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro*. Et in 1. ad Cor. cap. item 7. v. 10. addit: *Is qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* Haec clara sunt ac peremptoria pro Matrimonii stabilitate quoad vinculum, etiam caussa intercedente adulterii.

Prob. 2. ex Patribus. Hermas in lib. 2. Pastoris mandato 4. scribit: *Ergo non debet, dimissa conjuge adultera, vir aliam ducere. Hic actus similis est in viro, et in muliere*. Justinus Martyr Apol. 2. *Qui repudiatam a viro altero duxerit, adulterium committit*. Tertullianus in lib. de Monogam. docet liberam a viro non fieri uxorem nisi per mortem. Clemens

Alexandrinus lib. 2. Strom. *Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur eam . . . non solum autem qui dimisit, est ejus causa, sed etiam qui eam suscepit, praebens mulieri peccandi occasionem; si enim non suscipiat eam, reverteretur ad virum.* Chrysostomus hom. 17. in cap. 5. Matth. tradit, *Mulierem expulsam remanere semper uxorem ejus a quo expulsa est.* Gemina his habet Gregorius Nazianzenus Carm. 2. de Laud. Virginit. Basilius in lib. pariter de Virginit. *Non audis*, inquit, *quoniam qui dimissam duxerit, moechatur? Etsi enim, ait, pro culpa dimissa est, vivit tamen vir ejus.* Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 7. *Non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere, cum habeas tuam: crimen est adulterii.* Hieronymus in Ep. ad Amand. *Conjugium*, inquit, *nonnisi per mortem dissolvi.* Digna est quae legatur Epistola ejus ad Oceànum, in qua de peccato Fabiolae pertractat quae, viro adultero repudiato, alteri nupserat. Innocentius I. in Ep. ad Exup. cap. 6. *De his etiam requisivit dilectio tua, qui, interveniente repudio, aliis se Matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est.* S. P. Augustinus pluribus in locis, sed in libris praecipue de adulterinis Conjugiis argumentum hoc juxta nostram sententiam versat, communit, et illustrat. Inter cetera, recitata Apostoli sententia, *Igitur vivente viro, vocabitur adultera*, lib. 2. cap. 4. ita scribit: *Haec verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis . . . nec carebit illo vinculo, etiam si numquam reconcilietur viro, carebit autem si mortuus fuerit vir ejus.* A recitandis aliorum Patrum sententiis, brevitati studens abstineo.

Prob. 3. Ecclesiae definitionibus. Synodus Illiberitana Can. 9. inquit: *Foemina fidelis quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum duxerit, prohibeatur ne ducat.* Milevitana cui S. P. Augustinus interfuit, Can. 17. *Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur; sed ita maneant, ut sibi reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur.* Trullana Can. 87. *Quae maritum reliquit est adultera, si venerit ad alium, ut vult sacer et divus Basilius. Qui legitime sibi datam uxorem relinquit, et aliam ducit, ex Domini sententia est adulterii judicio obnoxius.* Florentina in Instr. pro Armenis: *Quamvis autem ex causa fornicationis licet thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.* Non opus est alia afferre Concilia. Hinc Tridentinum sess. 24. Can. 7. merito definivit ut, *Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit, et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugis Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non*

dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.

Prob. 4. ex absurdis quae ex opposita a nostra sententia sequuntur. Et I. si ob fornicationem legitimam dimittere licet uxorem, et aliam ducere, jam improbis viris via paratur latissima ad bis et tertio permutandam uxorem, impacta quippe priori castae conjugi adulterii calumnia, obtentoque repudio secundas inire poterunt nuptias; atque alterius Conjugii pertaesi, idipsum cum altera facere possunt, et sic porro deinceps. Hoc autem absurdissimum esse quis non videt? Animadversio est S. Hieronymi Comm. in cap. 19. Matth. II. admissa semel Protestantium opinione, inconstantiae ac levitati foeminarum latissima sternitur via. Mulieres enim quae novis amoribus implicatae proprios viros, ut quam saepissime accidit, fastidiunt, si a mariti contubernio liberari velint, et ad alterius viri transire complexum, satis erit sanctam conjugalem fidem per adulterium violare. Nonne et hoc absurdissimum est? III. si per fornicationem Matrimonii vinculum penitus frangitur, jam melior erit impudicae et fornicantis, quam castae conjugis conditio. Si namque duae dentur mulieres quibus duo rudes moribusque agrestes viri, ut saepe accidit, in sortem obtigerint, ex illis una quae admodum pudica non est, modum facillime inveniet sese liberandi ab homine natura vehementi, si nempe alteri se viro commisceat, solutoque cum priori vinculo, alium indole suaviori ducat maritum. Altera e contra pudicitiae et castitatis amica nullum ex virtute percipiet commodum. Non haec sane fuisse videtur supremi Legislatoris nostri mens in Nuptiis aut instituendis aut per benedictionem suam in Cana Galilaeae sanctificandis.

Objectamenta solvuntur adversariorum.

Obj. I. Christus Dominus Matth. cap. 19. interrogatus a Pharisaeis, *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa*, respondit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur*. Clausula illa, *nisi ob fornicationem*, exceptio est a generali lege, atque adeo quamvis generaliter non liceat quacumque ex caussa Conjugii frangere vinculum, id tamen facere licet ex caussa fornicationis. II. neque verum est quod communiter ajunt loquutum ea in sententia Christum fuisse de sola thori, non vinculi dissolutione. Nam si res ita se haberet, nonnisi ob fornicationem licita esset thori separatio, quum tamen multae aliae sint caussae propter quas viri legitimas a thoro ejicere possunt uxores. III. neque Christus satisfecisset interrogationi Pharisaeorum. Hi namque de repudio interrogarunt quoad vinculum, Christus autem de repudio quoad thorum respondisset.

Resp. ad 1. Tota argumenti hujus vis seu potius aequivocatio sita est in non recta illius clausulae, *nisi ob fornicationem*, intelligentia, qua probe assecuta, omnis evanescit difficultas. Clausula itaque illa, *nisi ob fornicationem*, non ad verba, *et aliam duxerit*, sed ad verbum, *dimiserit*,

referenda est, ita ut germanus sententiae sensus sit: *Quicumque uxorem suam dimiserit (quod nonnisi ob fornicationem licet) et aliam duxerit, moechatur*: ex qua expositione resultat licitum quidem esse repudium quoad thorum, non vero quoad vinculum. Ut autem hanc fuisse divini Legislatoris nostri mentem appareat, integra de Matrimonio doctrina secundum evangelicam Legem brevissime exponenda est. Christus ergo Dominus Matth. cap. 5. perfectionem novae Legis suae comparate ad veterem describens, per multa eaque praecipua capita excurrit. Ubi autem ad caput de Matrimonio descendit, in hoc doctrinam suam perfectiorem esse ait prae veteri, quod antiquitus dimittebatur uxor per libellum repudii, licet non ex levi neque ex qualibet pro lubitu caussa, sed tantum ob fornicationem, nunc autem id facere amplius non liceat: *Dictum est autem* (Deut. c. 24.) *quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit eam moechari: et qui dimissam duxerit, adulterat.* Duo hoc Christi oraculum importat. Primum, in Lege Gratiae nullo in casu licitam esse Matrimonii dissolutionem quoad vinculum, sicuti in mosaica Lege permittebatur. Alterum vero, reprehensione dignos fuisse Judaeos qui non ob solam fornicationem, ut Moyses in Lege permiserat, sed ex quavis etiam levissima caussa scribebant libellum repudii. Quum autem nova haec divina doctrina ad notitiam pervenisset Pharisaeorum, hi accedentes ad Jesum animo eum tentandi interrogarunt an liceat quacumque ex causa uxorem dimittere suam; quibus laudatam Matth. cap. 19. tradit responsionem, per quam doctrinam jam cap. 5. traditam turbis confirmat. Quare clausula illa, *nisi ob fornicationem*, nil aliud denique est quam tacita quaedam Phariseorum reprehensio qui veteris Legislationis abusi tolerantia non ob solam fornicationem, sed ex quavis levissima caussa uxores suas dimittebant. Hanc genuinam esse loci illius interpretationem, luculentissime patet I. ex ipso contextu. Nam in toto eo dialogo nil aliud inculcat Christus quam Conjugii nexum esse indissolubilem, tum ex quo Deus masculum et foeminam ab initio fecerit, tum ex quo relinquat homo patrem et matrem ut adhaereat uxori, tum denique quod duo conjuges una sint caro; unde concludit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Objicientibus autem Pharisaeis libellum repudii a Moyse praescriptum, respondet factum id esse ob cordis Judaeorum duritiam, ab initio autem non fuisse sic. Mens ergo Christi fuit Matrimonium ad primaeva jura quae in Lege naturae vigebant revocare. Rursus, absoluto cum Pharisaeis dialogo, intercesserunt Apostoli dicentes: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*, hoc est, si dimissa uxore, casta a viro ducenda est vita, dura admodum est viri conditio. Quare et Apostoli Magistri verba in sensu hactenus exposito intellexerunt. Quam intelligentiam Christus non modo non correxit, sed inde occasionem sumpsit tradendi consilium de castitate servanda: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi*, etc. II. ex aliorum consensu Evangelistarum. Nam Lucas et Marcus factum illud narrantes, eamdem referunt Christi sententiam, non apposita clausula illa,

sive exceptione, *nisi ob fornicationem*, indeque S. P. Augustinus lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 11. merito argumentum pro Matrimonii indissolubilitate desumit; interroganti quippe num moechetur qui fornicantem a priori viro dimissam duxerit, respondet: *Nonne secundum Marcum respondebitur nobis: Quid quaeritis, utrum ille sit moechus, et ille non sit? Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit. Nonne etiam secundum Lucam dicetur nobis: Quid ambigitis utrum ille qui propter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, non moechetur? Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, moechatur.* Et lib. 2. cap. 3. eamdem confirmat responsionem ex Ep. ad Rom. et ex 1. ad Cor. cap. utrobique 7. quibus in locis mulier alligata dicitur Legi quandiu vir ejus vivit; atque concludit: *Proinde si alligata est quamdiu vir ejus vivit, nullo modo nisi viro mortuo soluta dicenda est ab hoc vinculo.*

Ad 2. et 3. Christus in sermone habito cum Pharisaeis eo animum intendebat ut novam suam doctrinam contra repudium quo nimis illi abutebantur manifestaret, totusque erat ut Conjugium ad primaeva indissolubilitatis jura quae in Lege naturae vigebant revocaret. Cumque duo illi ab eo petiissent an videlicet licitum esset quacumque ex caussa propriam dimittere uxorem, et an in locum dimissae licitum esset ducere aliam, Christus ad prioris quaestionis solutionem licere respondit dimittere uxorem, quoad thorum tamen, non quoad vinculum, ex caussa adulterii tamquam ex graviori, non aliis caussis exclusis. Secundam vero quaestionem absque ulla ambiguitate negative resolvit, dicendo moechari eum qui simile quidquam facere audeat, moecharique item illum qui dimissam ab alio in suam accipere tentaverit. Atque ita praecipuum pro adversa sententia argumentum, apparentem illam quam prima fronte habere videtur vim, penitus amittit.

Obj. 2. multorum Patrum loca. Tertullianus lib. 4. adv. Marc. cap. 74. inde demonstrat Legem Christi non adversari mosaicae, quod et ipsa sub conditione divortium admittat: *Ita si conditionaliter prohibuit uxorem dimittere, non tamen totum prohibuit; quod non prohibuit in totum, permisit.* Origenes tract. 7. in Matth. Christi oraculum superius allatum in sententia exponit adversariorum. Et Hilarius in locum eumdem tradit: *Nullam aliam caussam desinendi a Connubio praescribens, quam quae vir prostitutae uxoris societate polluitur.* Lactantius quoque lib. 6. divin. Instit. cap. 23. scribit: *Adulterum esse qui praeter caussam adulterii, dimissam uxorem duxerit.* Gregorius Nazianzenus Orat. 31. *Lex quidem, ait, omnes ob caussas libellum dat repudii: at Christus non ab omnibus, sed ab impudica tantum et adultera uxore, viro separari permittit.* Demum ne singulos recenseam, Ambrosius Comm. in cap. 7. Ep. 1. ad Cor. docet mulieri adulterae dimissae non licere in patrati sceleris poenam alium ducere virum; posse tamen virum innocentem post dimissam uxorem, aliam sibi adscribere.

Resp. singulorum Patrum mentem exponendo. Quum Tertullianus contra Marcionem disputans affirmat licitum esse viro, secundum Evangelium,

ob fornicationis caussam dimittere uxorem, non ei autem licere aliam ducere, clarum est, divortii nomen accipere lato quodam sensu, pro quavis nimirum separatione atque idcirco pro separatione a thoro, non a vinculo, quod satis ei erat ut adversus Haereticum demonstraret non esse evangelicam Legem mosaicae contrariam. Origenes ad summum excusat virum qui uxori ob adulterium dimissae permittit alteri nubere ad majus vitandum malum. Nusquam tamen ex propria sententia docet dirimi ob fornicationem Matrimonii vinculum; unde loco in argumento citato subjicit: *Scio, quosdam qui praesunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse, aliquos nubere priori viro vivente. Et contra Scripturam quidem fecerunt; dicentem: Mulier ligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit*. Hilarius verba Christi, *Quicumque dimiserit uxorem suam*, etc. exponens, nil aliud denique tradit quam fornicationem caussam esse desinendi a Connubio; quod nos quoque fatemur, dummodo de separatione id intelligatur a thoro quemadmodum intellexit Christus, non autem a vinculo. Numquid alicubi docet Hilarius licitum esse alterutri conjugi, facta separatione, alteri nubere? Bene habet Lactantius adulterum non esse qui fornicantem dimissam duxerit in uxorem, quoniam non secundum Evangelium, sed secundum civilem Legem seu Jus publicum loquitur, ut ex iis quae e vestigio subdit, apparet. Prosequitur enim: *Non enim sicut publici Juris ratio est, sola mulier adultera est quae habet alium: maritus autem etsi plures habeat a crimine adulterii solutus est. Sed divina Lex ita duos in Matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit*. Gregorii Nazianzeni textus eodem accipiendus est sensu quo explicavimus illum Hilarii, praesertim cum verbo utatur, *separari*, neque minimum de aliis Nuptiis habeat verbum. Testimonium sub Ambrosii nomine recitatum non moror, quoniam nemo unus nunc ignorat Commentarios illos in Ep. Pauli non esse S. Ambrosii; et e contra multis erroribus scriptio scatet; unde ad fidem faciendam non valet nisi forte auctor ille secundum Leges civiles loquatur.

Obj. 3. ex ecclesiasticis Definitionibus. Concilium Arelatense 1. Can. 10. inquit: *De his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant*. Merum ergo consilium est, non praeceptum a secundis abstinere Nuptiis in casu adulterii. Concilium quoque Compendiense Can. 16. inquit: *Si vir leprosus mulierem habeat sanam, si vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipsa foemina, si vult, accipiat. Similiter et vir.* Non est igitur tam arctum, ut dicitur, vinculum Matrimonii. Joannes VIII. Rom. Pont. in Ep. 65. scribit: *Cum priorem legitimo sibi Matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, illi* (propter fornicationem) *conceditur aliam, vivente priore, conducere*.

Resp. Arelatense Concilium de iis loquens qui uxores suas in adulterio deprehendunt, non praecipit, sed hortatur ne viventibus uxoribus alias

accipiant, quoniam quum imperiales Leges secundas illas Nuptias permitterent, Ecclesia eas absolute impedire non poterat. Ceterum eodem in Canone luculentissime legitur, Fidelibus adolescentibus qui proprias uxores in adulterio deprehendunt, secundas Nuptias esse prohibitas: *De his qui conjuges suas*, etc. *et ii sunt adolescentes*, *et prohibentur nubere*. Subintellige a Christo et Ecclesia. Neque enim legendum est, *non prohiberetur*, ut absque ullo fundamento affirmat Petavius. Compendiensi autem Concilio phalangem opponimus sanctorum Patrum aliorumque Conciliorum auctoritatem. Et revera si Canon, prout materialiter sonat accipiatur, non caussa fornicationis modo, sed propter gravem quemlibet corporis morbum vinculum solveretur Matrimonii, quod secundum evangelicam Legem non licet, quamvis liceat secundum Leges civiles. Sed Compendienses Patres de Matrimonio forte loquuntur rato quidem, sed non consummato, quo in casu Canon ille declarat Matrimonium ob dirimens impedimentum irritum esse. Non bona fide Launojus verba citat ex Ep. Joannis VIII. excerpta. Integer quippe textus sic habet: *Et ideo cum priorem legitimo sibi Matrimonio junctam quisquam deserere nequeat, nulla ratione prorsus illi conceditur, aliam, vivente priore, conducere.* Sicque sententia illa nostram confirmat, non destruit.

Obj. ultimo. Poenitentiale Romanum conjugi adultero, facto divortio, vetat aliud inire Connubium, id tamen permittit conjugi innocenti. II. Imperatores etiam christiani multis decrevere legibus soluta esse Matrimonia ubi fornicatio intercedat. III. si uxor adultera sit, ratio postulat ut puniatur. Haec autem est proportionata punitio si maritus uxore fornicante dimissa alteri nubat. IV. quod si vir in necessitate sit constitutus habendi filios, cur ejecta domo muliere adultera, aliam consciscere sibi non poterit?

Resp. ad 1. Poenitentiale Romanum jus innocenti conjugi tribuit non ut post dimissam impudicam uxorem, sed ut post illius mortem aliqua exacta poenitentia, aliam ducere posset mulierem. Ita antiquae disciplinae rigor ferebat, ut ex multis ecclesiasticis monumentis colligitur.

Ad 2. Praeoccupaverunt jamdiu hoc argumentum Hieronymus et Augustinus. Ille in Ep. ad Oceanum de Fabiolae scribens repudio inquit: *Aliae sunt Leges Caesaris; aliae Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.* Hic autem hom. 49. inter 50. nunc serm. 392. de Divers. habito tamen a nonnullis pro dubio, *Non vobis*, ait, *licet habere uxores quarum priores mariti vivunt: nec vobis foeminae habere viros licet quorum priores uxores vivunt. Adulteria sunt ista Conjugia, non jure fori, sed jure Caeli*.

Ad 3. respondit idem Augustinus lib. 2. de adulter. Conjug. cap. 14. debere viros in adulteras uxores misericordiam exercere. *Quinimo*, ait, *propterea debent peccatricibus praebere misericordiam, ut et ipsi pro suis peccatis misericordiam consequantur: et multo magis hoc eis faciendum est qui dimissis uxoribus adulteris cupiunt vivere continenter. Tanto quippe debent esse misericordiores quanto volunt esse sanctiores.*

Ad 4. Quid maritus faceret si uxor morbo qui Matrimonii usum impediret, laboraret, aut in alienas fuisset asportata regiones? Numquid etiam

tunc solutum esset Conjugium, et ad sibi procreandos filios ducere aliam posset? Unde S. P. Augustinus cap. 11. ejusdem libri proxime citati scribit: *Procreandorum filiorum ista causatio, etiam non adulteras, sed castissimas foeminas, si forte sint steriles, cogit dimitti, et alteras duci.*

CAPUT IV.

An Matrimonium in infidelitate contractum dissolvatur quoad vinculum si alteruter ex conjugibus ad christianam transeat Religionem.

Demonstrata semel ac tamquam de Fide recepta adversus Protestantes et Graecos a catholicis Theologis sententia de indissolubilitate Matrimonii quoad vinculum caussa adulterii, superfluum esse videri posset inquirere an eadem Matrimonii indissolubilitas maneat in eo qui in infidelitate conjugatus christianam amplectitur professionem uno ex conjugibus in infidelitate persistente. Nam eadem Christi immaculata doctrina quae firmitatem statuit Conjugii, nihil officiente alterutrius partis adulterio, firmum reddere videtur ejusdem Conjugii nexum, unius conjugis non obstante infidelitate. Et nihilominus iidem Theologi et Canonistae qui pro aris et focis Matrimonii tuentur indissolubilitatem in priori casu, eamdem communiter negant in altero. Si inconstans haec philosophandi caussa sedulo inquiratur, nulla alia profecto potest inveniri quam unius Gratiani auctoritas quae adeo in Theologorum et Canonistarum mente praevaluit ut abreptus ab ea fuerit etiam Innocentius III. Summus Pontifex vir ceteroquin doctissimus, ac deinceps ulteriori neglecto examine habita est sententia illa inter demonstrata. Sed quoniam nulla intercessit umquam Ecclesiae definitio quae a communi illo theologico scito recedere vetet, non defuerunt inter recentiores veritatis amatores nonnulli qui retractata funditus caussa invenerunt oppositam sententiam esse longe probabiliorem. Primus qui nostris hisce temporibus quaestionem hanc ad incudem revocaverit fuit Seguerius generalis in suprema parisiensi Curia Advocatus, nactus occasionem a Judaeo quodam, nomine Levi, qui christianam amplexus professionem, quum uxor ab eo in Judaismo ducta secum habitare renueret, novum obtabat inire cum Anna Thevard Matrimonium. Sed repulsam a Parocho suo passus, causa ad supremam parisiensem Curiam delata est in qua post diutinum atque accuratum examen, definitum fuit manere quoad vinculum Neophyti cum uxore judaea Matrimonium. Sed interim ad gravissimam hanc dirimendam controversiam eruditissima prodiere Theologorum scripta quae typis impressa habentur duobus voluminibus, et in gallicam linguam translati quoque fuere duo S. Augustini libri de adulterinis Conjugiis ad Pollentium. Posthac inveteratam exuere, ac novam seu potius antiquam quae ante Gratianum vigebat, induere coeperunt Theologi opinionem, inter quos tres eminent doctrina ac sacris Infulis clarissimi viri Augustinus Gervasio et Joseph Bertieri, ambo Ordinis nostri olim Alumni, nunc vero ille Archiepiscopus Capuanus, hic Archiepiscopus Ticinensis, et Benedictus So-

lari Naulensis Episcopus Ordinis Praedicatorum : atque eamdem hanc opinionem utpote evangelicae de Matrimonio doctrinae magis cohaerentem nos quoque absque ulla animi haesitatione amplectimur. Unde sit

CONCLUSIO

Sententia quae tenet, Matrimonium in infidelitate contractum indissolubile esse quoad vinculum si alteruter ex conjugibus christianam amplectatur Religionem altero conjuge in infidelitate perseverante, est probabilior opposita.

Prob. 1. ex Scripturis in superiori controversia laudatis. Christus enim apud Marc. cap. 10. *Quicumque*, inquit, *dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit.* Atque idipsum docet de uxore comparate ad virum; unde conjux infidelis qui Baptismum suscipit, si aliud inire voluerit Conjugium, adulterium committit. Apud Lucam etiam cap. 16. tradit, quod *Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, moechatur*. Haec certe respondebat Christus Judaeis interrogantibus an liceat dimittere uxorem quacumque ex caussa, atque adeo caussa etiam Religionis, quam etsi Pharisaei interrogantes prae mente forte non gererent, expressit tamen eam Christus indefinite pronuntiando : *Qui aliam uxorem duxerit, adulterium committit.* Relege etiam quae ex D. Paulo ad Rom. cap. 7. et 1. ad Cor. cap. item 7. supra recitavimus. Haec et similia tradita sunt a Christo ad falsam de repudio refellendam Judaeorum opinionem; illudque confirmandum quod Matth. cap. 19. dixerat : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Doctrina haec, ut ajebam, universalis est et neminem excipit, atque idcirco nullus dari potest casus in quo Matrimonium in quovis statu legitime contractum solvi possit quoad vinculum. Unde bene Augustinus lib. 1. cap. 9. de adulter. Conjug. in illa Lucae verba, *Omnis qui dimittit uxorem suam*, etc. inquit : *Qui ergo sumus nos ut dicamus, est qui moechatur, uxore sua dimissa alteram ducens, et est qui hoc faciens non moechatur, cum Evangelium dicat omnem moechari qui hoc facit?* Et cap. 11. explicans illa Matthaei verba, *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, etc. per comparationem ad Marcum et Lucam, concludit : *Restat ut Matthaeum intelligamus a parte totum significare voluisse ... non quidem ut dimittens uxorem et alteram ducens, quidam moechetur, id est, qui praeter fornicationem dimiserit, quidam vero non moechetur, id est, qui propter fornicationem dimiserit, sed omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, moechari minime dubitetur*. Praeterea si qua caussa foret propter quam Matrimonii vinculum frangere aliquando liceret, maxime esset adulterium, propter illam Christi sententiam Matth. cap. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Ast Theologi et Canonistae quos nunc adversarios habemus pro Conjugii indissolubilitate quoad vinculum strenue decertantes omnem a Christi verbis amovent ambiguita-

tem, et de sola dissolubilitate quoad thorum ibi fieri sermonem definiunt. Cur ergo nunc cum de Nuptiis agitur in infidelitate contractis, mutata facie, Christi sententia admittere dicunt exceptionem? Eadem utrobique ratio viget. In casu quippe a Pharisaeis proposito sermo erat de fornicatione carnis, in casu vero nostro sermo est de fornicatione spiritus. Quare si carnis fornicatio vim frangendi nexum non habet, non video cur eam vim habere debeat fornicatio spiritus. Huic innixus principio ita quaestionem hanc quam versamus sibi a Pollentio in terminis propositam Augustinus dirimit lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 25. *Propter quodlibet tamen fornicationis genus, sive carnis sive spiritus, ubi et infidelitas intelligitur, et dimisso viro non licet alteri nubere, et dimissa uxore non licet alteram ducere: quoniam Dominus nulla exceptione facta dicit: Si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur. Et omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, moechatur.* Imo potiori jure indissolubile remanet vinculum in casu nostro. Nam fornicatio spiritus quum extrinseca sit Matrimonio, illi directe non opponitur, sicut fornicatio carnis, haec quippe directe Matrimonium laedit. Numquid ex natura rei nequit Connubium cum adulterio hoc spirituali consistere? Absit, quoniam Apostolus in Ep. ad Cor. cap. 7. inquit: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Generalis itaque regula de Matrimonii indissolubilitate quoad vinculum a Christo Domino proprio ore tradita firma in suo robore permanet etiam in casu proposito. Neque enim verum est quod adversarii dicunt, Deum a lege hac universali dispensasse in gratiam christianae Religionis. Nam de re tam gravi ne verbum quidem aut in Scriptura aut in Traditione, quibus ducibus theologicae quaestiones sunt resolvendae, invenitur.

Prob. 2. ex antiqua Ecclesiae Traditione pro qua demonstranda valent omnia illa Patrum et Conciliorum testimonia quibus Matrimonii firmitatem ostendimus, nihil obstante caussa adulterii. In quorum lectione testimoniorum duo sedulo sunt animadvertenda. Primum videlicet, sanctos Patres atque Concilia generalem quamdam statuere regulam, nullam excogitari posse hypothesim in qua Matrimonium legitime contractum dissolvi queat quoad vinculum; unde S. P. Augustinus lib. de Bono Conjug. cap. 18. universim pronuntiat, quod *Sicut duobus* (maritis) *pluribusve servire, sic a viro vivo in alterius transire Connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec umquam licebit.* Alterum, eadem Concilia iidemque Patres Scripturarum oracula quae dissolutioni Conjugii specie tenus favere videntur, semper constanterque interpretantur de solutione quoad thorum, nusquam autem quoad vinculum. Ex quibus intelligere facile possumus, Ecclesiae mentem semper fuisse, ut Nuptiarum quoque in infidelitate contractarum nexus firmus remaneat uno ex conjugibus ad christianam transeunte Religionem, altero autem in infidelitate remanente et cohabitare renuente cum conjuge suo fideli. His hoc modo perpensis superfluum existimo testimoniorum numero Tyronum mentem faticare, et S. Patris Augustini qui argumentum hoc ex professo versavit, dumtaxat urgebo auctoritatem. Mul-

tas circa Matrimonium S. Patri proposuit Pollentius solvendas quaestiones inter quas et haec erat de qua nunc disputamus. Pro hujus aliarumque solutione quaestionum duos elucubravit S. Doctor libros quibus titulum fecit, *De adulterinis Conjugiis ad Pollentium*, in quibus diligentissime more suo Scripturarum oraculis perscrutatis, statuit conjugi ad Fidem converso non licere aliud inire connubium, donec conjux alter qui in infidelitate persistens cum eo habitare recusat, in vivis existat; solutionem que quaestionis repetit semper a capite ad calcem ex quo Matrimonium natura sua indissolubile sit quoad vinculum; atque ex hoc eodem principio difficultates omnes sibi a Pollentio propositas explicat diluitque feliciter. Si pulcherrima quae ad rem hanc ibi traduntur adducere vellem, totum feme exscribendum foret opus. Iis quae paullo ante attulimus addere sufficiat nonnulla quibus Matrimonii vinculum in quovis generatim casu indissolubile esse absque ulla exceptione pronuntiat. In lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 13. scribit: *Recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat*. Et cap. 18. *Discessio fidelis conjugis ab infideli ... prohibet Apostolus consilio caritatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis: non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi, verum etiam quia inutilia Conjugia cum ceciderint viventibus eis a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati, difficillime resolvuntur*. Lib. 11. cap. 9. *Mulier alligata est, quandiu vir ejus vivit. Haec consequenter et vir alligatus est, quamdiu mulier ejus vivit. Ergo alligatio facit ut aliis conjungi sine adulterina copulatione non possint. Unde necesse est ex duobus conjugibus quatuor adulteros fieri, si et illa alteri nupserit, et ille alteram duxerit*. Et lib. 2. cap. 4. jam dixerat: *Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus*. Nescio an luculentiora desiderari possint ad suadendum, in mente Magni Augustini adeo Matrimonii vinculum esse arctum ut nec adulterium nec unius conjugis ad christianam Religionem accessio nec alterius infidelitas conjugis nec renitentia cum fideli parte habitandi vim habeant ad illud solvendum. Quae cum ita sint, mirari subit quod vir ceteroquin doctissimus Van-Espen in Anal. Decret. Gratian. affirmet, contrariam a nostra sententiam fundamentum habere in S. Augustini libris de adulter. Conjug. nisi quod in tanta rerum examinandarum copia tempus ei forte defuit ad accuratam eorumdem librorum lectionem necessarium. Haec quae ex Scripturis et Ecclesiae Traditione ac ex Magno praesertim Doctore Augustino hactenus prolata sunt, satis mihi videntur ad suadendum, sententiam de Matrimonii indissolubilitate quoad vinculum in casu ab initio proposito longe probabiliorem esse opinione communi quae post Gratiani tempora obtinuit. Cujus ut magis appareat infirmitas, iis quae diximus nunc addere juvat ipsius etiam Gratiani auctoritatem, si tamen auctoritatem ab ea diversam quam monumenta a se relata habent, mereatur, et Summi Pontificis Innocentii III. post quos Theologi et Canonistae, ut ab initio monuimus, veteri ejurata, novam adoptarunt opinationem. Gratianus ergo caussa 28. q. 2. can. 1. desumpto

ex Concilio Meldensi an. 845. celebrato, scribit: *Si quis habuerit uxorem virginem* (liberam nimirum a vinculo Matrimonii) *ante Baptismum, vivente illa post Baptismum, alteram habere non potest. Crimina enim in Baptismo solvuntur, non Conjugia.* Recte quidem Meldense Concilium et post illud Gratianus. Christus enim non alio fine Baptismum instituit nisi ut per illum peccata omnia quae hominem antea ligabant per modum regenerationis solvantur. Quare Summus Pontifex Innocentius III. ubi pertractat de divortio illud idem principium adsciscere non dubitavit, dicens in cap. *Gaudemus*: *Cum per Sacramentum Baptismi non solvantur Conjugia, sed crimina dimittantur*, etc. Sed interim hoc idem principium nonne invictum suppeditat sententiae nostrae argumentum? Proculdubio, quoniam privilegium a Christo Baptismati adnexum non in eo consistit ut in infidelitate conjugatus, legitima uxore sua dimissa, alteram ducat, sed ut a peccatorum vinculis solutus novam in christiana Religione vitam ducat, iis quae turpia, non quae honesta et secundum naturae legem sunt, dimissis et ejuratis.

Prob. 3. Ratiocinatione. Sententiae a nostra contrariae labilitatem satis demonstrant suorum auctorum in ea proponenda conflictus. Nam Estius qui Matrimonii vinculum natura sua insolubile esse multis argumentis asseruit, ad propositam controversiam descendens a communi sui temporis abreptus opinione existimat, tunc solvi a Neophyto posse vinculum Matrimonii quando pars infidelis cohabitare, et pacifice ac sine contumelia Creatoris cum eo vivere recusat. Ast alii bene multi post Bellarminum, Juvenin, Drouenium ultro progredientes affirmant posse infidelem ad Fidem conversum alias inire Nuptias sive alter conjux in infidelitate relictus renuat sive consentiat cum fideli pacifice vivere, putantes facultatem aliud celebrandi Matrimonium esse veluti privilegium Baptismati conjunctum. Thomas vero Sanchesius de illorum schola Theologorum qui pacta conventa Deum inter et homines sibi pro lubitu fingunt, adhuc adjungit licuisse quidem Neophyto primis Ecclesiae saeculis infidelem conjugem retinere, sed secutis temporibus non amplius licere, et ob unius conjugis infidelitatem Matrimonium manere solutum, novumque iniri posse Connubium. Unde tam magna judiciorum dissentio? Si autem quaeratur quo praecise tempore vinculum illud frangatur, rursus ad invicem dissociantur, aliis post S. Thomam atque Durandum contendentibus subsistere nexum donec novum contrahatur Conjugium, aliis vero solvi statim post receptum Baptismum. Jam vero inconstantia haec opinandi in re adeo gravi qualis est quam versamus, nonne dubiam ac falsitatis suspectam reddit adversariorum sententiam? Ast in rebus dubiis, ubi praesertim agitur de re sacramentaria, tutiorem partem esse eligendam quis inficiatur? Cumque in proposito casu tutius Neophyto sit in continentiae statu permanere quam novum inire Connubium, nostram, ne periculo se exponat peccandi, sequi tenetur sententiam. Coronidis loco tandem sit argumentum, quod ab initio urgendum erat, nempe vinculi Matrimonii indissolubilitatem esse de jure naturae, dicente Christo ad Pharisaeos: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, etiam adversarii concedunt. Ast in ju-

re naturae nulla dari potest proprie dicta dispensatio, ut agentes de Legibus demonstravimus, ac Theologi omnes et Canonistae concedunt. Itaque nec alterutrius conjugis adulterium, nec renitentia pacifice vivendi cum conjuge ad Fidem converso, nec quodlibet aliud peccatum facere potest ut Matrimonium de jure naturae insolubile dissolvatur.

Ad contraria argumenta responsio.

Duo praecipua sunt quae contra statutam a nobis sententiam facere videntur, unum ex Scriptura, alterum vero ex Gratiani ac Innocentii III. auctoritate depromptum. Incipiamus a Scriptura. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 7. v. 15. inquit: *Quod si* (conjux) *infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.* Quorum verborum obvius ac litteralis sensus est, quod si uno ex conjugibus ad Christum converso, alter persistens in infidelitate discedere vult, discedat, hoc est, vinculum Matrimonii solutum jam sit; cujus vinculi servituti frater aut soror quum subjecti amplius non sint, poterit fidelis, si libeat, novum Conjugium inire. En sententia communis Pauli auctoritate firmata. II. neque reponere juvat fieri ibi sermonem de conjugis discessione per separationem a thoro, firmo remanente vinculo Matrimonii, ex quo in eodem capite v. 39. dicatur Mulierem alligatam esse legi Matrimonii donec vir ejus vivat. Reponere hoc, inquam, non juvat. Nam distinguens eo in capite Apostolus inter Conjugium fidelium et infidelium, affirmat in utroque Conjugio retinendam esse uxorem sive fidelem sive infidelem; cum hoc tamen discrimine, quod si conjux sit fidelis, firmum remaneat vinculum Matrimonii, si vero infidelis, in conjugis fidelis sit potestate infidelem partem dimittere, et alias inire Nuptias. Sic enim habet v. 10. *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* En vinculum Matrimonii ex Domini praecepto indissolubile. Versu autem 12. de Matrimonio loquens fidelis cum infideli, ait: *Nam ceteris ego dico, non Dominus: si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* En merum Apostoli, non Dei consilium de uxore retinenda infideli. Quod idem versu seq. dicit de uxore fideli relate ad virum infidelem. Versu autem 14. rationem consilii sui affert, quod nempe sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem, et vicissim; ac tandem v. 15. concludit, quod si pars infidelis discedere vult, discedat. Ex qua rerum serie, inquiunt, consequitur esse in potestate conjugis fidelis infidelem dimittere, atque ad alias Nuptias convolare, alioquin nullum esset statutum ab Apostolo inter utrumque Matrimonium discrimen. Et revera concedit Apostolus viro uxorem habenti infidelem, quod conjugibus negat fidelibus. His facultas non denegatur ut in aliquo casu separatio fiat a thoro. Igitur ei qui conjugem habet infidelem tribuitur potestas solvendi Matrimonium a vinculo.

Resp. ad 1. Tota allati argumenti vis sita est in verbo illo, *discedat.*

Videndum est igitur quid hoc in loco verbum, *discedo*, proprie significet. Nemo plane dixerit verbum illud per se ac juxta naturalem suam intelligentiam determinate significare unius conjugis discessionem ab alio per vinculi solutionem. Unde erit ambiguum, et poterit vel vinculi dissolutionem vel separationem a thoro significare. Quid itaque faciendum ut genuinum in hoc Apostoli loco verbi illius sensum assequamur? Nempe recurrendum est ad chritico-theologicam regulam quae docet quod ubi Scripturae textus aequivocus est, ad contextum primitus, tum ad sanctorum Patrum confugiendum est expositionem. Ast si oculos in contextum injiciamus, qui caecutire in meridiana luce non vult, illico deprehendet, verbum, *discedo*, eo in testimonio a Paulo usurpatum, nullimode significare discessionem unius conjugis ab alio per vinculi solutionem. Nam et in antecedentibus et in consequentibus commendat saepe et inculcat vinculi Matrimonii firmitatem usque ad alterutrius conjugis mortem. Versiculis quippe 10. et 11. inquit: *Iis qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam*, etc. Et in subsequentibus, versu nimirum 39. repetit: *Mulier alligata est Legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat*. Quam doctrinam tradiderat quoque in Ep. ad Rom. ut supra observavimus. Et hoc quoad contextum. Quoad Patres autem, Hieronymus lib. 1. cont. Jovinianum Apostoli sententias quae in cap. 7. Ep. 1. ad Cor. habentur exponens inquit: *Praecipit ne credens repudiet non credentem*. Et S. P. Augustinus lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 13. *Recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat*. Quare dum Apostolus v. 15. scribit, *Quod si infidelis discedit, discedat*, verbum illud, *discedat*, non significat matrimonialis vinculi solutionem, sed idem est ac si dicat: *Quod si a thoro separatur, separetur*, firmo tamen Matrimonii nexu remanente. Nec quemquam movere debet quod ibi Paulus dicat, *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*. Nam quum v. 4. illius cap. dixerit mulierem non habere sui corporis potestatem, sed virum, et vicissim, cujus potestatis exercitium desinit si separatio fiat a thoro, prudenter addit subjectos non esse deinceps conjuges ei servituti, quoniam opponeretur paci in qua vocavit nos Deus. Ex quibus apparet, per eam phrasim, *si discedit, discedat*, non intendisse Apostolum exceptionem apponere generali praecepto de perpetuo Matrimonii vinculo, quod tradiderat, sed loqui tantummodo de separatione a thoro. Atque ita celebre illud testimonium cui tota innititur communis Theologorum et Canonistarum opinio caussam illam non juvat.

Ad 2. Discrimen quod ponit Apostolus inter Conjugia fidelium et infidelium non se tenet ex parte vinculi, quod utrobique indissolubile hoc ipso pronuntiat dicens, *His autem qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus*, etc. Praeceptum autem Domini, ut vidimus, universale penitus est, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: et, *Quicumque dimiserit uxorem suam* (Marc. cap. 10.), *et aliam duxerit, adulterium committit*: et, *Omnis qui dimittit uxorem suam* (Luc. cap. 16.), *et ducit*

alteram, moechatur: ubi et vidimus, interprete magno Parente Augustino, non discordare Matthaeum dum dicit, *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, etc. *Neque contra prohibitionem Domini Apostolus aliquid moneret*, inquit S. P. Augustinus lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 19. *neque contra jussionem ejus aliquid prohiberet*. Sed totum discrimen se tenet ex parte cohabitationis vel dimissionis. Circa hanc cum liceat ex Domini praecepto viro casto dimittere adulteram, item viro fideli dimittere mulierem infidelem, et vicissim, Apostolus secundum beneficientiam dilectionis et consilium Caritatis, ut verbis utar S. Parentis Augustini, non ex praescripto Legis hortatur conjugem fidelem ne infidelem expellat si secum habitare consentiat, et rationem affert ipsemet Paulus dicens, *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*, etc. Ceterum quia hoc non est praeceptum, ut diximus, Domini, cum ex Domini praescripto liceat dimittere uxorem suam ob fornicationem, intellige tam carnis quam spiritus, cujus generis est infidelitas de qua Paulus hoc loci; propterea Apostolus ait: *Ego dico, non Dominus*. Ne quis autem hoc fidele consilium tamquam humanum, non divinum contemnendum putaret, subjungit Doctor Gentium: *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam*. Nihilo secius si uxor infidelis discedere velit a marito fideli, et sic infidelis maritus ab uxore fideli, non hoc vetat Paulus; ait namque, *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus*. Demum ne quis arbitraretur ex conjugibus fidelibus post discessionem infidelis alterum vel alteram sibi licere accipere uxorem vel maritum, subjungit Sanctus Apostolus: *Mulier alligata est Legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est*. Quod dictum est de muliere, dicas et de viro. Mors ergo sola dissolvit vinculum. Haec est germana expositio capitis septimi Paulinae Ep. ad Cor. Quod si optes ampliorem locupletioremque explanationem, adeas S. P. Augustinum lib. 1. et 2. de adulter. Conjugiis.

Obj. 2. Gratianus part. 2. Decr. Causa 28. can. 2. ita scribit: *Si infidelis discedit odio christianae Fidei, discedat: non est enim frater aut soror subjectus servituti in hujusmodi: non est enim dimisso peccatum propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia quippe Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur. Infidelis autem discedens, et in Deum peccat, et in Matrimonium; nec est ei fides servanda Conjugii, quia propterea discedit, ne audiret Christum Deum esse christianorum Conjugiorum*. II. subscribit Gratiano Innocentius III. Rom. Pont. qui tit. de Divort. cap. *Quanto*, ita loquitur: *Si alter infidelium conjugum ad Fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini Numinis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi*. III. omnes ferme Theologi et Canonistae oppositam tenere in

casu proposito nobis sententiam nemo unus ignorat. Summae autem temeritatis est a sententia velle recedere quae est juxta communem omnium consensum. IV. et quod magis est, Ecclesia semper facultatem fecit N ophytis ad secunda vota transire si alter conjux cum fideli habitare recuset, aut haberi nequeat cohabitatio absque Creatoris contumelia. Non est ergo nova haec opinio toleranda.

Resp. ad 1. Non aliam meretur Gratianus auctoritatem quam quae debetur fontibus unde aquas suas derivavit. Ipse enim merus fuit collector Sententiarum, Canonumque consarcinator ex quibus corpus, ut inquiunt, confecit Juris Canonici. Videamus ergo unde singularem hanc de Matrimonii fidelis cum infideli dissolubilitate opinionem fuerit mutuatus quae transiret in regulam. Sententia illa, *si infidelis discedit, discedat*, etc. desumpta a Gratiano directe non est ex Apostoli verbis, *quod si infidelis discedit, discedat,* etc. Nam in eadem Causa can. 1. post Meldense Concilium, ut supra observavimus, statuit Sacramentum Baptismi intactum relinquere Matrimonii nexum, quoniam per ipsum crimina solvuntur, non Conjugia. Accepit ergo illam ex Commentariis in Epistolas Pauli, ut ipsemet fatetur, quos citat sub nomine Gregorii Magni, ubi totidem verbis expressa reperitur. Ast nemo est modo tam rudis qui nesciat Commentarios illos non esse Magni Gregorii, sed esse Hilarii cujusdam Diaconi schismatici luciferianae sectae addictissimi, in quibus multi reperiuntur errores etiam circa Matrimonium, ut de aliis sileam. Nam docet ibi sine ulla ambiguitate verborum „ Matrimonium dissolvi quoad vinculum, etiam caussa adulterii, ita tamen ut viro quidem liceat aliam ducere uxorem si priorem in adulterio deprehenderit, non liceat autem uxori alium ducere virum si deprehenderit in adulterio maritum. Fons ergo unde Gratianus hanc hausit doctrinam quum impurissimus sit nullam meretur auctoritatem, adeoque neque regula inde ab eo deprompta. Gratianus autem dignus aliqua excusatione est, quoniam ea vixit aetate in qua cum ars critica ignota fere penitus esset, multa opera etiam Haereticorum et haeretica dogmata continentia, sub unius vel alterius sancti Patris nomine circumferebantur, atque illorum esse bona fide credebantur. Nonne, ut exemplum rei huic analogum afferam, deque innumeris sileam, per plura saecula habiti sunt tamquam S. Hieronymi genuinum opus Commentarii in Epistolam Pauli ad Romanos innumeris scatentes erroribus, quos tamen nunc constat editos fuisse a Pelagio? Quare reprehensione mihi digni videntur recentiores non pauci qui post Blondellum in Gratianum virum ceteroquin pro suae aetatis conditione doctum, et qui bona fide agebat, insolentissime debacchantur. Quid ipsi fecissent si iis vixissent temporibus? Ex his interim colligo, Gratiani auctoritatem non satis esse ut a statuta opinione nostra recedamus.

Ad 2. Quoniam vero statim ac Gratiani illa Canonum collectio in lucem prodiit, ab omnibus magno plausu recepta in praecipuis christiani Orbis Academiis et Universitatibus legi caepit, et tamquam codex Juris Canonici haberi, mirum non est si Innocentius III. et ipse eam post Gratianum adoptavit opinionem. Et quemadmodum juxta Gratiani decretum optime sta-

tuit consistere in suo robore Matrimonium etiam postquam unus ex conjugibus christianam amplexus est Fidem, quoniam Baptismus non Conjugia, sed crimina solvit, uti habetur in cap. *Gaudemus* extra de Divort. ita non satis prudenter ex eodem decreto statuit solvi quoad vinculum Matrimonium si uno ad Fidem converso conjux alter in infidelitate permaneat. Cumque ambos ex Commentariis in Ep. Pauli Hilarii Diaconi luciferiani fuisse deceptos probe noverimus, non decet ut et nos cum ipsis erremus, persuasi quod et ipsi si tituli Commentariorum in Ep. Pauli fraudem detexissent, in eam certe non abiissent opinionem.

Ad 3. Fateor summae audaciae esse a communi recedere Theologorum Canonistarumque sententia. Sed primo falsum est omnes penitus Canonistas atque Theologos opinionem quam impugnamus, tenere. Nam Petrus Soto insignis Theologus coram Tridentinae Synodi Patribus nostram hanc proposuit sententiam, et argumentis undique accitis valide propugnavit, citavitque pro se Cardinalem Cajetanum, nec ullus inter Patres fuit qui temeritatis celebrem illum Theologum accusaverit. Rursus in Gallia non multis abhinc annis quaestio haec eadem a doctissimis viris ventilata, resoluta denique fuit juxta nostram sententiam, nemine eos condemnante. Quidquod viventes adhuc habemus tres ecclesiasticis Infulis ornatos viros nostram hanc tuentes opinionem, nec scandalo proinde sunt cuiquam? Nec nos ergo temeritatis sumus insimulandi. Praeterea religio utique est a communi Theologorum et Canonistarum sententia non recedere. Sed ubi de re pertractatur obscura et implicata de qua nil certi absque periculo pronunciari possit. Ast ubi res tandem de qua disputatur, in propatulo posita est, et Scripturarum Patrumque veneranda auctoritate communita, cur piaculum erit sententiam communi oppositam amplexari? Ita res se habet in casu nostro ut ex disputatis apparet. Imo multo magis, propterea quod communem Scriptorum consensum prava fecit consuetudo alios, et alios absque praevio examine exscribendi.

Ad 4. Si Ecclesiae definitio aliqua extaret quae hanc quam sequor sententiam proscriberet, aut contrariam sequendam esse statueret, ne cogitassem quidem illam adoptare. Majoris quippe facio Ecclesiae Matris nostrae magisterium, quam invictissimam quamlibet humanam ratiocinationem. Sed nullum hactenus Universalis Ecclesiae Decretum habemus quo vel nostra damnetur vel opposita consecretur sententia. Unde liberum erit unicuique in suo sensu abundare. Neque praxis quae in contrarium urgetur generalis est in Ecclesia, sed quae in aliqua tantum dioecesi aut provincia viguit; quam tamen ita revereor ut propter hoc sententiam meam proposuerim non veluti certam et inconcussam, sed solummodo ut probabiliorem opposita. Sed de difficili controversia satis.

CAPUT POSTREMUM

An Ecclesia pro Corpore Pastorum accepta jus habeat statuendi impedimenta Matrimonii.

Locus hic esset disserendi de impedimentis tum prohibentibus et impedientibus, tum dirimentibus Matrimonium. Sed quoniam volumen hoc in magnam jam excrevit molem, et aliunde omnes Canonum theologicarumque rerum tractatores ita materiam hanc enuclearunt ut illam veluti in meridiana luce posuerint, Tyrones nostros in quorum gratiam scribimus, ad uberes illos fontes remittimus ex quibus per seipsos et absque praeceptoris adminiculo haurire facile possunt quae sibi hac in re necessaria esse existimaverint. Interim nos calamum nostrum ad celebrem potius exponendam controversiam circa potestatem constituendi impedimenta Matrimonii convertemus. Nam Protestantes antiquissima ejurata Catholicae Ecclesiae doctrina, et Lutheri potius, Buceri, Calvini, M. Antonii de Dominis falsa principia secuti fidentissime affirmant non Ecclesiae, sed Magistratibus atque Principibus jus esse summum apponendi Matrimonio impedimenta. Nec mirum. Arbitrantur enim ipsi Matrimonium merum esse contractum civilem, nec umquam evectum a Christo fuisse ad honorem et gradum Sacramenti. Cumque civiles omnes contractus Principum saecularium subsint auctoritati, concludunt inde, ad hos, non ad Ecclesiam spectare impedimenta statuere Matrimonii; et ita quamvis turpiter errent in dogmate, sibi tamen cohaerent in principiis; contra quam fecerit vir ceteroquin doctissimus Joannes Launojus qui in libro cui titulus, *de regia in Matrimonium potestate*, fatetur quidem utpote Catholicus Matrimonium in nova Lege rationem habere Sacramenti, sed nihilominus contendit impedimenta constituere Matrimonii ad Principum pertinere auctoritatem, ita ut jus illud exerceat Ecclesia ex pura putaque Principum indulgentia. Quod si ei opponatur Tridentinae Synodi definitio statuentis ad Ecclesiam spectare potestatem apponendi impedimenta, respondere non dubitat, Ecclesiae nomine intelligere Concilium solam politicam potestatem. Pravam hanc opinionem exscripsit Launojus a magno Imperatoris assentatore Marsilio de Padua, et refutata in Launojo statim ab initio fuit ab egregio sorbonico Doctore Joanne Gerbais, cujus tractatus gallice exaratus dignus est ut legatur. Ad hos itaque omnes refellendos in unum colligam et in epitomen redigam quae magni viri hac in caussa pro Ecclesiae honore ac dignitate dimicantes in medium protulerunt.

CONCLUSIO I.

Ecclesia sumpta pro Pastoribus per se jus habet statuendi impedimenta Matrimonii.

Prob. 1. Scripturis. Christus ipse Dominus repudium reprobans apud Judaeos frequentissimum, Marc. cap. 10. inquit: *Quicumque dimiserit uxo-*

rem suam, et aliam duxerit, adulterium committit. Eadem Christi verba refert etiam Lucas. Per quae intelligimus impedimentum constituisse quod Theologi appellant *ligamen.* Paulus quoque in 1. ad Cor. cap. 7. eamdem tradit Christi doctrinam dicens: *Praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*: *quod si discesserit*, *manere innuptam*, *aut viro suo reconciliari.* Et in 2. ad Cor. cap. 6. v. 14. idem Apostolus impedimentum ponit quod dicitur *cultus disparitas*, vetans ne fidelis cum infideli Connubium ineat: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, quae verba fuse exponit Hieronymus lib. 1. adv. Jovinian. de jugo per vinculum Matrimonii. Haec autem Ecclesiae potestas statuendi impedimenta Matrimonii fundamentum habet in illa Christi ad primos Ecclesiae Pastores, hoc est, Apostolos, sententia Matth. cap. 18. *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Caelo*: *et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Caelo*: per quam tribuit Christus Ecclesiae Pastoribus facultatem Leges sanciendi saltem circa Sacramenta.

Prob. 2. ex Ecclesiae Traditione. Mitto Ignatii Martyris, Athenagorae, aliorumque veterum testimonia qui Matrimonium illud commendant quod arbitrio Episcopi et juxta nostras Leges, hoc est, Ecclesiae, celebratur, et in primis provoco adversarios ad Tertullianum qui lib. de Coron. Milit. cap. 13. scribit: *Ideo non nubamus Ethnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant.* Quod idem inculcat in lib. ad Uxor. Vigebat itaque apud Fideles impedimentum quod oritur ex cultus disparitate. Basilius in Ep. 1. ad Amphiloch. canonib. 6. 22. 23. 40. et 63. totidem commemorat impedimenta Matrimonii, addens: *Sanctiones istae a sanctis nobis sunt viris traditae*. Ex quo intelligimus jam a primis apostolicis temporibus constituta Matrimonii impedimenta fuisse, et quidem ab Apostolis eorumque Discipulis, non ab Imperatoribus qui Ethnici erant. Chrysostomus Hom. de lib. Repudii praecipit ne quis secundum exterorum leges nubat, *sed nubat cum Legibus a Paulo positis.* Hieronymus in lib. cont. Jovinian. explicans Apostoli verba in 2. ad Cor. cap. 7. non solum affirmat, sed argumentis demonstrat, *quod Christianae omnino non liceat Ethnico nubere.* S. P. Augustinus lib. 15. de C. D. cap. 16. *Quis dubitet*, inquit, *honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse Conjugia*? Pauca haec Patrum testimonia sufficiant. Nam si omnia exscribere vellem, possem adversarios nube testium obruere. Venio nunc ad Concilia quorum auctoritas Ecclesiae confirmat Traditionem. Synodus Ancyrana initio saeculi 4. celebrata Can. 2. impedimentum constituit quod dicitur *raptus.* Eodem tempore an. videlicet 315. in Synodo Eliberitana Can. 15. vetitum fuit ne christiana virgo Gentili nubat. Et Can. sequenti excludit etiam virum haereticum a Conjugio cum foemina fideli. Et Can. 61. incestuosas declarat Nuptias initas inter cognatos. Concilium Neocaesariense eadem celebratum aetate nullum declarat Matrimonium inter affines. Celebris est Canon Oecumenici Concilii Chalcedonensis, quo traditur non licere Monacho et Virgini Deo consecratae Matrimonium contrahere. Missa facio alia Concilia ne in longum nimis protrahatur oratio. Interim post tam luculentam Traditionem Ecclesiae

per Patrum Conciliorumque auctoritatem manifestatam Tridentini Patres jure ac merito sess. 24. Can. 4 statuerunt, quod *Si quis dixerit, Ecclesiam non posse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anàthema sit.* Nunc his addamus Summorum Pontificum Decreta. Syricius in Ep. ad Himerium Matrimonia dirimit Monachorum sacrarumque Virginum, *quum id ecclesiastica Jura condemnent*. Innocentius I. in ep. ad Probum memorat impedimentum quod vocatur *ligamen.* Videatur etiam Leo M. in Ep. ad Rusticum. Gregorius item M. in Ep. ad Augustinum Anglorum Episcopum statuit non licere jungere Connubia nisi tertia vel quarta generatione. Tot tantaque Patrum, Conciliorum, Summorumque Pontificum Decreta nonne satis sunt ad perpetuam Ecclesiae praxim et Traditionem stabiliendam?

Prob. 3. ex ipsorum Regum, Imperatorumque confessione ac praxi. Chilpericus Galliarum Rex praecepit Matrimonium contractum inter consanguineos emendandum juxta Episcoporum sanctiones. Hoc idem totidem fere verbis jussit Carlomannus In Congr. Liptinensi. Carolus quoque M. postquam incestuosa Conjugia damnavit lib. 5. Capitul. cap. 7. inquit: *De reliquis vero propinquis juxta constituta sanctorum Patrum, et juxta decreta Canonum judicetur*. Praeterea non erubuerunt Imperatores ac Reges Legibus hisce ab Ecclesia statutis sese humiliter subjicere et obtemperare. Ex historia Ecclesiastica plura hujus rei arcessiri possunt exempla. Puta illud Vigilii Romani Pontificis cum Theodeberto Francorum Rege, et Leonis III. cum Philippo Augusto, et Henrico I. Rege Castellae, et Gregorii V. cum Roberto Rege Francorum, et Honorii III. cum Ardela Regina Cypri, aliorumque Summorum Pontificum cum aliis Principibus quorum Matrimonia irrita declarata sunt ab Ecclesia quod celebrata cum impedimentis dirimentibus ab Ecclesia statutis fuerint, et tamquam irrita ac nulla ab ipsis Regibus atque Principibus agnita sunt. Quinimmo ipsi Summi Principes Connubia inire volentes dirimente aliquo obstante impedimento, non erubuerunt vel a suae ditionis Episcopis, vel a Summo Pontifice petere dispensationem; quae praxis inter Reges et Imperatores adhuc viget. Non est ergo cur Protestantes clamitent, et Launojus mussitet adversus Ecclesiam quod impedimenta statuerit Conjugia dirimentia.

Neque regerere potest Launojus Tridentinum Concilium definiens ad Ecclesiam spectare impedimenta apponere dirimentia Matrimonium, Ecclesiae nomine intelligere voluisse supremam Principum potestatem. Nam Canonem illum edidit Concilium adversus Novatores negantes facultatem apponendi impedimenta Ecclesiae prout Corpus complectitur Pastorum; contendebant quippe summum illud jus ad Principes ac Magistratus pertinere. Quare S. illa Synodus Ecclesiae nomine non politicam potestatem, sed Romani Pontificis et Episcoporum intelligebat auctoritatem. Deinde ex dictis apparet quod Reges in causa propria non ad alios Reges, non ad Senatum vel Magistratum aliquem, sed ad Summi Pontificis recurrere solent oraculum et potestatem. Aut ergo Principes omnes decepti sunt in nominis Ecclesiae intelligentia, aut deceptus est solus Launojus. Sed legendus omnino Gerbertus, et qui celebri huic scriptori plura addidit Joannes Laurentius Berti.

CONCLUSIO II.

Inspecto Matrimonio prout contractus mere civilis est, potest illi suprema saecularis potestas apponere impedimenta.

Prob. Subjacet supremae Principum potestati quidquid ad Reipublicae bonum conducit. Matrimonium prout est contractus civilis ad publicum bonum conducit; proindeque politica summa potestas jus habet ferendi circa Matrimonium hoc modo spectatum leges per quas statuantur impedimenta quae contractum illum irritum, nullumque reddant. Potestatem hanc in summis residere Principibus numquam negavit, imo agnovit semper Ecclesia. Hinc impedimenta Matrimonium dirimentia a Theodosio ac Justiniano constituta, quae in eorum Codicibus leguntur, approbantur ac summopere commendantur ab Ambrosio Ep. 66. ad Paternum, ab Augustino lib. 15. de C. D. cap. 16. a Syricio in Ep. ad Himer. a Leone M. in Ep. ad Rusticum, a Nicolao I. in Resp. ad Bulgaros, et ab aliis Patribus Summisque Pontificibus. Quare Concilium Lateranense I. Can. 5. vetans Matrimonium inter consanguineos inquit: *Quia et divinae et saeculi Leges prohibent.*

Respondetur adversariis.

Obj. 1. Protestantes. Numquid potest Ecclesia aliquid addere iis quae statuta sunt a Deo? Porro Deus in libro Levitici satis luculenter exposuit impedimenta quae dirimunt Matrimonium.

Resp. Quamvis aliqua praescripserit Deus in Levitico impedimenta quae dirimunt Matrimonium, non prohibuit tamen ne alia subinde constituerentur. Unde Seldenus in opere cui titulus, *Uxor hebraea*, admodum erudite demonstrat a Sacerdotibus V. T. alia et alia constituta fuisse ad publicum bonum post Moysis tempora impedimenta. Multo minus per Legem illam Levitici vetitum est Ecclesiae N. T. alia adjicere impedimenta si utilitas id exigat Religionis, tum quia major plane est auctoritas N. T. Ecclesiae quam veteris concessa, tum etiam quoniam Christus revera et Apostoli alia adjecerunt iis quae constituta fuerant in Levitico impedimenta.

Obj. 2. Tenent Catholici nullum habere Ecclesiam jus in ea quae ad substantiam spectant Sacramentorum, sed ad summum in coeremonias ac ritus, et in modum ea administrandi vel suscipiendi. Ast si apponere posset Matrimonio (quod per Catholicos est Sacramentum) impedimenta, attingeret jam substantiam Sacramenti. Nam faceret ut mutuus contrahentium consensus non esset amplius illius materia. II. jus constituendi impedimenta Matrimonii spectare videtur non ad Ecclesiam, sed ad politicam potestatem. Nam quum Matrimonium ad commune Reipublicae bonum referatur, Reipublicae autem non Ecclesia quoad civile bonum, sed Princeps saecularis praesit, ad hunc, non ad illam pertinet civilem contractum qui est Matrimonii materia, dirigere ac moderare. Hinc Imperatores, ut supra observavi-

mus, multa constituerunt impedimenta quae adoptata ab Ecclesia fuerunt. III. quum ex demonstratis superiori propositione 2. Principes quoque auctoritate polleant statuendi impedimenta, contingere aliquando posset ut Matrimonium irritum esset ex Lege Principis quoad contractum civilem, et esset validum in ratione Sacramenti ex Lege Ecclesiastica. Hoc autem absurdum videtur.

Resp. ad 1. Falsum est Ecclesiam impedimenta statuendo Matrimonii Sacramenti hujus mutare materiam. Christus namque Dominus civilem statuit contractum pro materia Matrimonii, sed conditiones apponere per quas contractus ille validus habendus sit atque firmus reliquit potestati Ecclesiae quae conditiones aliquas apponendo, Sacramenti hujus materiam non attingit neque mutat; semper quippe materia Matrimonii civilis contractus est.


Ad 2. Tribus modis spectari potest Matrimonium. In quantum est in officium naturae, et hoc modo subjicitur juri naturali, ab eoque dirigitur. In quantum est in officium Communitatis, et ita consideratum dependet a Jure civili, et a politica potestate dirigi in publicum bonum potest. Et in quantum est Sacramentum, et sic consideratum subjicitur Ecclesiae potestati. Doctrina haec est S. Thomae qui in 4. D. 34. Q. un. art. 1. ad 4. inquit: *Matrimonium in quantum est in officium naturae, statuitur lege naturae; in quantum est Sacramentum, statuitur Lege divina; in quantum est in officium Communitatis, statuitur Lege civili: et ideo ex qualibet dictarum Legum potest aliqua persona effici ad Matrimonium illegitima.* Princeps ergo saecularis potest utique lege sua civili illegitimam reddere aliquam personam ad Matrimonium, conditiones nonnullas statuendo quae nullum ac irritum reddant civilem contractum. Ecclesia vero impedimenta constituendo non considerat Matrimonium prout est civilis contractus, sed quatenus est Sacramentum. Neque timendum est tres illas Leges in casu nostro sibi invicem adversari. Nam suum Lex naturae, suum Lex civilis, suumque Lex Ecclesiastica peculiare habet objectum. Imo tria illa jura sese invicem muniunt atque fovent, ut tot saeculorum patet experimento.

Ad 3. Fateor contingere aliquando posse ut ex Legum civilis et Ecclesiasticae conflictu quoad aliquod impedimentum, Matrimonium invalidum sit in ratione contractus, sit vero validum in ratione Sacramenti. Quid inde vero? Contractus ille verum erit Matrimonium in foro conscientiae, quod tamen irritum foret in foro exteriori. De hoc argumento vide Sambovium, Cabassutium, L' Hermenier, alios.

Atque hic finem scriptiunculis meis pono. Nam probe novi me limites excessisse Institutionum quas in gratiam augustinianae juventutis aggressus sum elucubrare. In his exarandis propositum mihi fuit planiorem adolescentibus sternere viam quae ad uberrimos Theologiae fontes, ad Scripturarum nempe, Conciliorum, Sanctorumque Patrum intelligentiam conducit. An quem mihi proposui finem sim assecutus, judicio committo illorum quorum manus incompta opuscula haec fuerint ascensura. Opto tamen ut judices mei viri sint cordati, prudentes, ac veritatis amatores, non qui studio partium abrepti quidquid ex Augustinensium calamo prodit

jansenisticum esse aut jansenismi suspectum insolentissime blaterant. Hi enim invidi sunt, ac primatum in Theologia affectantes, quidquid secundum illorum systema non est, tamquam haereticum reprobant atque rejiciunt, illam sibi arrogantes auctoritatem quae ad solam spectat Ecclesiam. Haec, inquam, sola utpote columna et firmamentum veritatis a Deo constituta est filiorum suorum Magistra et Judex omnium controversiarum. Atque hujus ego judicio ac magisterio ea quam verum filium atque discipulum decet humilitate, scripta haec et omnia mea subjicio. Ante tribunal ejus constitutus, si quid inconsiderate, ignoranter, vel obscure protuli quod ecclesiasticis regulis non cohaereat retracto, damno, rejicio, Deum orans ut si quid ex errore commisi, ex largitate sua mihi misericorditer indulgeat.

FINIS SEPTIMI et ULTIMI TOMI.



INDEX

CAPITUM, et CONCLUSIONUM

TOMUS SEPTIMUS

LIBER XXXV.

De Sacramento Baptismi.

LIBER XXXVI.

In quo disseritur de Sacramento Confirmationis.

LIBER XXXVII.

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

LIBER XXXVIII.

De Sacramento Poenitentiae.

LIBER XXXIX.

De Sacramento Extremae Unctionis.

LIBER XLI.

Ubi de Sacramento Ordinis pertractatur.

LIBER XLII.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT POSTREMUM

FINIS

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Rambaldi
Lect. et Vicarius S. Officii Fulginiæ.

IMPRIMATUR

Pro Illmo ac Rmo D. D. Episcopo Fulginatense
Fr. Dominicus Monti Rev. Deputatus.

VISTO

Per l' Apostolica Delegazione di Perugia
il 1 Febbrajo 1854.
Francesco Marchese Barnabò Deputato.





